This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Presented by
the widow and children
of the late
Rev. Stephen Brown Bathe, M.A.,
Balliol, Rector of Rushbury.
1912.

14041 f. 97

600100040B

MANNA

QUOTIDIANUM SACERDOTUM

SIVE

PRECES

ANTE ET POST MISSAE CELEBRATIONEM

CUM BREVIBUS MEDITATIONUM PUNCTIS PRO SINGULIS ANNI DIEBUS.

TOMUS III.

A DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN USQUE AD DOMINICAM I. ADVENTUS.

FRIBURGI BRISGOVIAE.

SUMTIBUS HERDER.

1864.

Imprimatur.

Friburgi Brisgov. die 6 Novemb. 1863.

✝ **Hermannus, Archiepiscopus.**

L. S.



Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

Index.

Pag.

Hebd. VIII. Pentecostes.

Dom. De eleemosyna 1
Fer. 2. Noli differre poenitentiam . . . 5
Fer. 3. Tepiditatis signa et damna . . . 9
Fer. 4. Confessio quomodo facienda . . . 14
Fer. 5. De propositis non servatis . . . 18
Fer. 6. De sacerdotis aegroti periculis . . 21
Sab. Quid Jesus committat nobis . . . 26

Hebd. IX. post Pentec.

Dom. De lacrymis 30
Fer. 2. De distractionibus 35
Fer. 3. De poenis purgatorii 39
Fer. 4. De causis relapsus 44
Fer. 5. Sacerdos cur venerari debeat B. V. . 48
Fer. 6. De sacerdote impoenitente . . . 53
Sab. De rosario 57

Hebd. X. post Pentec.

Dom. Quinam sacerdotes Pharisaeo sint similes 61
Fer. 2. De gloria mundi non quaerenda . . 65
Fer. 3. Si parum profeceris, quid faciendum . 68
Fer. 4. De visitatione ss. sacramenti . . . 72
Fer. 5. Quomodo sacerdos panes multiplicet . 75
Fer. 6. De exercitiis spiritualibus . . . 78
Sab. In procellis quid faciendum . . . 82

Pag.

Hebd. XI. post Pentec.

Dom. Conversioni peccatorum cooperandum . 86
Fer. 2. Manna figura Eucharistiae . . . 91
Fer. 3. De communioni spirituali . . . 94
Fer. 4. De effectibus s. communionis . . . 98
Fer. 5. De dispositione ad s. communionem requisita 101
Fer. 6. Ut operarii veniant, quid faciendum . 105
Sab. Praedestinationis signa 109

Hebd. XII. post Pentec.

Dom. De dilectione Dei 112
Fer. 2. Quotidiana communio coeli anticipatio . 115
Fer. 3. De misericordia erga poenitentes . . 119
Fer. 4. Esto misericors Samaritanus . . . 122
Fer. 5. In ariditate quid faciendum . . . 126
Fer. 6. Luxuria in sacerdote 130
Sab. Sacerdos a Deo derelictus 134

Hebd. XIII. post Pentec.

Dom. De frequenti confessione 137
Fer. 2. Parabola de semine 141
Fer. 3. De dissipatione 144
Fer. 4. De caecitate sacerdotis 147
Fer. 5. De spiritu ecclesiastico 150
Fer 6. Sacerdos mortificatus 154
Sab. De avaritia 158

Hebd. XIV. post Pentec.

Dom. De providentia Dei 161
Fer. 2. De judicio 166
Fer. 3. De transfiguratione Christi 169
Fer. 4. De resurrectione 172
Fer. 5. De castitate 176
Fer. 6. De amore Christi 179
Sab. De omnipotentia Dei 183

Hebd. XV. post Pentec.

Dom. Ecclesia cur lugeat 186
Fer. 2. De parvulis catechizandis 190

Pag.

Fer. 3. De sacerdote scandaloso 193
Fer. 4. De sacerdote damnato 196
Fer. 5. De cura animarum 199
Fer. 6. De imitatione Christi 203
Sab. De meditatione quotidiana 206

Hebd. XVI. post Pentec.

Dom. De poenis superbiae 210
Fer. 2. De humilitate 213
Fer. 3. De applicatione fructus missae . . 217
Fer. 4. De misericordia Dei 220
Fer. 5. De examine conscientiae 224
Fer. 6. Sacerdotis peccantis ingratitudo . . 228
Sab. De morte boni sacerdotis 232

Hebd. XVII. post Pentec

Dom. De dilectione proximi 236
Fer. 2. De breviario bene recitando . . . 240
Fer. 3. Correctiones quomodo adhibendae . . 244
Fer. 4. De cognitione sui 248
Fer. 5. De Dei aeternitate et immutabilitate . 252
Fer. 6. De cura animarum suique ipsius . . 256
Sab. De sacerdotum dignitate 260

Hebd. XVIII. post Pentec.

Dom. Paralyticus imago tepidi sacerdotis . . 264
Fer. 2. De purgatorio 267
Fer. 3. De peccatis justorum 271
Fer. 4. De contumeliis ferendis 274
Fer. 5. De sacramentorum administratione . 277
Fer. 6. De passione D. saepe meditanda . . 281
Sab. De negotiis saecularibus 285

Hebd. XIX. post Pentec.

Dom. De gratiae sanctificantis effectibus . . 289
Fer. 2. De humilitate 293
Fer. 3. De bonis ecclesiasticis 296
Fer. 4. In prandio quid pensandum . . . 300
Fer. 5. De indulgentiis 304

Pag.
Fer. 6. De patientia 307
Sab. Cur angustior porta sacerdotibus . . 312

Hebd. XX. post Pentec.

Dom. De fide 316
Fer. 2. De sanctitate sacerdotali . . . 319
Fer. 3. De dilectione proximi 323
Fer. 4. De dispositione ad s. communionem . . 326
Fer. 5. Servire Deo et mundo incompatibile . 331
Fer. 6. De relapsu 335
Sab. De beatitudine 339

Hebd. XXI. post Pentec.

Dom. De litibus 343
Fer. 2. De assiduitate in oratione . . . 348
Fer. 3. De peccato sacerdotis 352
Fer. 4. De modestia oculorum 355
Fer. 5. De curiositate et superbia in rebus fidei 359
Fer. 6. De tribulationibus 363
Sab. De otio et jactura temporis . . . 366

Hebd. XXII. post Pentec.

Dom. De beneficiis divinis 370
Fer. 2. De usura, quam D. exigit a nobis . . 374
Fer. 3. De judicio 378
Fer. 4. De aeternitatis recogitatione . . . 383
Fer. 5. Sacerdos observatur a mundo . . 387
Fer. 6. De ordinatione 391
Sab. De nuptiis Christi triplicibus . . . 396

Hebd. XXIII. post Pentec.

Dom. De morte 401
Fer. 2. De ratione reddenda 405
Fer. 3. De inferno 409
Fer. 4. De peccato veniali 414
Fer. 5. De catechesibus 417
Fer. 6. De bonitate Dei 421
Sab. De amicitia Jesu eucharistica . . . 425

Pag.

Hebd. XXIV. post Pentec.

Dom. De dilectione Dei 428
Fer. 2. De constantia 432
Fer. 3. De temporis jactura 435
Fer. 4. Peccato mortali quid perdatur . . 439
Fer. 5. Motiva gratitudinis erga Deum . . 443
Fer. 6. Meditationis quotidianae utilitas . . 446
Sab. Conversationes mundanae fugiendae . . 450

Hebd. XXV. post Pentec.

Dom. De inimicitiis 454
Fer. 2. De scientia sacerdoti necessaria . . 457
Fer. 3. De periculis castitatis sacerdotalis . 461
Fer. 4. De scientia et prudentia confessarii . 465
Fer. 5. Ss. sacramenta thesaurus . . . 469
Fer. 6. De necessitate patientiae . . . 472
Sab. Quoad consacerdotes peccantes quid faciendum 477

Hebd. XXVI. post Pentec.

Dom. Dilige Ecclesiam 481
Fer. 2. Quid faciendum in tentationibus . . 485
Fer. 3. De vigilantia 490
Fer. 4. Fiduciam habe in div. providentia . . 493
Fer. 5. De peccato veniali 497
Fer. 6. De caritate Christi erga nos . . . 500
Sab. Cura pauperes 503

Hebd. XXVII. post Pentec.

Dom. Stude paupertati 508
Fer. 2. De gratiarum abusu 511
Fer. 3. Quali zelo ardere debeat sacerdos . 515
Fer. 4. De ebrietate 519
Fer. 5. De publicis calamitatibus 523
Fer. 6. Laboris cum mercede comparatio . . 528
Sab. Abominatio desolationis peccatum mortale 532

Hebd. ult. post Pentec.

Dom. Cura etiam minima 536
Fer. 2. Cur Deus permittat tentationes . . 540

Pag.

Fer. 3. Mors sacerdotis non praeparati . . 544
Fer. 4. Servus Christi qualis esse debeat . . 548
Fer. 5. De tabernarum frequentatione . . 551
Fer. 6. De sacerdote arrogante 555
Sab. De perseverantia 559

In festo s. M Magdalenae 564
In festo s. Jacobi M. Apost. 565
In festo ss. Lazari et sororum 565
In festo transfigurationis D. 565
In festo assumtionis B. M. V. 569
In festo s. Bartholomaei Apost. 573
In festo decollationis s. Joannis Bapt. . . 573
In festo nativitatis B. M. V. 573
In festo exaltationis s. crucis 574
In festo s. Matthaei Apost. 577
In festo s. Michaelis Archang. 578
In festo ss. Simonis et Judae App. . . . 582
In festo omnium sanctorum 587
In commem. omnium fidelium defunctorum . 591
In anniversario dedicat. Ecclesiae . . . 595
In primitiis Neo-Mystae 595

APPENDIX.

I. Brevis meditandi methodus . . . I
II. Formulae aliquae affectuum . . . II
III. a. Praeparatio ante missam (Ex Missali romano) XVII
b. Gratiarum actio post missam (ex eodem) XXIII
IV. Preces ante et post missam (ex memoriali vitae sacerd.) Dom. ante missam . XXVI
Dom. post missam XXX
Fer. 2 ante missam XXXV
Fer. 2 post missam XXXVIII
Fer. 3 ante missam XLIII
Fer. 3 post missam XLVI
Fer. 4 ante missam LI

Pag.

Fer. 4 post missam LV
Fer. 5 ante missam LIX
Fer. 5 post missam LXIII
Fer. 6 ante missam LXVIII
Fer. 6 post missam LXXI
Sab. ante missam LXXVI
Sab. post missam LXXIX
V. Preces indulgentiis ditatae, ad missae celebrationem aliquo modo spectantes . . LXXXV
a. Preces ante missam recitandae:
1. Directio intentionis LXXXV
2. Ad s. Joseph LXXXV
b. Preces post missam recitandae:
3. Oratio coram imagine Crucifixi . LXXXVI
4. Oratio: Obsecro etc. LXXXVII
5. Oratio s. Ignatii LXXXVII
c. Preces, quae tum ante, tum post missae celebrationem recitari possunt:
6. Hymnus s. Thomae LXXXVIII
7. Oratio coram ss. sacramento . . LXXXIX
8. Oratio ad ss. sacramentum et ss. cor Jesu LXXXIX
9. Deprecatio ad Jesum in ss. sacramento XC
10. Oratio in memoriam passionis Domini XCI
11. Oratio: Pietate tua etc. . . . XCI
12. Oblatio pretios. sanguinis . . XCII
13. Septem pretios. sanguinis oblationes XCII
14. Orationes et precationes . . . XCIV
15. Laudes divini nominis . . . XCV
16. Hymnus ad Spiritum sanctum . . XCVI
17. Sequentia ad Spiritum sanctum . XCVI
18. Oratio ad b. Joseph XCVII
d. Orationes breviores et preces jaculatoriae:
19. Trisagium XCVII
20. Actus renuntiationis in div. voluntatem XCVIII
21. Salutatio christiana XCVIII
22. Invocatio XCVIII

Pag.

23. Aspiratio b. Leonardi a Portu Mauritio XCVIII
24. Aspiratio s. Hieronymi Aemiliani . XCIX
25. In adorationem ss. sacramenti . . XCIX
26. Oblatio sui ad cor Jesu . . . XCIX
27. Oblatio pretios. sanguinis . . XCIX
28. Tres aspirationes XCIX
29. Oratio s. Bernardi: Memorare . . C
30. Oratio et invocatio C
31. Salve Regina etc. et Sub tuum etc. CI
32. Orationes jaculatoriae ad immaculatam conceptionem CI
33. Aspiratio ad s. cor Mariae . . CII
34. Oratio ad Matrem dolorosam . . CII
35. Aspiratio ad Matrem dolorosam . CII
36. Ad s Angelum custodem . . . CII
37. Pro morientibus CIII
38. Pro animabus purgatorii . . . CIII

Additamentum.

Oratio ante confessiones excipiendas . CIV
Oratio post exceptas confessiones . CIV

INDEX RERUM

quae in tribus tomis meditandae proponuntur CVII

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Fac eleemosynam; hoc postulat: 1) justitia (nam redituum ecclesiasticorum non es proprietarius, sed administrator, rationem redditurus); 2) caritas; 3) prudentia (ut amicos tibi facias hic — illic).

PRECES ANTE MISSAM.

„O bone Jesu! nobilissimum cibum mihi, indignissimo servulo tuo, benignissime offers. Ad mensam tuam splendidissimam me instanter invitas. Sed timeo adire hoc convivium tam magnificum. Parasti in conspectu meo mensam, o bone Jesu! Convivium opulentissimum mihi jam adornatum est. Ipsa me fames excitat et illuc ire compellit. Accedere tamen vix praesumo, quia peccavi tibi. *Quid ergo faciam?* Angustiae mihi sunt undique. — *Scio, quid faciam:* ibo ad Patrem meum et dicam ei: *Pater, peccavi in coelum et coram te.* O felix confessio culpae! — Quia igitur tu ipse nobis praecepisti sic orare: *Dimitte nobis debita nostra;* dimitte, o bone Jesu! dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, pro quibus teipsum in cruce obtulisti in sacrificium, et quotidie te offers in altari." *S. Ansel. Lucens.*

Infinita quidem misericordia tua, Domine Jesu, me peramanter invitat ad coelestem mensam tuam; sed absterret me indignitas mea. Si vel obiter et quasi per nebulam aspicio cor meum, magnopere mihi displicet illud ob inveteratas vitiorum maculas. Quid erit hoc cor meum ante oculos tuos lucidissimos, quibus intimae patent animi mei latebrae? — Multis a te donis et bonis exornatus, parum laboravi de bono illorum usu vel lucro faciendo. Pessime saepius abutebar bonis corporis et animi, donis naturae et gratiae. Velut dispensator perfidus male locavi aut dissipavi talenta mea, dona tua; nec ullam habui rationem eximiae dignitatis meae. Attentior ad bona temporalia, quam sat est, egentes nulla miseratione prosequebar, nec illorum miseriam liberali stipe consolabar. Proh dedecus! o sordes avaritiae!!

Erubesco, Domine, vehementerque doleo de omnibus peccatis ac negligentiis meis, quibus immensam offendi Majestatem tuam. Respice, bone Jesu, dolorem meum acerbissimum; audi sincera cordis mei suspiria. Propono, deinceps dona et bona tua mihi concredita sic collocare, sic insumere, ut inde fructum capiam perpetuum. Spero veniam ab infinita bonitate tua; et dulci hac spe animatus adibo divinam mensam tuam, ubi pretiosissima mihi bona largiturus es. Prius tamen emunda (quaeso) cor meum ab omni vitiorum coeno, et exorna illud omni decore virtutum, ut ea, qua decet, animi puritate coram te compaream, et vitae pabulum de tua largitate digne sumam.

Ad Patrem. „Domine Deus, Pater misericors, quem, multis miserantem miserationum generibus, Ecclesiae tuae populus una voce interpellat: converte ad nos placatam faciem tuam, remittens iniquitatem plebis tuae.

Repleat innocentia sacerdotes, concordia gentes, amicitia reges, justitia judices, beneficentia divites, substantia inopes, temperantia mediocres; poenitentes venia, errantes scientia, debiles patientia, languentes medicina. Lactificet libertas exules, mitiget lenitas principes, ornet integritas virgines, caritas conjuges, castitas coelibes, sanitas senes, honestas juvenes, sanctitas continentes. Bono hominum usui aër innoxios imbres, ventos secundos et blanda roris unguenta, cum opus fuerit, ministret. Tranquilla navigantibus freta subjaceant, itinera viantibus sint prospera, copiosos laborantibus terra parturiat fructus. Prae his omnibus, Domine, praesta, ut te super omnia studeamus colere, a quo haec omnia desideramus obtinere. Per Christum Dominum nostrum. Amen" [1].

PRECES POST MISSAM.

Inexplicabilis est tua in me benevolentia, Jesu suavissime! Dona tam pretiosa, quibus identidem me decorare dignaris, plane testantur infinitum amorem tuum, qui eo te adducit, ut indigno mihi tuo servulo, negligenti mihi villico, non tantum necessaria vitae subsidia quotidie largiaris, sed ipsissimum praeterea corpus et sanguinem tuum tribuas in cibum et potum. Vere dignum et justum est, ut pro tantis beneficiis, pro talibus donis, gratum me tibi praestem. Sed *quid faciam*, ne ingrati animi vitium incurram? *Quid faciam*, ut tuae tam liberali in me voluntati respondeam? Nimium est intervallum ingensque discrimen inter supremam tuam Majestatem et extremam meam vilitatem. Quid

[1] Ex Missali antiquissimo.

ergo faciam miser? Quid tibi retribuam, Domine, pro hac inexhausta largitate tua? —

Scio, quid faciam: semper in posterum adorabo, amabo et laudabo te Deum Salvatorem meum; acerrime propugnabo nominis tui gloriam et Ecclesiam sanctam; tibique constanter adhaerebo fide viva, spe firma, caritate ardentissima. — *Scio, quid faciam:* omnia peccandi pericula vitabo, contra hostium incursiones ac vitiorum illecebras animose certabo et assidue pietatis studia praestabo. — *Scio, quid faciam:* proximos meos in omni necessitate liberaliter adjuvabo, castigationem tuam patientissime sustinebo et (usquedum spirabo) peccata mea quotidie lugebo. Rigidam aliquando totius vitae meae rationem exiges a me, Domine! Vereor omnia opera mea, quia scio, quod non parcas delinquenti, simulque nescio, quandonam me citaturus sis ad terribile tribunal tuum, ut tibi reddam rationem villicationis meae. Quid, si hodie, vel post horam me vocares ad tremendum judicium tuum? Heu, quot homines subita morte opprimuntur! Ideo cum metu et tremore salutem meam operabor, et quaecunque mihi praecepisti, omnia *honeste et secundum ordinem* faciam. Aeternitatis meae negotium ante omnia tractabo, neque bona transitoria, sed aeterna consequi conabor.

Jesu munificentissime, qui tot tantisque me donis cumulas: effice me liberaliorem in egenos et afflictos. Et qui tantopere mihi commendas opera misericordiae, praesertim eleemosynas: *inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* Fac, ut justam bonorum meorum partem libenter ac liberaliter amore tui tribuam egentibus. Cupiditatem vero, quae *radix omnium malorum* est, ex animo meo radicitus evelle, quo pleniori manu stipem conferam in pauperes, et

plus diligi merear a te, Domine, qui hilarem datorem diligis. Te juvante fidelis ero dispensator tuus, fortasse brevi redditurus rationem villicationis meae. Benigne dabo panem mendicantibus, propter te, Domine, qui teipsum, panem vivum, mihi praebes quotidie. Et si a tuorum minimo, vel potius a teipso, rogatus fuero eleemosynam, non negabo; nam tuum repetis, o Fili Dei, cujus utique dona sunt omnia bona mea. Adhaec caritas tua caritati meae centuplum promittit. Proinde nihil perdo, sed omnia mihi servantur apud te, qui tibi datum reputas, quidquid dedero conservis meis. En, nunc omnia tibi offero; me et omnia mea trado in manus tuas. Id unum obsecro te, suavissime Jesu! redde me pauperem spiritu et divitem meritis bonorum operum; ut, cum defecero in hora mortis meae et amovendus ero a villicatione, recipiar in aeterna tabernacula domus tuae coelestis. Amen.

FERIA II.

Noli differre poenitentiam et emendationem, quia incertum, an deinceps habiturus sis: 1) tempus; 2) gratiam; 3) voluntatem efficacem gratiae cooperandi.

PRECES ANTE MISSAM.

„Adoro te, *Pater*, *Domine coeli et terrae!* laudo et benedico te, atque infinitas tibi gratias ago, quia creasti me, et ad imaginem tuam condidisti animam meam, eamque beatitudinis aeternae capacem fecisti; et ea, quae coelo terraque continentur, usibus meis deputasti, ac omnia mihi inservire solatioque

esse voluisti. Insuper ex immensa bonitate tua me, in fide catholica natum, ab exordio vitae meae sollicite educasti, omnia necessaria mihi largissime suppeditando. Ab innumeris animae corporisque periculis me incolumem servasti, et etiam abutentem bonis et donis tuis non dereliquisti. Quin imo in sordidissimo vitiorum sterquilinio jacentem me ac iniquissime viventem tanto tempore longanimiter tolerasti atque ad poenitentiam exspectasti. Praeterea me laxatis habenis currentem ad praecipitium et jamjam in ipsis inferni faucibus constitutum perire non permisisti, sed surdum etiam, fugientem ac renitentem me in salutis semitam reduxisti. In omnibus autem me vilissimum peccatorem ita semper gubernasti, protexisti et misericordiae tuae oculis respexisti, quasi, ceterorum omnium oblitus, nonnisi mei solius curam gereres. Et numquid, o Deus meus! me in abysso nihili mei cum infinita creaturarum possibilium multitudine relinquere potuisses? Numquid tibi facile fuisset, pro me misero et ingrato peccatore creaturas alias longe nobilissimas, tibi acceptissimas et ad omne servitium tuum promtissimas procreare, quae tamen in aeternum in massa nihili sui permanebunt? Prae multis millionibus infelicissimorum gentilium me ad agnitionem tui nominis venire tribuisti, et ad sublimem sacerdotii dignitatem evexisti. O si ex caeca gentilitate plurimi tanta gratiae luce fuissent illuminati, qua me indignissimum honorasti, quam fideliter, quam ferventer tibi serviissent! — O si ex perfida Judaeorum gente, vel ex perversa haereticorum turba, infelices animae tantis praeoccupatae fuissent beneficiis et gratiae donis, quibus me ingratissimum cumulasti: quam ardenter ac sincere dilexissent te! — Si iniquorum plurimi tam copiosa internae lucis gratia fuissent illustrati, sicut me vilissimum terrae vermiculum

illustrare dignatus es: o quam digne ac sollicite in cilicio et cinere poenitentiam egissent, suamque vitam in melius emendassent! — Si denique peccatores jam damnati, atque in aeternum a te, o mi Deus, reprobati et inferorum cruciatibus addicti plurimi, qui nec toties nec tam graviter offenderunt te, sicut infelix ego peccator, si tantum poenitentiae spatium impetrassent, quantum mihi misericorditer concessisti: o quam sincere et ex animo dolentes ad te rediissent, et salutem obtinuissent! — Nunc autem, Domine Deus! quasnam miser ego pro tot beneficiis et favoribus tuis agam gratias? En, Pater aeterne! in supplementum indignitatis meae offero tibi unigenitum Filium tuum: et in unione infinitorum meritorum amarissimae passionis ac mortis ejus humillimam tibi gratiarum actionem persolvo." *Lud. Blosi.*

Suscipe, clementissime Pater, istud altaris sacrificium, quod tibi hodie fiducialiter offero in satisfactionem peccatorum propriorum et alienorum. Per virtutem hujus oblationis libera me meosque singulos a duritia cordis, ne diutius haereamus in sordibus vitiorum. Largire nobis omnibus necessariam opem tuam, ut vel hodie adhuc incipiamus veram agere poenitentiam, eamque semper ad mortem usque continuemus, ne forsan in die judicii ob gratiarum tuarum abusum damnemur cum reprobis, sed ut inter electos in illa die collocemur ad dexteram supremi Judicis. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Mysteria tua tremenda, Domine Jesu, nunc iterum tractavi, quoniam in immensa caritate tua fiduciam habeo maximam. Bonus et suavis es Dominus, longanimis

et multum misericors. Tantum abest, ut reos poenitentes a te projicias, ut eos etiam magnificentissimo sacri corporis et sanguinis tui convivio reficias. Altare tuum hodie conscendere ausus sum, non ideo tantum, ut in corde meo te susciperem, sed ut etiam criminum meorum veniam facilius impetrarem a te, Domine, qui non vis mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur et vivat. Prostratus igitur ad pedes tuos enixe peto remissionem delictorum meorum, quorum me sincerissime poenitet. Scio, mi Jesu, quam vehementer olim redargueris civitates impias, et quam grave judicium iisdem minatus sis. Ah! quomodo tuus ego sacerdos te multoties offendere potui? Vae diebus et horis illis, quibus te judicem adeo severum per iniquitates meas ad iracundiam provocavi! O quam temere, quam insipienter egi! quam turpiter aberravi, dum et amoris tui et dignitatis meae oblitus innumeras admisi negligentias in sacro servitio tuo!

„Domine Jesu! aequissime Judex! nihil prorsus mihi est in bonis, quod tibi possim offerre pro scelerum meorum compensatione. Annue tamen, ut tuam erga me caritatem ac clementiam experiar. Etsi vero indignus sim, qui facinorum meorum impunitatem obtineam, eam tamen a te deposco, o supreme justorum impiorumque Judex! eoque majore fiducia illam deposco, quoniam propter amorem tuum mirificum corpore tuo me nutrivisti et sanguinem tuum membris meis immiscuisti. Domine Jesu! quia te dilexi, prout potui; quia crucem tuam supplex adoravi, prout debui; quia corpus et sanguis tuus meum prae deliciis animum rapuerunt: ideo propitiare (obsecro) mihi peccatori et omnes maculas meas dele, quibus ablatis nobilissimus omnium virtutum comitatus in animam meam ingrediatur.

in extremo judicio tuo, Domine, quando solutis septem signaculis aperientur metuendi codices, et quae in eis occurrent scripta, tua mihi justitia objiciet: tunc misericordia tua, qua vales plurimum, suscipiat causam meam apud justitiam tuam, ut illius patrocinio assecutus impunitatem, cum omnibus electis ac justis, qui te dilexerunt, Majestati tuae praeconia referam sempiterna." *S. Ephraem.*

Jesu liberalissime, qui pretioso tuo corpore et sanguine me denuo refecisti, tribue mihi gratiam efficacem, ut de admissis a me peccatis assidue doleam; ut abstinentiis, jejuniis, vigiliis aliisque poenitentiae operibus sponte susceptis, quas tibi debeo, poenas dependam, et omnes vitae hujus miserias aequo animo sustineam, quo citius satisfaciam justitiae tuae, ne cogar aliquando sentire *Vae* illud terribile, quod obstinatis civitatibus Corozain et Bethsaidae comminatus es. Si deessem officiis meis, heu! quam misera foret conditio mea in die judicii! Certe remissius tunc esset terrae Sodomorum, quam mihi. — Redde me parvulum atque modestum, o bone Jesu, qui mysteria tua non revelas sapientibus inflatis, sed parvulis sive humilibus. Exsurgentem animi tumorem mox in me comprime, ne cum superbis usque in infernum deprimar, sed ut cum humilibus usque in coelum exaltari merear. Amen.

FERIA III.

Considera tepiditatis in sacerdote: 1) signa (multa bona non facit — alia facit, sed negligenter — peccata parvipendit etc.); 2) damna (privat Deum debito

honore — proximum debito auxilio — seipsum debito merito, praemio; — et ita in discrimen salutis seipsum aliosque inducit).

PRECES ANTE MISSAM.

Rerum omnium Creator! Deus providentissime, qui ad aeternam electorum tuorum salutem cuncta disponis ac ordinas: tibi suppliciter offerimus sacrosanctum altaris sacrificium in contestationem religiosae adorationis nostrae, qua supremam tuam Majestatem prosequimur; nec non in gratiarum actionem tum pro mirabili munificentia, qua nos foves atque glorioso Christi Filii tui corpore vivificas, sanctificas ac aeternitati beatae praeparas; tum etiam pro cura tua paterna, qua nos immorigeros filios tuos saepe castigas et per varias calamitates ad poenitentiam adducis, ne pereamus in aeternum.

„Vere dignum et justum est, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus; qui propterea jure punis errantes et clementer refoves castigatos, ut nos a malis operibus abstrahas et ad bona facienda convertas; quia non vis invenire quod damnes, sed esse potius quod corones: et cum pro nostris demeritis jugiter mereamur affligi, tu tamen judicium ad correctionem temperas, non perpetuam exerces ad poenam. Juste enim corrigis et clementer ignosois, in utroque verax, in utroque misericors. Qui nos ea lege disponis, ut coërcendo nos in aeternum perire non sinas, et parcendo nobis spatium tribuas corrigendi. Qui ideo malis praesentibus nos flagellas, ut ad bona futura perducas; ideoque bonis temporalibus consolaris, ut de sempiternis facias cer-

tiores; quatenus et in prosperis et in adversis te pia semper confessione laudemus“ [1].

Domine Deus, fortitudo fragilium, salus omnium in te sperantium! obsecramus te per infinita hujus sacrificii merita et per acerbissimos dolores, quos Unigenitus tuus pro nobis in cruce sustinuit, ut aerumnas et aegritudines nostras vel auferre vel lenire digneris, prout nobis expedire noveris. Succurre servis tuis languentibus et infirmis, praesertim illis, qui cum morte luctantur et extremos ducunt anhelitus. Omnibus aegrotis tuum praebe solatium et auxilium, ut paternam castigationem tuam moderatissime ferant, et de manu tua calicem amaritudinis humiliter accipiant ac constanter exhauriant. Respice de coelo, praepotens Deus! et vide magnam illorum afflictionem, qui diuturnis atque molestissimis vexantur morbis.

Per merita dolorosae mortis Filii tui rogamus te, clementissime Pater, ut aegrotantibus benigne condones admissa facinora, unde sibi tam graves contraxere plagas. Redde illis valetudinem integram; et quoscunque sanaveris, sic corrobora et dirige, ut recuperatae sanitatis beneficium in posterum melius impendant, ne, quod per misericordiam tuam receperunt, per ingratitudinem suam iterum amittant. Miserere hominum, flagitiis assuetorum, eosque potenter abstrahe a pessima peccandi consuetudine. Fac insuper, Optime Maxime, ut, qui convaluerint ex infirmitate vel improbitate sua, non ultra peccent, ne deterius aliquid ipsis contingat. Quibus autem aeterno tuo decreto statutum est propediem mori, his opem tuam impertire, ut, delictorum vinculis exsoluti, transire mereantur in domum aeternitatis

[1] Sacram. Gregor.

suae, coelitum agminibus inserendi, per merita Jesu Christi Filii tui, qui devicto mortis aculeo aperuit credentibus regna coelorum. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Venisti denuo visitare languentem famulum tuum, misericordissime animarum Medice! Ingratum me peccatorem non modo curasti gratiae tuae medicamentis, sed illo etiam coelesti antidoto munivisti, quo a peccatis praeservantur infirmi homines. Supplex adoro te, bone Jesu, qui rursum ad me venire dignatus es. Dulcissima haec praesentia tua, vel potius haec ineffabilis unio, animum meum ingenti replet gaudio. — Jesu suavissime! reverenter exosculor sacratissimos pedes tuos, gratias agens tibi pro cibo angelico, pro coelesti pabulo, quo me nunc ad mensam tuam divinam refecisti. Utinam hucusque munia mea diligentius obiissem! — Sed (proh dolor!) diu nimis in languore jacui, sicut ille paralyticus ad piscinam. Quod ex illo torpore periculoso tandem emerserim, tibi, Domine, acceptum refero. Nolo amplius peccare, ne deterius mihi aliquid contingat. Occasiones malas evitabo et omnem peccati umbram anxie declinabo. Fixum mihi destinatumque in animo est, o Medice divine, deinceps illas adhibere spiritales medicinas, quas mihi praescribis, simulque libenter exhaurire amarum passionis calicem, quem mihi propinaveris.

Interea, bone Deus! inania sunt ac irrita isthaec proposita mea, nisi tu subvenias mihi homini miserrimo. Te igitur obtestor, omnipotens Jesu, qui paralyticum illum fecisti surgere, grabatum tollere et ambulare: fac etiam, ut in omnibus tibi libenter obediam et divinae

providentiae tuae consiliis acquiescam. Tua voluntas sit etiam mea, ita ut voluntas mea tuam in omnibus semper sequatur. Astra coeli ac cuncta elementa illum servant motuum ordinem, quem eis destinavit divina voluntas tua. Quomodo cinis ego et pulvis confidam viribus meis? Sine te scio convertere bonum in malum, sed malum in bonum vertere nescio. Cadere valeo, non item surgere: in profundam miseriarum voraginem me praecipitare possum, sed exinde eluctari sine te non possum. Ope tua destitutus ambulo ut caecus, cespito ut claudus animumque despondeo ut ignavus.

„Sine te, Domine, in quodam lethargo, sensu carens, vitam vivo. Tanta est cordis mei durities, ut nunquam, nisi per te liquefactum, ad dulcissimas amoris tui affectiones recipiendas disponi valeat. Perditum hoc cor meum tam arcto nexu cupiditatibus et inclinationibus suis perversis adstrictum haeret, ut ab iisdem semet expedire nec sciat, nec possit, imo nec velit. Idcirco, nisi tu beneficam ei manum admoveas, omni procul dubio peribit. Nisi tu, o divine Medice, opportuna malis meis remedia applicueris, infirmus morior, aeternumque morior. Sed non es ex illorum numero medicorum, quos medicina destituit. Idem tibi est, aegrotum sanare, ac mortuum suscitare. Tu es medicina et medicus; tu salus et vita nostra. Inspira mihi praeprimis odium adversus propriam voluntatem meam. Fac me nosse quod falsum est, et viam veritatis prosequi.“ *Palafox.*

Illumina me, Salvator, ut agnoscam imbecillitatem meam et sequar voluntatem tuam. Tota rerum universitas tuis obtemperat nutibus; ecur ego tibi non obediam? Tuum est imperare, Domine! meum est imperata facere. Dic etiam mihi, sed efficienter dic, quod olim infirmo ad piscinam jacenti dicebas: *Surge, et am-*

bula. Praesta, quaeso, per gratiam tuam, ut ab inveterato languore meo surgam, torporem meum excutiam, et in via virtutis alacriter ambulem usque ad optatissima beatorum domicilia. Amen.

FERIA IV.

Qualiter confiteris, sacerdos? 1) Ante conf. qualis fides — motiva — praeparatio? 2) In conf. qualis accuratio — sinceritas — contritio? 3) Post conf. qualis gratiarum actio — poenitentiae impletio — custodia pro futuro?

PRECES ANTE MISSAM.

Firmissime credo, Domine Jesu Christe, te esse Unigenitum Altissimi, Deum verum de Deo vero, per omnia Patri tuo coaequalem. Una cum omnipotente Patre tuo usque modo operaris, singulasque creaturas quotidiana providentia tueris, foves atque gubernas. Tu es Verbum illud aeternum, per quod omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Tu es Bonum illud, per quod bona sunt omnia; Perfectum illud, per quod perfecta sunt omnia; Pulchrum illud, per quod pulchra sunt omnia. In sole nos illuminas, in stellis nos delectas, in igne nos foves, in aqua nos reficis, in pane nos nutris, in floribus nos recreas, in aura nos refrigeras, in terra nos sustentas. Tu es Verbum illud incomprehensibile, quod comprehendit omnia; invisibile, quod videt omnia; indivisibile, quod jungit omnia; Verbum immobile, quod movet omnia; immutabile, quod mutat omnia; increatum, quod creat omnia. — Talis et tantus cum sis, o Domine Jesu! omnem tibi debemus adorationem et obedientiam.

At insipiens ego quomodo parui tibi? Heu! quousque crevit malitia mea! Te saepius inhonoravi, violando legem tuam et innumeras admittendo negligentias. Ad iracundiam te provocavi misere prolapsus, rursum mihimetipsi crucifigens te Filium Dei, tuumque sanguinem quasi pedibus conculcans.

„Ah! cur me creare voluisti, Domine Deus? Nonne melius erat, o bone Jesu, ut non essem, quam ut creatus te crucifigerem? — Cur non proprias carnes meas comedo prae dolore? Aut quare me non interficit omnis creatura? Clamant contra me creaturae tuae et dicunt: Venite, disperdamus hominem, qui tot injuriis affecit Creatorem nostrum. Unde suo modo clamat terra: Quare hunc nequissimum sustineo? Dicit aqua: Quare ipsum non suffoco? Dicit aër: Quare ei non deficio? Dicit ignis: Quare ipsum non comburo? Dicit mala bestia: Quare eum non dilacero et devoro? Dicit infernus: Quare eum non absorbeo vivum? — Heu miserum me! quid faciam? quonam ibo? Omnia contra me sunt armata, contra me, qui creaturis toties abusus sum et te Creatorem meum offendi. Quid ergo faciam? quo me vertam? ad quem recurram, nisi ad teipsum, o Creator omnipotens, qui plangentes respicis et poenitentes benigne suscipis?“ *S. Laur. Just.*

En igitur, amantissime Jesu! pedibus tuis advolutus imploro misericordiam tuam, ut benigne mihi condones peccata mea, de quibus sincerissime doleo. Nunc autem nomine totius Ecclesiae progredior ad aram tuam, oblaturus sacrificium laudis ad honorem adorandae Majestatis tuae; in memoriam sacratissimae incarnationis ac mortis tuae; in gratiarum actionem pro beneficiis tuis; in satisfactionem pro peccatis nostris; et ad impetrandam nobis necessariam opem tuam. „Domine Jesu!

cum tu sapientissimus ille rerum omnium opifex sis, qui mortales e nihilo condidisti, ac propterea spiritum, quem ducimus, bonitati tuae referendum esse profiteamur: hoc nos potissimum in votis habemus, ut eandem, qua hucusque in nos usus es, beneficentiam nobis omnibus etiam deinceps exhibere digneris" [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Quo me abscondam a facie tua, Domine Deus meus, Creator et Redemtor meus? Undenam mihi tanta cordis durities, ut ad tantae Majestatis praesentiam nec contremiscam toto corpore, nec imbre lacrymarum diffluant oculi mei? — Undenam mihi tanta temeritas, ut inutilis ego servus tuus, miserrimus ego peccator, iterum accesserim altaris tui mysteria? — Indignus utique sum, qui pronuntiem terribile nomen tuum, in quo omne genu flectatur. Quam insensatus ego homuncio, qui sine metu et tremore, sine devotione ac reverentia, purissimam Celsitudinem tuam impuro corde meo suscipere ausus sum! — O Verbum misericors! ab infinita bonitate tua supplex deposco temeritatis meae veniam, et omni qua valeo religione adoro te Creatorem potentissimum, te Salvatorem benignissimum. Te summo caritatis affectu complector, Amor mi! te diligo super omnia creata. *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema!* Morte dignissimus est, quisquis in alio aliquo gloriatur, quam in te, qui omnia creasti propter te. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis; qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur.*

[1] S. Ephraem.

„Ego autem, opus manuum tuarum, Domine, confitebor tibi in timore tuo, quia non in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me, sed dextera tua et brachium tuum et illuminatio vultus tui. Spes mea tu es, Domine, qui creasti ac redemisti me, quoniam non derelinquis sperantes in te. Tu es Dominus Deus noster, in misericordia disponens omnia. Tu nosti figmentum nostrum, Domine Deus noster! Num, o Deus fortissime, contra folium, quod vento rapitur, ostendere vis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris? Num damnabis, o Rex Israël aeterne, canem unum? an damnabis pulicem unum? Si vis, potes me salvare: ego autem, etsi vellem, non possem. Magna nimis est multitudo miseriarum mearum: velle quippe adjacet mihi, perficere autem non invenio. Velle, quod bonum est, non possum, nisi tu velis; nec, quod volo, perficere possum, nisi tua me potentia confortet. Imo, quid velim et possim, ignoro, nisi tua me sapientia illustret. Et quamvis etiam sciam, quandoque volens, quandoque valens: imperfecta tamen et vacua transit sapientia mea, nisi adjuvet me vera sapientia tua. In tua autem voluntate cuncta sunt posita, et non est, qui possit resistere voluntati tuae. In me itaque semper fiat voluntas tua, ne pereat hoc nobile plasma tuum, quod creasti propter honorem tuum.“ *S. Aug.*

„Benignissime Domine Jesu Christe! altissimi Patris altissime Fili, qui cum eodem Patre tuo et Spiritu sancto universitatis creator existis; cui nota sunt omnia, antequam fiant: tu nosti, quam infirma sit et fragilis anima mea, et ejus delicta a te non sunt abscondita. Te vero plasmatorem meum esse agnosco. Fecisti me, quando tibi placuit; et tamdiu in hac vita ero, quamdiu tibi placuerit, nec, quousque tibi placeat, ulla vis me hinc

expellere poterit. Et quia certissime scio, quod ita sit, hoc super omnia immensam Bonitatem tuam deprecor, ut (qualitercunque mihi eveniat, dum vivo) saltem vitae dies bene finiam ac pie moriar, omnibusque peccatis meis per veram poenitentiam dimissis, ad visionis tuae gloriam pervenire valeam, propter quam me creasti ac redemisti. Qui vivis." *S. Anselm. Cantuar.*

FERIA V.

Proposita non servata: 1) magnum damnum in vita; 2) magnus dolor in morte; 3) magna confusio in judicio; 4) magnus cruciatus in inferno.

PRECES ANTE MISSAM.

Prosterno me coram infinita Majestate tua, Domine Jesu Christe, Veritas aeterna, tibique debitum praesto homagium. Te humiliter adoro, et intellectum meum omnibus submitto veritatibus atque doctrinis, quas hominibus revelare dignatus es. Credo, quidquid docet ac credit Ecclesia romano-catholica. Et, cum illius sit, explicare genuinum sacrae scripturae sensum: omnia suscipio, quae illa probat; et omnia damno ac improbo, quae illa rejicit. Indubie credo, Fili Dei, te venisse in hunc mundum, ut tua nos doctrina imbuas, vita erudias, morte redimas, gratia fulcias, tandemque coelesti gloria summe beatos reddas. Omnem fidem tribuo tam verbis tuis, quam sacris utriusque testamenti libris ab Ecclesia comprobatis. Traditionibus insuper apostolicis et antiquorum Patrum auctoritate convictus credo firmissime, teipsum in altaris sacramento

realiter adesse, atque inter sacrificandum per ipsa verba tua panem et vinum substantialiter transmutari in sanctissimum corpus et sanguinem tuum.

Valde quidem nunc cupio, divinam adire mensam tuam, o Jesu delectabilis! at propria indignitas inde me procul abigit. Quid ergo faciam miser ego peccator? Si recedo a te, Domine, a vita recedo; dixisti enim aliquando Judaeis: *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Ecce, mi bone Jesu! volo, avidissime volo venire ad te, ut vitam habeam in me. Fidenter adibo altare tuum, ut comedam panem vitae aeternae et bibam calicem salutis perpetuae. Parasti in conspectu meo mensam, ubi teipsum mihi praebes manducandum. Et quamvis omnia timenda sint mihi de me, omnia tamen mihi speranda sunt abs te, Jesu clementissime, cujus immensa bonitas mirum quantum excedit malitiam meam. Quantopere diligas homines, illa declarasti asseveratione: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

Jam nunc vado, curro, festino ad te, Domine, ut habeam vitam aeternam. Anima mea tot inter mala praesentis vitae hoc solum habet bonum, hoc unicum solatium, ut quotidie comedat sacrosanctum corpus tuum et bibat pretiosum sanguinem tuum; tali namque recreata cibo et potu daemones expugnat, vitia declinat, mundi blanditias superat, carnem domat, cupiditates refrenat, divitias calcat, crucem amat, tranquille mortem exspectat, quia vitam sperat aeternam. Admitte me igitur, amantissime Salvator, ad dulce convivium tuum, et emunda cor meum ab omnibus vitiorum maculis, quo decentius offeram augustissimum altaris sacrificium pro mea et aliorum salute. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Grato animo demiror immensam bonitatem tuam, o Jesu liberalissime, qui denuo me refecisti pretiosa vitae alimonia. Nullus dubito, quin nunc corporaliter adsis in corde meo. Sed quid agam modo, quidve dicam, bone Jesu? Qua ratione meam tibi gratitudinem demonstrare potero? — Perfecta morum emendatio certissimum erit grati animi mei signum. Ita sane, pro tuorum compensatione beneficiorum nihil aliud a me requiris, quam ut majore sollicitudine declinem illud vitium N. atque majore studio amplectar illam virtutem N. — En, Amor mi! ratum fixumque mihi est, deinceps id praestare, quod a me requiris. Cum autem ex meipso nec effugere vitia, nec colere virtutes possim, tuam imploro gratiam, misericordissime Jesu! Tibi soli, cujus interest pugna mea, hanc ipsam enixe commendo, et a te solo plenam spero victoriam. Fac, ut etiam ego, sicut olim Praecursor tuus, sim *lucerna ardens* amore *et lucens* pietatis exemplo. Dixisti Judaeis: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Da mihi, quaeso, profundiorem animi demissionem, ne gloriam inanem quaeram ab hominibus.

„Domine! nihil sum, nihil possum, nihil boni ex me habeo, sed in omnibus deficio et ad nihil semper tendo; et nisi a te fuero adjutus, totus efficior tepidus et dissolutus. Tu autem, Domine, semper idem ipse es et permanes in aeternum, semper bonus, justus et sanctus; bene, juste ac sancte agens omnia et disponens in sapientia. Sed ego, qui ad defectum sum magis pronus, quam ad profectum, non sum semper in uno statu perdurans, quia septem tempora mutantur super me. Verumtamen cito melius fit, cum tibi placuerit, et ma-

num porrexeris adjutricem. „Gratias tibi, unde totum venit, quotiescunque mihi bene succedit: ego autem vanitas et nihilum ante te, inconstans homo et infirmus. Undenam ergo possum gloriari? numquid de nihilo? Et hoc vanissimum est. Vere inanis gloria, vanitas maxima, quia a vera trahit gloria et coelesti spoliat gratia. Dum enim homo complacet sibi, displicet tibi; dum inhiat laudibus humanis, privatur veris virtutibus. Est autem vera gloria et exultatio sancta, gloriari in te, et non in se; gaudere in nomine tuo, non in propria virtute. Laudetur nomen tuum, non meum; magnificetur opus tuum, non meum. Benedicatur nomen sanctum tuum: mihi autem nihil attribuatur de laudibus hominum. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei. In te gloriabor et exultabo tota die; pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Quaerunt Judaei gloriam, quae ab invicem est: ego hanc requiram, quae a Deo solo est. Omnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, aeternae gloriae tuae comparata, vanitas est et stultitia. O Veritas mea! o Misericordia mea! Deus meus! tibi soli laus, honor, virtus et gloria per infinita saecula saeculorum. Amen" [1].

FERIA VI.

Sacerdotis aegroti pericula: 1) patientiam facile perdit; 2) familiarius agit cum famulis impr. feminis; 3) negligit disponere domui suae, recipere sacramenta etc.

---

[1] Imitat. Chr. l. III. c. 40.

PRECES ANTE MISSAM.

Suavissime Jesu, *fidelium salus infirmorum*, qui tantam olim miseris hominibus praestitisti benevolentiam, ut ingens saepe languentium multitudo ad te undique convolaret atque turmatim irrueret in te, vestem tuam tangendi causa: ecce, tuus ego sacerdos, diversis onustus plagis, accedo mensam tuam divinam, suscepturus ibi sanctissimum tui corporis et sanguinis sacramentum, ceu praestantissimum contra infirmitates meas remedium. Firmiter et absque minima dubitatione credo, amantissime Jesu, per saluberrimam hanc refectionem ita me provisurum necessitatibus meis, ut, animi viribus inde restauratis, alacrius incipiam currere viam mandatorum tuorum. Scio insuper, incruenti sacrificii oblationem multum prodesse credentium saluti.

Verumtamen, quomodo miserabilis ego peccator iterum mihi tantum sumam, ut tremendum altaris mysterium conficiam? Eccur ausim ego, te foedis tangere manibus et foedioribus suscipere praecordiis? Metuo, Domine Jesu, nec absque causa metuo, ne forte gravissima te afficiam injuria, si tam frequenter ac irreverenter introducam te in hoc cordis mei ergastulum. — Nihilominus istum mihi metum, si non penitus adimit, saltem attenuat immensa misericordia tua, in qua spem omnem locatam habeo. Infirmus ego et miserabilis homuncio fidenter recurro ad te, fidelium salus infirmorum! Ipsemet dixisti, Domine, quod non indigeant valentes medico, sed male se habentes. Tu es ille medicus, omnipotens aeque ac clemens, qui non solum aegros innumeros ex integro sanasti, sed (quod amplius admirandum) caecos etiam ac claudos, pauperes et debiles invitasti ad coenam tuam magnam. Ecce

ego quasi unus ex illis. Admitte me (precor) ad divinum istud epulum, neque me servum tuum afflictum aditu prohibe. Ubinam alias solatium vel remedium quaeram in aerumnis meis, nisi apud divinam mensam tuam? Ibi famulis tuis infirmis saluberrimum medicamentum, cibum vere pretiosum, teipsum porrigis manducandum. Eapropter omni cum fiducia progredior ad aram tuam, sanctum missae sacrificium peracturus.

„O dulcissime et amantissime Domine Jesu Christe! Fili Dei vivi! suscipe propitius hanc commemorationem amarissimae passionis ac mortis tuae, quam ego indignus famulus tuus tibi Salvatori meo gratae memoriae causa offero, ob infinitae misericordiae tuae magnitudinem, quam toti humano generi, non ob nostra quidem merita, sed ex sola tua bonitate clementer impertiri dignatus es, pretiosissimum sanguinem tuum in salutem nostram effundendo. Tuam insuper clementiam, o benigne Jesu, toto cordis affectu invoco, ut per merita passionis et mortis tuae omnes iniquitates nostras deleas, a malo nos avertas, in bono confirmes, ac corda nostra ad te dirigas, ut tui memoria nunquam nobis excidat. Precor etiam, ut toti credentium coetui pacem ac concordiam, regibus et principibus christianis unanimem in religione consensum, in conservanda pace publica constantem animum, et contra omnes tui nominis hostes gloriosam victoriam, vivis omnibus gratiam et misericordiam, fidelibus autem defunctis requiem aeternam, et mihi misero peccatori post hujus vitae curriculum vitam et laetitiam sempiternam clementissime largiri digneris“ [1]. Memento NN.

---

[1] Ex Manuali Joan. Suicard. Ep. Mogunt.

PRECES POST MISSAM.

Domine Jesu Christe, misericors animarum medice, fidelium salus infirmorum! te praesentem in corde meo supplex adoro, meque humiliter sub arbitrium et imperium tuum subjicio. Timore quidem afficior ingenti, dum Majestatis tuae considero magnitudinem. Attamen infinita clementia tua mirifice laetificat animam meam. Te olim in terris cum hominibus conversantem *secuti sunt multi*, variis afflictati morbis et infirmitatibus: et omnes sanasti. Dulcissima est mihi haec praesentia tua, bone Jesu! Summo repletus gaudio gratias ago tibi pro isthac benignitate tua, qua me servum tuum infirmum sic visitas, sic consolaris, sic recreas, sic corroboras.

„Ego, Domine, per gratiam tuam (quid enim possum sine illa?) et meam agnosco miseriam, et tuam imploro misericordiam. In conspectu vulnerum tuorum plagas meas exhibeo; in conspectu tormentorum tuorum reatus meos profero. Ecce Homo-Deus! hunc intuere hominem, totum vulneribus laceratum: et sana ipsum. Intuere hunc hominem jamjam mortuum: revoca eum ad vitam novam. Intuere hominem hunc miseriarum gurgite absorptum: subleva eum. Aspice hunc terrae limum, manibus quidem formatum tuis, sed deformatum manibus meis: eumque in statum pristinum restitue. Cum fiducia spero salutem meam, quia tu potens es infirmitatem meam expellere. Spem mihi facit immensa bonitas tua, quae culpis meis compatitur et ad bonum me inclinat.“ *Palafox.*

Sció, Domine Jesu, te semper esse misericordem erga nos Salvatorem, sive nos oblectes prosperis, sive castiges adversis. Tua est misericordia, quae per af-

flictiones externas, velut per amaras medicinas, hominem interiorem sanat, nosque per calamitates transitorias ad aeterna praeparat gaudia. Non aliam nobis ad coelum ostendisti viam, nisi viam crucis. Effice, precor, o Medice divine, salus infirmorum, ut ego de manu tua passionis calicem libenter accipiam, obedienter bibam ac constanter usque ad faeces exhauriam. Naturae quidem humanae molesta sunt et gravia isthaec incommoda: sed tu multo graviora pro me tulisti; et mihi longe graviora debentur supplicia. Cur itaque casibus adversis tantopere commovear ego, qui te salutis auctorem et adjutorem habeo? Tu, velut ille Samaritanus misericors, vulneribus meis et afflictionis vinum et consolationis oleum infundis, ut alterum sanitatem afferat, alterum acerbitatem minuat.

Jesu! benignissime Salvator! *haec mihi sit consolatio* (Job. 6.) *ut affligens me dolore non parcas.* Duplica mihi plagas (siquidem has animae meae saluti prodesse noveris), sed duplica mihi pariter auxilium et donum patientiae. *Quae est enim fortitudo mea, ut sustineam... patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea aenea est. Ecce, non est auxilium mihi in me.* Tuam igitur opem imploro, bone Jesu! fac, obsecro, ut omnes aerumnas aequo feram animo, quo citius tibi, quas debeo, poenas meorum facinorum solvam. Si divinae tuae bonitati subinde placuerit, ut, discussa rerum mearum caligine et tempestate, serenior affulgeat dies: tunc effice, precor, ut tibi utroque nomine gratias agam, nempe quod inutilem me servum castigatione clementer emendaveris, et quod hujus castigationis amaritudinem dulcedine consolationis tuae mitigaveris; ibi videlicet rationem habens necessitatis, hic autem infirmitatis

meae. — Domine Jesu, fidelium salus infirmorum! miserere omnium nunc aegrotantium ac cum morte luctantium, eisque necessarium praebe solatium et auxilium ad dolores suos patienter tolerandos. Largire nobis omnibus gratiam tuam efficacem, ut innumeras exilii nostri miserias aequanimiter feramus, per omnes hujus peregrinationis angustias fortiter transeamus, et tandem ad coelestem patriam, ad intimam tecum unionem feliciter pertingamus. Amen.

SABBATO.

Jesus committit nobis sacerdotibus: 1) sua (verbum, sacramenta etc.); 2) suos (animas, impr. parvulos, aegrotos, poenitentes); 3) seipsum (in ss. sacramento). Quomodo ista servas, administras?

PRECES ANTE MISSAM.

„Agnosco, potentissime ac benevolentissime Creator et Deus meus, quia *manus tuae fecerunt me* (Job. 10.) *et plasmaverunt me totum in circuitu: pelle et carnibus vestisti me; ossibus et nervis compegisti me; vitam et misericordiam tribuisti mihi.* Adhuc jacerem in abysso nihili mei, ignorans et ignoratus, et quovis contemtibilior vermiculo, nisi gratuita benevolentia tua conditus essem, qua me ante mundi constitutionem prae tot nobilissimis, quae fieri poterant, creaturis complexus es. Quemadmodum mater dilecti filii sui imaginem omnibus etiam regum, quantumvis magnificis imaginibus praefert, amore magis suo, quam rei dignitate: ita, o Deus meus, me sentio amari a te procreatum ad imaginem tuam. *Adhaereat lingua*

mea faucibus meis, si non meminero tui: si oblitus fuero tui, oblivioni detur dextera mea. Tu linguam, tu dexteram, tu sensus et potentias omnes tribuisti mihi. Tibi omnis ex iis fructus debetur ut universorum Domino. Ad me nihil spectat praeter abyssum nihili, quam solam retineo, si tuis me bonis tamquam indignum spoliaveris. O mi Deus! eo me inter tot creaturas extulisti, ut universas usu rationis destitutas longe post me relinquam, atque creaturis immortalibus quoad animam accensear, quin ipsos etiam Angelos hac praerogativa superem, quod non solum ad imaginem tuam creatus sim, sed etiam quoad corpus *conformis factus fuerim imagini Filii tui.* Ergone tanta poterat in Unigenito tuo inveniri caritas, tam profunda demissio, ut semetipsum exinaniret, formam servi accipiens, ne quid esset, in quo ille mihi, aut ego illi essem dissimilis? O mi Deus! quid est homo, quod ita memor es ejus, aut filius hominis, quoniam ita visitas eum? Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Sed, Domine Deus! quantum illud est beneficium tuum, quod me Christianum effeceris, tot millibus hominum praetermissis! Isthoc certe beneficio et priora complecteris omnia, et nova in dies adjicis, dilectis a te filiis praestari solita. Hos enim in Ecclesiae gremio congregas, super quos signatum est lumen vultus tui." *Jacob. Maseni.*

Inter omnia vero beneficia, quae dedisti mihi, Domine Deus, illud facile primum ac summum est, quod ad excellentem sacerdotii dignitatem extuleris ingratum me peccatorem, ita ut adoranda mysteria quotidie sint in manu mea. Pro tot tantisque beneficiis, o Pater liberalissime! pro tali benevolentia tua quod rependam, in meipso nihil dignum invenio. *Dominus retribuet*

pro me: Jesus Christus, unigenitus Filius tuus, ad aram hodie immolandus a me, dignas tibi laudes rependet pro me. Suscipe, sancte Pater, eucharisticum hoc sacrificium in gratiarum actionem pro universis beneficiis, quibus omne genus humanum, praesertim Ecclesiam catholicam, in hunc usque diem exornasti et in posterum exornabis. Offero tibi propitiatoriam hanc victimam in expiationem omnium culparum ac negligentiarum nostrarum, quibus toties offendimus amabilissimam Majestatem tuam. Largire nobis per hujus oblationis merita gratiam tuam efficacem, ut deinceps a vitiis abstineamus et omni studio virtutem complectamur. Da nobis sacerdotibus, ut *per patientiam* (Hebr. 12.) *curramus ad propositum nobis certamen*, ac constanter odium mundi sustineamus, aspicientes in summum sacerdotem nostrum Jesum, qui, Judaeis caecis invisus, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Auxiliare sacris curionibus et Ecclesiae ministris, ne unquam manus suas exarescere, aut desidia vel otio marcescere patiantur, sed ut laborem unum ex alio capiant ad promovendam nominis tui gloriam et immortalium animarum salutem. Miserere Judaeorum, paganorum ac haereticorum, quorum super caecitate merito contristatur pia mater Ecclesia. Aperi horum infidelium oculos, ut errores suos agnoscant et abjiciant, ut e tenebris in fidei lucem emergant et ad coetum recte credentium extemplo redeant. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Quam felix ego! quam beatus sum! — Jam mecum habeo, quem desideravi, quem quaesivi, quem anhelavi. Amorem meum possideo, dilectum meum teneo, Jesum

meum arctissime complector. — O Salvator amantissime! o Deliciae meae! o bone Jesu, qui teipsum mihi donasti, nunc insuper adde perfectissimam caritatem, ut te super omnia diligam tibique firmiter ac inseparabiliter adhaeream. Vehementiores in me dilectionis tuae flammas accende. Nihil enim desiderabilius, dulcius nihil nihilque jucundius, quam indesinenter ardere sacro tui amore. Utinam mihi daretur, amore tui semper aliquid agere, semper aliquid pati, donec immoriar amori tuo! Utinam efficere possem, ut universi mecum mortales ex totis viribus te diligerent, tandemque prae amoris sacri vehementia mortem oppeterent!

„Qui non amat Dominum Jesum, anathema sit! Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere. Et qui tibi non sapit, desipit; et qui non curat esse nisi propter te, pro nihilo est et nihil est. Propter temetipsum, Deus, fecisti omnia: et qui esse vult sibi et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. Te Deum timere et mandata tua observare, *hoc est omnis homo;* et absque hoc nihil est omnis homo. Inclina tibi, Deus, modicum id, quod me dignatus es esse; atque de misera vita mea suscipe (obsecro) residuum annorum meorum. Pro his vero annis, quos vivendo perdidi, quia perdite vixi, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. Dies mei sicut umbra declinaverunt et praeterierunt sine fructu. Deus! tu scis insipientiam meam: nisi quod hoc ipsum fortasse sapere est, quod et ego illam agnosco, et quidem ex munere tuo. Pro hoc igitur ita diligo te, quantum possum. Sed est, quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia te reddit amabilem mihi, Jesu bone, calix ille, quem bibisti, opus redemtionis nostrae.“ *S. Bernard.*

Calix autem sanguinis tui, Domine, quem mihi hodie bibendum dedisti, amorem meum arctius stringit, blandius allicit, justius exigit, vehementius accendit. Quare non vicissim diligam te, qui semper dilexisti me? Erravi, sicut ovis, quae perlit; et cecidi in foveam peccatorum. Tu autem me tenuisti, levasti, misericorditer extraxisti. Satis equidem agnosco, quantum amoris tibi debeam; at cum solvendo non sim, unicum mihi restat desiderium, majore semper atque majore caritatis affectu prosequendi te. Ah, quandonam inchoabo perfectissimam dilectionem? Quandonam mihi adveniet regnum coelorum, ubi te videbo facie ad faciem? Quandonam inclinabitur umbra mortalitatis meae? quandonam erit sabbatum aeternae quietis meae? Forsan brevi. Certe *breves dies hominis sunt*, si cum aeternitate comparentur. Nunquam ergo feriabor a laboribus sacris, sed quodcunque facere potest manus mea, instanter operabor. Domine Jesu, qui olim manum hominis aridam sanasti: fac, ut et ego manus meas extendam ad pauperes, ad preces, ad labores utiles. Ne autem, miserrimae vitae hujus taedio fractus, ab officii religione discedam aut declinem, consolare me saepius, o Amor mi! et in omni labore mihi semper adesto. Qui vivis.

DOMINICA IX. POST PENTEC.

Sunt triplicis generis lacrymae: 1) peccaminosae; 2) inutiles; 3) salutares. Quaenam tuae?

PRECES ANTE MISSAM.

Lugens ac intime dolens de tot iniquitatibus, quae

grassantur in orbe christiano, rursus accedo ad thronum misericordiae tuae, Domine sancte Pater! tibique super altari tuo suppliciter offero victimam propitiatoriam pro peccatis propriis et alienis. *Deus meus, confundor et erubesco* (1 Esdr. 9.) *levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostrae multiplicatae sunt super caput nostrum; et delicta nostra creverunt usque ad coelum, a diebus patrum nostrorum: sed et nos ipsi peccavimus graviter usque in diem hanc.* Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit. Agnosco, misericordissime Pater, eandem nobis deberi poenam gravissimam, quam Judaei obcaecati per tot jam saecula sustinent. In satisfactionem pro delictis nostris offero tibi dilectum Filium tuum, qui olim misericordia motus flevit super civitatem Jerusalem. Per ejusdem Unigeniti tui merita, per pretiosum ejus sanguinem in cruce profusum, obtestor te: *Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des haereditatem tuam in opprobrium.* Tuere dioecesin et patriam nostram a seditionibus, a peste, fame et bello; ne forte per ejusmodi malorum incursiones abducamur a servitio tuo.

Miserere, quaeso, Pater amantissime! miserere tot nationum, tot urbium ac regionum, quae in densa caligine, in errorum tenebris, in luctuosa rerum perturbatione jacent. Propitius esto peccatoribus protervis, et aufer ab oculis eorum malitiae velamen, ut miseriam suam videant ac cognoscant in hac die, quae ad pacem illis. Scinde corda eorum, Omnipotens, quo velocius festinent per opera poenitentiae mitigare iram tuam, inhibere vindictam tuam et intentatam propulsare perniciem. — Tandem me quoque clementer respice, bone Pater! et secundum magnam misericordiam tuam parc

peccatis meis, quae utinam sanguineis deflere possem lacrymis! Ah, ne projicias me a facie tua, sicut ingratos projecisti Judaeos; sed miserere mei, Deus, et omnes iniquitates meas dele.

„Concede, Pater aeterne, ut fratres meos sincere diligam. Da mihi cor humile, cor contritum et immaculatum; da cor prudens et sacro ardore aestuans, cor de fratribus bene sentiens. Da mihi cor de aliorum peccatis et afflictionibus dolens; da cor flens cum flentibus. Scinde cor meum saxeum tua potenti virtute, altiusque penetra tua suavi unctione, reddens illud adeo molle ac tenerum, ut ex commiseratione calamitatis alienae resolvatur, et ex recordatione inenarrabilis dulcedinis tuae colliquescat. Lugeant praecordia mea diu noctuque propter vulnera animae meae et propter innumerabiles aliorum iniquitates. Oculi mei, tua visitatione perculsi, deducant fontem aquae placide manantem ex amore tui et proximi mei. Concede mihi donum lacrymarum, quo beatos patres nostros effusissima liberalitate perornasti. Fave, Domine Deus, votis meis; et terram cordis meis sterilem atque aridam converte in fertilem atque irriguam. Ecce, ego pro ejusdem cordis mei odiosa duritie humiliter offero tibi, Pater, cor Unigeniti tui et commiserationem ejus gratissimam, quae cordis mei duritiam expiet et te mihi reconciliet, Pater clementissime!“ [1] Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Recens hoc beneficium, quo me rursus obligasti, Domine Jesu, novum mihi ac certissimum est tuae in

[1] Ludov. Blosi.

me benevolentiae argumentum. — Qui fieri potest, amabilissime Salvator, ut infinita bonitas tua toties et tam graviter offendatur ab hominibus? utinam nefas istud impedire possem! At quia mihi deest facultas id praestandi, praeopto mori, quam videre mortalium improbitatem atque perniciem. Protestor coram te, Domine Jesu, magno me dolore cruciari, quoties audio vel video, violari ac conculcari legem tuam. Et quia sincere cupio, ut ab omnibus creaturis sanctificetur nomen tuum, ideo (si occasio tulerit) docebo iniquos vias tuas, ut impii ad te convertantur. Tuo confirmatus auxilio pro emendandis improborum moribus orabo, plorabo, laborabo et agonizabo usque ad mortem, secundum exemplar tuum, o bone Jesu, qui videns olim civitatem Jerusalem flevisti super illam; et in cruce pendens pro nobis peccatoribus Patrem deprecatus es *cum clamore valido et lacrymis*. Obsecro te, Domine, per illas oculorum tuorum lacrymas, ut clementer abstergas delictorum meorum maculas, perenni lacrymarum imbre dignissimas.

„Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Cognosco, Domine, iniquitatem meam; sed ex parte solum cognosco, non sicut tu cognoscis, neque sicut ego cognitus sum a te Deo meo, cujus oculi sunt multo lucidiores sole, profundum abyssi et mortalium corda intuentes. Cor autem meum inscrutabile mihi, neque ego cognosco illud. Sed tu, Domine, qui cognoscis figmentum nostrum, tu cognoscis illud et iniquitatem illius; quam si et ego ita nude et aperte cognoscerem, sicut tu, cujus ante oculos omnia nuda sunt et aperta: certe erumperent lacrymae de intimis venis cordis mei, nec continere me possem, quin supe-

meipsum flerem, ne tu, Deus patientiae et solatii, super me iterum fleres, qui olim sub figura civitatis Jerusalem vidisti animam meam, et cognoscens iniquitatem meam, compatiendo flevisti super eam, dicens: *Quia si cognovisses et tu iniquitatem tuam, fleres;* adjiciens, quamdiu super meipsum flere deberem, cum mihi subsequenter dixisti: *Et quidem in hac die praesentis vitae tuae*" [1].

„O Jesu! o unica Spes miserorum, cui nunquam sine spe misericordiae supplicatur! hanc gratiam mihi praesta propter nomen sanctum tuum, ut, quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, vel preces et sacrificium offero, toties obortis lacrymis in conspectu tuo dulciter ac copiose fleam, ita, ut sint mihi lacrymae meae panes die ac nocte. Tu enim, virtutum omnium magister, verbo et exemplo docuisti nos gemere ac flere, dicens: *Beati, qui lugent.* Tu ipse lacrymatus es valde super civitatem perituram. Rogo te, bone Jesu, per illas tuas lacrymas et per omnes miserationes tuas, quibus tam mirabiliter perditis subvenire dignatus es: da mihi lacrymarum gratiam, sicut dedisti servis tuis, patribus nostris, quorum vestigiis insistere debeo. Propter merita et orationes illorum, qui tibi placuerunt, Domine, miserere mei, indignissimi servi tui, et da mihi gratiam lacrymarum, quia te quotidie in multis offendo propter nimiam fragilitatem meam" [2].

Misericordissime Jesu, qui obcaecatae illius urbis eversionem planxisti, largire nobis omnibus spiritum poenitentiae ac compunctionis, ut et propria et aliena lugeamus peccata. Dedecet enim, ut judice lacrymante rideant malefactores judicandi. Fac nos hisce

[1] Urban. III. Pap. [2] S. Laur. Just.

miserrimis temporibus flere et ab omni joco ac risu abstinere, ne illud obveniat nobis, quod comminatus es impiis, dicens: *Ego quoque* (Prov. 1.) *in interitu vestro ridebo.* Averte, bone Deus, terribile hoc malum a nobis, et adjuva nos, ut deinceps juste et pie vivamus in hoc saeculo, et tandem ex hac lacrymarum valle migremus ad aeterna coelestis patriae gaudia. Amen.

FERIA II.

Distrahimur in orationibus nostris plerumque: 1) quia animum non praeparamus; 2) sensus non custodimus; 3) passionibus etc. cor non occludimus.

PRECES ANTE MISSAM.

Aurem tuam, quaesumus, Domine Deus Rex universorum, precibus nostris accommoda, et votis populi tui dignanter annue. En devotionis nostrae hostiam immolamus tibi, Creator omnipotens! ante omnia gratias agentes pro efficacissima illa precandi formula, quam ipsemet Unigenitus tuus nobis tradere dignatus est. Edocti proin a carissimo Filio tuo, fidenter audemus dicere: *Pater!* qui nos perditos Adami filios ex infinita misericordia in filios tuos adoptasti; — *Pater!* qui nos vere paterno amoris affectu complecteris, foves, nutris, gubernas atque novis in dies beneficiis cumulas; — *Pater!* qui nobis, filiis tuis adoptivis haereditatem incorruptibilem in coelis praeparasti:

Sanctificetur nomen tuum. Ita, Domine sancte

Pater omnipotens! redde nos dignos, qui sanctum nomen tuum in cordibus nostris firmiter retineamus et in sanctissimo ~~altaris sacrificio~~ una voce magnificemus: ut, quemadmodum in coelis Angelorum chori collaudant divini nominis tui sanctitatem atque magnificentiam; ita et nos in terris pro modulo nostro sanctitatem tuam agnoscamus, laudemus ac conglorificemus.

Pater! *adveniat regnum tuum.* Cum abs te sit omne regnum et imperium, oramus te per hujus sacrificii merita, ut digneris per gratiam et caritatem tuam in cordibus nostris solus regnare, ac inimicorum impetum inde propulsare, quo fidelius tibi soli serviamus, et aliquando vita functi transire mereamur e regno gratiae tuae ad regnum aeternae beatitudinis, ubi sanctorum agmina te facie ad faciem intuentur et felicissima tecum societate sine fine fruentur.

Pater! *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Largire nobis omnia vitae praesentis ac futurae subsidia. Concede corporibus nostris mortalibus victum temporalem, et animabus nostris immortalibus cibum spiritalem. Da nobis et panem terrenum, et panem coelestem. Adjuva nos filios tuos, ut in templo tuo, in domo orationis, ad sacram mensam digne comedamus panem Angelorum, panem vivum, qui de coelo descendit et dat vitam mundo.

Pater! *dimitte nobis peccata nostra*, quibus ingrati nos filii multoties offendimus amabilissimam bonitatem tuam. Remitte nobis culpas nostras, *siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Ecce, veniam damus hostibus nostris, qui nos quocunque modo laeserunt ac contristarunt. Obtestamur te, bone Pater, per infinita Reconciliatoris nostri merita, per ejus sanguinem pretiosum, quem olim in cruce profudit, et hodie tibi

per manus nostras offert in altari: ignosce tam illis, qui nos offendunt, quam nobis, qui te offendimus, ut omnes impetrata peccatorum venia conveniamus in coelesti patria.

Et ne nos inducas in tentationem. Clementissime Pater! dirige gressus nostros in semita mandatorum tuorum, ne impingamus ad lapides offensionis, neve incidamus in adversariorum laqueos, quibus eo difficilius exsolvimur, quo facilius implicamur. Impertire nobis gratiam, ut omnia salutis pericula subterfugiamus. „Deus Pater noster, qui, ut oremus, hortaris; qui et hoc, quod rogaris, praestas: exaudi nos palpantes in his saeculi tenebris. Praetende nobis lumen tuum tuamque nobis dexteram porrige“ [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Nullus dubito, Jesu suâvissime, quin modo revera praesens sis in corde meo. Firmiter credo, te verum esse Deum verumque hominem, cujus et divinitati et humanitati conveniunt omnia, quae docet ac credit Ecclesia catholica. Credo, te meum esse Redemtorem, qui per incruenti hujus sacrificii virtutem omnium meritorum tuorum participem me fecisti. Prostratus igitur ad pedes tuos, amantissime Jesu, humiliter adoro te et ex animo tibi gratias ago pro infinita bonitate tua, qua miserum me peccatorem ad divinum altaris mysterium admisisti, ut esurientem animam meam sacratissima carne tua cibares et pretioso sanguine tuo potares.

Magnopere miror, Domine Jesu, quod tuis sacerdotibus teipsum ut *panem quotidianum* dare volueris.

[1] S. Aug.

An ergo satis non erat amori tuo, te aliquoties dumtaxat per annum habitare in nobis ac commorari nobiscum? Cur *hodie* et *quotidie* nobiscum arctissime conjungi desideras? Ubinam istud de te promeriti sumus? aut quid demum a nobis exspectare poteras? — Tua haec caritas quam longissime supergreditur angustos intellectus mei limites; et mens mea nequit investigare profundissimam tuae bonitatis abyssum.

Ex totis viribus amo te, Jesu dulcissime! Et utinam ardentius te diligerem! Vehementer doleo, quod tam parum hucusque te amaverim et tam raro mentem meam elevaverim ad te Deum meum. Acerbe doleo de omnibus negligentiis, quas unquam admisi in quotidianis precibus meis. — Nunc autem mecum constitui, deinceps inter precandum evitare mentis evagationes, et in missae sacrificio totum canonem, praesertim orationem illam, quam ipse docuisti nos, tardius attentiusque recitare.

Scio, Domine Jesu, pergratum esse tibi, si precibus assiduis fatigemus atque sollicitemus immensam bonitatem tuam. Verum quid ultra petam a te, cum adeo multum mihi jam dederis hodie, ut plus dare non potueris? Teipsum mihi donando dedisti omnia, Deus meus et Omnia! — Quidquid desiderare valeo, jam mecum habeo: summum possideo Bonum. Quid amplius petam ab inexhausta munificentia tua? — Num forsitan novam abs te gratiam efflagitem? — Id unum igitur a tua bonitate rogo, ut in me augeas tui amorem, peccati odium, virtutis studium atque precationum assiduitatem.

Bone Jesu, Magister divine! *doce me orare.* Nam eo plura abs te beneficia impetrabo, quo saepius, quo ardentius oravero. Orationis spiritum mihi largire,

ut abs te recte frequenterque petam, quae mihi necessaria sunt ad salutem mentis et corporis. *Doce me orare;* nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Nos quidem desideramus, sed tu das desiderare; nos oramus, sed tu das orare. Quin si gratiam orando impetraverimus, id ipsum inde est, quod orationes nostras, ut oremus, praevenias. Domine Jesu, qui pro hominum salute non modo multum laborasti, sed etiam multum orasti: quam possum maxime te oro atque obtestor, ut mihi ardentius precandi studium tribuas. Fac, ut tua vestigia sequar atque laborum precationumque vicissitudine utar, ne oleum et operam perdam, sed ut negotia mea felici concludam exitu. Amen.

FERIA III.

Considerans poenas animarum purgantium disce: 1) ipsis succurrere; 2) peccata etiam minima vitare; 3) hic poenitentiam agere, ne illic etc.

PRECES ANTE MISSAM.

Propitius intuere, Pater omnipotens, aeterne Deus, incruentum sacrificium, quod omni, qua decet, reverentia tibi hodie offerimus in signum obedientiae atque submissionis nostrae in supremum dominatum tuum, grata simul recolentes memoria patientiam et mansuetudinem, qua dilectus Filius tuus non dubitavit blasphemias sustinere Pharisaeorum, tandemque manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum. Clementer suscipe hanc immaculatam hostiam in gratiarum actionem pro innumeris beneficiis, quibus indignos famu-

los tuos assidue cumulas; maxime pro illa singulari misericordia, qua Unigenitus tuus caecos mutosque curavit, et deinceps Apostolorum ministerio tot paganos e daemonis potestate in libertatem filiorum tuorum vindicavit.

Quam felices sumus, qui Patrem adeo bonum in coelis habemus! Utinam et bonitatis tuae et dignitatis nostrae memores vitam egissemus innocentem! — At confitemur magnam et intolerabilem malitiam nostram. Cum vel otiosum verbum, quod locuti fuerint homines, usque adeo displiceat divinae Majestati tuae, ut illud in die judicii ad examen revocetur et debito mulctetur supplicio: quid faciamus nos miseri peccatores, qui toties te offendimus cogitationibus, verbis et operibus? Quo fugiamus a facie tua, Pater sancte? aut qua fronte ausimus intrare domum tuam ac comparere coram infinita sanctitate tua? —

Nihilominus animos nostros erigit Unigeniti tui effatum, dicentis: ***Omne peccatum remittetur hominibus.*** Singulis vere poenitentibus delictorum veniam tribuis, amantissime Pater! Hinc confidenter ingredimur domum tuam sanctam, oblaturi super altare tuum hostiam propitiatoriam in plenam expiationem omnium noxarum, quibus in dies nos ipsos adstringimus. Suppliciter itaque precamur immensam misericordiam tuam, ut incruentum hoc sacrificium benigne respicias nobisque placabilem te praebeas.

Per efficaciam hujus oblationis impertire nobis auxilium gratiae, Pater clementissime, ne unquam contristemus Spiritum sanctum tuum, in quo signati sumus in diem redemtionis; neque prolabamur in nefandum illud blasphemiae peccatum, quod ***non remittetur, neque in hoc saeculo, neque in futuro.*** Libera nos ab

omni crimine mortifero, ne cogamur locum dare diabolo. Gratiae tuae lumine collustra mentes caecorum heterodoxorum, ut ejuratis haeresum erroribus piorum Catholicorum communioni se reddant. Aperi simul ora mutorum, vecordium Ecclesiae ministrorum, qui, ut *canes muti* (Isai. 56.) *non valentes latrare*, nimiam subditorum licentiam et hostium insolentiam silentio dissimulant.

Denique supplicamus tibi, dulcissime Pater, per merita Redemtoris nostri Jesu Christi, qui olim nefandas Judaeorum blasphemias invicta tulit patientia: fac, ut etiam nos, secundum exemplar Unigeniti tui, quasvis impiorum contumelias aequo animo feramus. Praesta, quaesumus, ut temperemus a multiloquio et ita moderemur labia nostra, ne sermo malus, imo ne verbulum quidem otiosum ex ore nostro procedat, sed ut sermo noster semper in gratia sale sit conditus. Indulge fidelium animabus, quae propter inepta et otiosa verba, vel ob alias leviores noxas in igne purgatorio torquentur. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Mirabili rursum et delectabili modo junxisti me tibi, amantissime Jesu! Intima cordis mei penetralia denuo subintrare dignatus es, suavissime Hospes animae meae! — Veram mihi laetitiam affert eximia haec benevolentia tua, qua me complecteris. Exultat spiritus meus in te Deo Salvatore meo. Bonus es tu, et miserationum tuarum non est numerus. Obstupesco, mitissime Jesu, et jure demiror illam mansuetudinem atque patientiam tuam, qua nefarias aliquando Pharisaeorum blasphemias sustinuisti. Cur non illico fulmina de coelo

emisisti ad impios illos sternendos ac consumendos? Quare non e vestigio mandasti terrae, ut late hiscens devoraret blasphemos? — Sed quid ita Pharisaeis irascor ego, qui non multum absum ab illorum moribus? Post acceptam veritatis notitiam multiplicavi culpas atque negligentias. Et tamen adhuc in vivis dego, domum tuam obeo, de mensa tua comedo, et nova quotidie beneficia a te accipio.

Grates tibi, Domine, pro speciali hac clementia tua, qua tamdiu peccantem me sustinuisti. O si hanc caritatem tuam compensare, vel saltem in hoc et in altero saeculo aeternis laudibus extollere possem! — Jesu benignissime, qui olim caecum mutumque curasti: sana me mutum, ut intrepide loquar, quoties id honor tuus aut animarum salus exigit. Bone Jesu! redde me hominem bonum, ut de bono thesauro proferam bona; ut bene cogitem, bene loquar, bene faciam. Ne permittas, ut ad obscoenos sermones abutar lingua mea sacerdotali, quae toties tuo sacratur corpore tuoque rigatur sanguine. A periculosa quoque mentis caecitate sana me meosque omnes: aperi oculos nostros, ut clarius clariusque videamus superna, divina, spiritualia, coelestia et aeterna.

„Domine Jesu, qui lucem caeco illi reddidisti, pristinam nobis restitue mentis aciem, ut caduca hujus saeculi blandimenta, prout sunt in se, perpendentes, ab illis semper abhorreamus. Ad te pertinet, in pristinum nos restituere, ut ne lato quidem ungue discedamus a legibus tuis, et quia per libertatem, qua nos donaveras, honestatem reliquimus, per gratiam tuam ad rectum virtutis tramitem redeamus. Nec dubitamus, Domine, quin hoc futurum sit, cum nobis lumen tuum affulserit, cujus claritas eos etiam illustrare potest, quibus pec-

catum nihil sanitatis reliquit. Quodsi vulnera, quae nobis inflixit libertatis proclivitas, salutaria tua recusent pharmaca: te rogamus, benignissime Jesu, ut iis etiam praeter voluntatem nostram mederi velis. Nec istud a tua alienum est bonitate ac potentia, quae et alibi se ita mirabilem praestitit, ut hominibus id minus cogitantibus bonam mentem reddiderit. Daemoniacus ille caecus et mutus per te ad pristinam revocatus est valetudinem: nec tamen te requisierat, ut ad te accedens sanitatem peteret, nec oculorum lumine fruebatur, ut te cum turbis intueretur ambulantem. Praeterea mutus erat, ideoque sanitatem a te postulare non poterat. Nolentem itaque visitasti, non petentem sanasti, tui inscium curasti. O mirum sane tuae misericordiae opus! Te precamur igitur, ut ita se nobiscum gerat clementia tua, depravatamque voluntatem nostram respiciat, quae licet in flagitiis sic obduruerit, ut nequidem mentis sanitatem postulet: tu tamen a morbo aegram eximito, velut illum, cui non roganti sanitatem donasti perfectissimam." *S. Ephr.*

Jesu, Fili Dei, mirifice hujus mundi Opifex! omnia, quae fecisti magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro, inexplicabilia in Ecclesia tua, omnia haec fecisti in digito Dei, in quo etiam ejecisti daemonia. Eodem omnipotentiae tuae digito id omne de cordibus nostris deturba, quod displicet divinae Majestati tuae. Da nobis intellectum, qui te agnoscat; voluntatem, quae tibi adhaereat; memoriam, quae te cogitet; cor, quod te diligat; aures, quae te audiant; oculos qui te respiciant; linguam quae te magnificet; ut tandem illuc perveniamus, ubi coelites beati te clare conspiciunt et assidue collaudant. Amen.

FERIA IV.

Relabimur saepe in eadem peccata, quia: 1) non satis cognoscimus nos ipsos, peccati radices, causas etc.; 2) non meditamur peccati foeditatem, sequelas etc.; 3) non concipimus humilia et firma proposita; nec 4) apta adhibemus correctionis media.

PRECES ANTE MISSAM.

„Heu mihi, flagitiis innumerabilibus praegravato! Super numerum arenae maris multiplicata sunt delicta mea; et ab iis, velut a multis ferreis catenis, omnino incurvatus, non audeo sursum intueri altitudinem coelorum. Ad quem igitur confugiam, nisi ad te, Pater benignissime? Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Ad te confugio propter multam bonitatem et clementiam tuam. Te ad iracundiam provocavi; et nunc ad te ob magnam misericordiam tuam recurro. Te aspernatus sum; et ad te propter summam benignitatem tuam confugio, et obsecrans clamo: Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.“ *S. Ephraem.*

Clementissime Pater! ex flagitiorum meorum recordatione dolorem capio gravissimum. Detestor abominationes meas pessimas; et nunc coram adoranda Majestate tua firmissime statuo, sollicite praecavere, ne in priores incidam culpas. Omnem relapsum, omnem peccandi occasionem, tamquam pejus omni daemone monstrum evitabo. Ne autem innata levitate ab hoc consilio meo perfide resiliam, oppignoro tibi meam sanitatem, famam et vitam, ultro consentiens, imo et obsecrans, ut me gravi potius morbo, vel alia quacunque

calamitate opprimas, quam me patiaris in eandem improbitatem incurrere. Adhaereat lingua mea faucibus meis, obscurentur oculi mei, exarescant manus meae, rigeant pedes mei, obsurdescant aures meae; totum corpus meum contabescat prius, quam me permittas iterum ad tui offensam abuti sensibus meis. Sincerissime hanc a te gratiam efflagito, ut a graviori lapsu me serves, et ipso hoc momento me prius tollas e vivis, quam me denuo sinas immundorum spirituum habitaculum fieri.

„Obsecro te, adorande Pater Domini nostri Jesu Christi! respice ad orationem servi tui, quam tibi hodie per manus dilecti Filii tui humiliter repraesento. Da mihi veniam de omnibus culpis meis; neque subtrahas a me donum coelestis gratiae, neque gravioribus me patiaris adversarii tentamentis periclitari, neque perturbationum stimulis inquietari. Proba me, Domine, et tenta me, si noveris, mihi fore id utile: verumtamen animam meam serva, et fac cum tentatione proventum, ut queam sustinere. Verte mihi illud in salutis remedium et in amplioris gratiae incrementum, quod hostis ille dolosus paravit ad animae meae interitum. Adesto mihi tanto fortius et propius, quanto magis premor tribulationibus minusque habeo subsidii ab hominibus. Tu enim in omni angustia et necessitate permanes semper adjutor meus. Quodsi probandus fuero ac consolatione tua privandus ad tempus, fac me patienter id sufferre et totum onus meum tibi soli fiducialiter committere“ [1].

Pater amantissime! per incruenti hujus sacrificii virtutem enixe te precor, ut me meosque omnes, quorum mihi salus curae est, auxilio gratiae tuae sic cor-

[1] Ex Manuali Suicard. Ep. Mogunt.

roborare digneris, ne importunis adversarii suggestionibus ad priorem revolvamur insipientiam, unde nobis fierent posteriora deteriora prioribus. Praesta, quaesumus, per unigeniti Filii tui merita, ut, quidquid contra nos diabolicae aut humanae moliuntur insidiae, id omne funditus evertatur et in nihilum redigatur. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae. Perducito nos ad aulam tuam coelestem, ex qua communes hostes nostri sunt dejecti: et fac, ut mortalium beatitudo fidelium in confusionem rebellium transeat spirituum. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Fortitudo mea et refugium meum es tu, benignissime Jesu! ideoque miser ego tantum mihi sumsi, ut te rursum introducerem in domum meam, quamvis ea nec a vitiorum squalore satis mundata, nec condigno virtutum decore fuerit exornata. Temeritatis istius veniam a te suppliciter exposco, Domine Jesu! — Tot inter hostium infensorum machinas, tot inter laqueos et insidias, quid agere poteram miser, nisi confugere ad te, quem timent ac fugiunt adversarii nostri? Tu es unicum et tutissimum praesidium nostrum in omni tentatione. Hanc itaque nimiam confidentiam meam, quae propemodum in vitiosam abiit temeritatem, aequi bonique consulas, amantissime Jesu! —.

„Expurga cor meum, factum multoties spelaeum et receptaculum daemoniorum. Minime sum dignus, ut petam remissionem debitorum meorum. Saepius enim poenitentiam agere mecum constitui; at promissi fidem non praestiti. Saepius erexisti me, Domine! sed iterum relapsus sum. Ideoque sententiam fero contra meipsum

fateorque, me omni supplicio ac castigatione esse dignissimum. Quoties jam illuminasti tenebrosam mentem meam, et denuo in pejus cecidi? Spem tamen et arma salutis non abjicio. Ad te, Domine, levavi animam meam. Deus meus, in te confido, qui es misericors Dominus, longanimis et multum misericors. *S. Ephraem.*

„Per experientiam sentio in meipso, triplicem esse misericordiam tuam. Prima est, qua me et alios peccatores ad quaslibet offensas, quibus oculos tuae Majestatis offendimus, non continuo consumsisti, sed tamdiu suspendisti gladium ultionis, ut vere dicere possimus cum Propheta: *Misericordiae Domini* (Thren. 3.) *quia non sumus consumti.* Et haec quidem tua prima misericordia, si sola esset, mihi non sufficeret ad salutem. Ideoque mihi tuam secundam ac majorem misericordiam porrexisti, qua me peccatorem miserum (tibi, Domine, sit inde gratiarum actio et vox laudis) ad poenitentiam revocasti: neque enim, cum essem mortuus in peccatis, movere poteram pedem affectus mei, ut ad te redirem poenitendo, nisi tua me adjuvisset misericordia. Sed dum motus est pes meus, *misericordia tua, Domine, adjuvabat me.* Nec istis duabus misericordiis sum contentus: nam licet in se magnae sint, tamen parvae sunt comparatione magnae illius misericordiae tuae, quam insuper requiro. Abuti enim possem patientia misericordiae tuae primae; et pes meus, qui per misericordiam secundam movetur, ut ad te convertatur, iterum labi posset; et sic esset novissimus error meus longe pejor priore. Idcirco peto magnam misericordiam tuam, qua me ita robores, ut tuam clementiam de cetero non offendam. Et haec est illa misericordia tua magna, quam humiliter peto, qua non solum exspectas peccatores ad poenitentiam, sed etiam ita confirmas

poenitentes, ut amplius non labatur pes eorum." *Urban. III. P.*

Bone Jesu! protege me ab adversario, qui me continenter oppugnat. Redde me vigilem ac cautum, ut illius laqueos observem et effugiam. O quam pronum mihi esset cadere atque perire, si vel primum aditum in cor meum aperirem spiritibus immundis! — „Cor mundum crea in me, Deus, propter nomen sanctum tuum. Miserationibus tuis confisus oro, ut me ad compunctionem et ad perseverantem mandatorum tuorum observationem adducas; ne iterum in aliquod peccatum relabar, sed ut semper ex hoc tempore serviam tibi in sanctitate et justitia omnibus diebus vitae meae. Qui vivis." *S. Ephraem.*

FERIA V.

Nos sacerdotes imprimis veneremur B. Virginem: 1) quia tam arcte cum Christo, ejus sacrificio etc. connectitur; 2) quia similem cum nostra habet dignitatem similesque functiones: 3) quia tam necessaria nobis est ejus intercessio; 4) quia omnes sancti sacerdotes eam semper sunt venerati.

PRECES ANTE MISSAM.

Qua possum maxima devotione atque reverentia offero tibi, Pater aeterne, sanctum missae sacrificium, ad praestandam nostram adorationem, tibi supremo Domino Deo sapientissimoque rerum omnium Opifici debitam; in honorem sacratissimae incarnationis Verbi tui, Domini nostri Jesu Christi, et in memoriam ejusdem

vitae, passionis ac mortis. Offero tibi, Pater coelestis, sacrificium istud in gratiarum actionem pro singulari benignitate tua, qua Verbum tuum incarnatum, Deum Hominem dedisti nobis magistrum, mediatorem et advocatum, in gratiarum actionem pro specialibus gratiae donis, quibus ornasti beatam Virginem Mariam, sanctos Angelos et omnes electos tuos; atque pro universis beneficiis, quae tibi debet Ecclesia tua.

Per incruenti hujus sacrificii oblationem peculiares tibi grates habeo, Pater providentissime, pro beneficiis omnibus, quae mihi a principio vitae meae in hanc usque horam liberalissime tribuisti; praecipue vero, quod prae millenis hominibus me famulum tuum indignissimum, nullo meo merito, sed ex sola benevolentia tua, ad sacerdotii dignitatem evocaveris, et ad tremenda altaris mysteria tractanda et dispensanda inter Ecclesiae tuae ministros adsumseris.

Adhaec, misericordissime Pater! quia Verbum tuum caro factum propitiatio est pro peccatis nostris, offero tibi hoc sacrificium in expiationem omnium delictorum, quae passim ab hominibus ubivis terrarum admittuntur. Magna quidem ac copiosa sunt flagitia nostra, quibus in dies offendimus te: sed major est apud Unigenitum tuum misericordia et copiosior apud eum redemtio. Clementer respice, Pater, infinita Christi tui merita, et dimitte nobis debita nostra.

Denique, cum in isto sacrificio Jesum Christum, omnium gratiarum fontem, habeamus praesentem, offero tibi, Pater dulcissime, sacrificium istud pro impetrando gratiae tuae subsidio, tam mihi quam proximis meis necessario. Largire nobis opem tuam divinam, ut verbum tuum non modo libenter audiamus, sed etiam sequamur ac custodiamus, ut simus factores verbi, et non

tantum auditores oblivíosi. Da hominibus ab omni religione remotis hanc gratiam, ut verbum tuum audiant, audiendo credant, credendo custodiant; et ita per observationem mandatorum tuorum ad veram aliquando beatitudinem pertingant. Memento etc.

Ad B. V. Mariam. „Virgo Domina, Dei Genitrix, quae Salvatorem et Dominum nostrum Jesum Christum in utero portasti: te invocamus nos scelerum multorum rei. Noli despicere servos tuos, qui omnem spem suam post Deum in te repositam habent. Noli aversari nos graviter periclitantes et in maximis calamitatibus constitutos: sed, o miseratrix ac misericordissimi Dei Mater! miserere famulorum tuorum et intercede pro nobis.“ *S. Ephraem.*

„Per te accessum habeamus ad Filium tuum, o Maria, benedicta inventrix gratiae, Genitrix Vitae, Mater Salvatoris! ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis; et humilitas tua Deo grata nostrae veniam impetret vanitati. Fac, o beata Virgo, per gratiam quam invenisti, per praerogativam quam meruisti, per Misericordiam quam peperisti, ut, qui te mediante factus est particeps miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae Jesus Christus Filius tuus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.“ *S. Bernard.*

PRECES POST MISSAM.

Beatus ego, beatissimus sum. Habeo nunc in pectore meo ipsissimum Dei Verbum, per quod omnia facta sunt. Possideo in praecordiis meis eundem misericordissimum Salvatorem, quem beatissima Virgo Maria

quondam in utero portavit. — O stupendum super omnia miraculum! o magnum divini amoris mysterium! — Quid ego balbutiens homo loquar cum Verbo incarnato? — Provolutus ad pedes tuos, Unigenite Altissimi, reverenter adoro te, nec aliud dicere vel exclamare scio, quam unicum hoc verbulum: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Ignosce mihi hanc temeritatem, qua rursus accessi mensam tuam purissimam. — Credo in te, Verbum caro factum, plenum gratiae et veritatis! firmiter credo, in eucharistiae sacramento corpus et sanguinem tuum, divinitatem et humanitatem tuam, teipsum totum substantialiter adesse, quia tu, o Verbum verax, aperte dixisti: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus.*

Quotidie magis admiror immensam tuam erga me bonitatem, o Verbum incarnatum! nec satis unquam depraedicare valeo mirabilem tuam beneficentiam, qua mihi toties sacrum corpus et sanguinem tuum tribuis in cibum et potum. Unde nimiam agnoscens imbecillitatem meam id unum sincerissimis exopto votis, ut omnes in coelis Angeli ac universae in terris creaturae mecum et pro me laudent ac glorificent nomen tuum sanctissimum. Diligo te ex totis viribus meis, o amabile Verbum Dei! — Abominor omnes iniquitates meas. Utinam ab omni peccato puram hucusque servassem animam meam! O si tibi saltem in posterum servirem, nihilque nisi ex voluntate tua facerem! Hoc certe cupio, hoc volo, hoc desidero.

Quid ergo me vis facere, bone Jesu? Quid requiris a me? Loquere mihi, Verbum Dei! Audiam attente, quid dicas. Sonet vox tua in auribus animae meae. Noli mihi silere, Verbum aeternum, neque punias me terribili silentio tuo; sed loquere, Domine, quia audit

servus tuus. *Beati, qui audiunt Verbum Dei.* Rogo te per illum amorem, quo humanam adsumsisti naturam, ut me meosque omnes, quos curae meae credidisti, monitis tuis erudias, quo facilius agnoscamus sanctissimam voluntatem tuam.

Cum autem ad acquirendam vitam aeternam satis non sit tantum audire verbum tuum, adde nobis insuper opem tuam, ut mandata tua perficiamus et verbum tuum custodiamus; et quia fides sine operibus mortua est, effice, precor, ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus. Revoca, Domine, peccatores atque haereticos, qui verbum tuum aut aspernantur, aut perperam interpretantur; fac, ut omnes illud libenter audiant et vigilanter custodiant: nam beati, qui te audiunt; beatiores, qui te sequuntur; beatissimi, qui te facie ad faciem intuentur in coelis. Qui vivis.

Ad B. V. Mariam. O vere beata Virgo Maria, Mater Redemtoris mei, quae sempiternum Dei Verbum, propter nos incarnatum, in utero portasti: intercede pro me peccatore apud eundem Filium tuum, qui me hodie sanctissimo corpore et sanguine suo refecit. Offer ei merita tua in supplementum inopiae meae. Verbis meis eidem Filio tuo gratias age pro dulcissima hac refectione, qua nunc recreatus sum. Impetra mihi gratiam efficacem, ut deinceps humiliter audiam verbum Dei, semperque custodiam illud, quo certius aliquando merear recipi coelo, ibique sempiterna tecum beatitudine perfrui. Amen.

FERIA VI.

Sacerdos malus, non faciens poenitentiam, fit: 1) miserabilis; 2) insensibilis et inflexibilis; 3) pestiferus.

PRECES ANTE MISSAM.

In spiritu humilitatis et in animo contrito supplex adoro te, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui Jonae vaticinantis ore Ninivitas impios ad poenitentiam adduxisti, eisque ad frugem redeuntibus pepercisti. Fiducia plenus accedo altare tuum, propitiatoriam oblaturus victimam: *Scio enim* (Jon. 4.), *quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multae miserationis, et ignoscens super malitia.* Divinae tuae Majestati offero hoc sacrificium, ut illo te prosequar latriae cultu, qui tibi soli debetur. Suscipe, sancte Pater, hanc hostiam immaculatam in gratiarum actionem pro infinita bonitate tua, qua Filium tuum unigenitum, Sapientiam aeternam, Dominum Prophetarum, ad homines in terram misisti, ut ipse, *plus quam Salomon*, rudes doceret viam salutis aeternae; et *plus quam Jonas*, aberrantes salutaribus monitis revocaret ad poenitentiam.

Si diutius attentiusque mecum reputo, quoties et quam enormiter ab hominibus offendaris, amabilissime Deus! acutissimo doloris gladio transfigitur anima mea. Proprias meas et alienas recogitans iniquitates opto vehementer, ut deficiant oculi mei prae continuo lacrymarum fonte. Dum mecum expendo injurias, quas ingrati nos mortales tibi summo Bono multoties irrogamus, magna est velut mare contritio mea, et in corde meo amaritudo amarissima. Utinam assidue lacrymae fluerent ex oculis meis! O si toties tui amore mori possem,

quoties a nobis offensus fueris, ut hac morte mea cunctas injurias tibi hactenus illatas resarcire, aut saltem efficere possem, ne deinceps offendaris ab hominibus. Libentissime vellem apud inferos sustinere cruciatus acerbissimos, si vel unum grave peccatum a quovis admittendum inhibere, vel immensae justitiae tuae pro illo satisfacere possem. At quia tibi meum hunc affectum in effectu exhibere nequeo, prout ex tua gratia et pro beneplacito tuo vellem, moriendo nimirum, aut assidue fundendo lacrymas, vel quaelibet tormenta ferendo: offero tibi, misericordissime Pater, omnes lacrymas Domini nostri Jesu Christi, omnes ejus dolores ac ignominias, vulnera et sanguinem in cruce profusum, omnia ejusdem acerbissimae passionis mortisque merita, pro condigna satisfactione delictorum nostorum.

Per hujus efficaciam oblationis esto nobis propitius, amantissime Pater, et opitulare fragilitati nostrae, ut a vitiis ad virtutis studium mature convertamur, castigationis tuae flagella tranquille patiamur, et donis atque gratiis tuis contentius utamur ad peragenda poenitentiae opera, ne viri Ninivitae contra nos surgant in die judicii et condemnent nos. Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut Redemtori atque coelesti Magistro nostro, qui, *plusquam Salomon*, verae nobis sapientiae praecepta tradidit, in omnibus accurate pareamus; et, quemadmodum ipse, *plusquam Jonas*, tertia die procedens e corde terrae, surrexit a mortuis, ita et nos in die judicii gloriose resurgamus, et triumphantium more coelestem ingrediamur civitatem. Miserere pariter infidelium caecorum, pseudophilosophorum, qui hucusque, sicut olim Judaei, signa nova de coelo quaerentes, noluerunt accipere doctrinam aeternae Sapientiae tuae. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Suppliciter adoro te, Domine Jesu, Sapientia aeterna! Laudo et glorifico te, Salvator mundi, qui sapientiae magister es, potens in opere et sermone *plusquam Salomon*, atque praeco poenitentiae *plusquam Jonas*. Grates tibi pro divino hoc epulo, quo rursum ad mensam tuam refecisti languentem animum meum. Utinam illud digne manducassem! Sed o quam irreverenter tractavi tremenda haec mysteria! quam festinanter recitavi preces meas! et inter sacrificandum quam longe peregrinatus est animus meus! Fateor incuriam meam, qua peregi rem sacram et horrore plenam, ita ut jure merito timeam, ne forte pro cibo salutari judicium mihi manducaverim. — Secundum asseverationem tuam, Domine, *viri Ninivitae*, qui poenitentiam egerunt ad praedicationem Jonae, *surgent in judicio* cum generatione judaica et condemnabunt illam. Quid ergo fiet de me, sacerdote tuo tam ignavo et negligente? Non video, quo pacto tunc excusare valeam ingrati animi mei vitium. — Quo me vertam in his angustiis? Vae mihi, si jam hodie mors subita me opprimeret divinoque tribunali sisteret judicandum! Quis mihi patronus subveniret responsurus pro me? —

Ad te intime suspiro, bone Jesu! te fiducialiter invoco. Esto (precor) apud Patrem tuum advocatus meus; responde pro me, age nunc causam meam et, priusquam mors occupet me, deprecare pro me. Non despero salutem, etsi grave mihi noxarum onus incumbat. De coelo venisti in terram, ne caderem in gehennam. In cruce mortuus es, ut ab aeterna morte liberarer. Quotidie me nutris tuo corpore et sanguine, ne fame sitique perpetua cruciarer. Omnia mihi merita

tua tribuis, quo amplius ditescerem bonorum operum meritis. Obsecro te igitur, amantissime Jesu! largire mihi gratiam tuam ad dignos poenitentiae fructus faciendos, ne viri Ninivitae contra me surgant in judicio et condemnent me sacerdotem impium. Fac, ut hodie, et quidem hac ipsa hora, incipiam meliorem vitae rationem inire, donis tuis bene uti, dignitatem meam aestimare, ac officium meum integre praestare.

„Exaudi me orantem, Domine Deus, sicut exaudisti Jonam de ventre ceti. Auxiliare era me. A faucibus et ab omni malo indesinenter libmihi, quaeso Domine! daemonum eripe me; gratiae tuae abundantia reple me. Pectus meum conforta, mentem meam purifica, vitam meam sanctifica, mores meos emenda, cor meum illustra, iracundiam meam extingue, linguam meam a vaniloquio compesce, ut vera solummodo et sancta procedant ex ore meo. In omni morum honestate dirige me; et, ne aliquando arguar in furore tuo, nunc confirma me in omni opere bono. Tibi, Domine, confiteor omnia peccata mea. Legis tuae praevaricator eram in omni vita mea. Unde nimia cordis anxietate pressus oro te, ut in hoc tempore exoptabili audias me, et in his diebus salutis adjuves me. Omnes actus meos in beneplacito tuo compone, ut proficiam de die in diem, et progrediar de virtute in virtutem. Tibi, Domine, supplices preces effundo: parce confitenti, ut in hac mortalitate (te adjuvante) peccata mea defleam, ac in die judicii sententiam damnationis evadam. Amen.“ *S. Ansel. Cantuar.*

SABBATO.

Rosarium B. M. V. sacerdos debet: 1) aestimare (natura rei — utilitas percipienda — judicium Ecclesiae — exemplum sanctorum); 2) recitare (frequenter — attente — devote); 3) fidelibus commendare (praedicando — poenitentiae loco injungendo — confraternitates Rosarii promovendo etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Mysterium mysteriorum, juge sacrificium offerimus tibi, Pater omnipotens, aeterne Deus, ad honorem et adorationem divini nominis tui; nec non in gratiarum actionem pro paterna benignitate tua, qua nos miseros peccatores (reconciliante Filio tuo) adoptasti et ad talem evexisti dignitatem, ut suos nos fratres ac consanguineos appellaverit idem Unigenitus tuus, Salvator noster. Pro singulari hac praerogativa grates tibi habemus, sancte Pater, offerentes ad aram sanctissimum missae sacrificium, in unione illius intentionis, qua dilectus Filius tuus, amicus noster optimus, appropinquans morti, nobis familiaribus suis carissimis reliquit munus pretiosissimum, nempe corporis et sanguinis sui sacramentum, in perennem fraternae dilectionis suae memoriam.

Clementissime Deus! agnoscimus atque fatemur, ingrate nos hactenus egisse, dum talem Jesu Christi amorem amore mutuo compensare negleximus. Per aeternam caritatem tuam, qua dedisti nobis, ut filii tui nominemur et simus, obsecramus te, dulcissime Pater, ut nobis veniam indulgeas, quod te hucusque nec debito honore, nec filiali amore prosecuti fuerimus, sed potius identidem offenderimus. Ignosce, quaesumus, misericor-

dissime Pater, quod non semper fecerimus voluntatem tuam. Per infinitum amorem tuum, quo dilectum Filium tuum pro salute nostra hominem fieri voluisti, atque per abundantissimam satisfactionem, quam idem Unigenitus tuus, innocens frater noster Jesus Christus, tibi pro nobis praestitit moriendo in cruce, demississime te precamur et obtestamur, ut eandem caritatem, qua ipse factus est tibi obediens usque ad mortem crucis, suscipias in expiationem inobedientiae nostrae.

Bone Pater! dimitte nobis debita nostra; et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Libera nos ab omni malo. Depelle a regionibus nostris seditiones, bellorum tumultus, famem, pestilentiam, morbos, grandines et tempestatum procellas. Quodsi vero publicis hujusmodi calamitatibus nos castigares, optime Pater, haud aliud exclamare possemus, nisi quod aliquando filii Israël dixerunt ad invicem: *Merito haec patimur* (Gen. 42.), *quia peccavimus in fratrem nostrum*. Multipliciter utique peccavimus in Jesum Christum, Filium tuum, qui perinde nos amat ut fratres, si fecerimus voluntatem tuam. En, misericordissime Pater! offerimus tibi cuncta ejusdem Unigeniti tui merita, ut nobis parcas et auxilium tribuas ad perficiendam sanctissimam voluntatem tuam, quo digniores efficiamur illius sacratissimae consanguinitatis, qua nos secum intime conjungere dignatus est unigenitus Filius tuus. Memento etc.

Ad B. V. Mariam. Gloriosissima Virgo Mater Maria, quae olim non poteras adire et alloqui Filium tuum Jesum prae turba circumsedente: nunc autem, Deo proxima, deprecare pro nobis peccatoribus et humanae fragilitati nostrae divinum impetra subsidium, ut faciendo voluntatem Patris coelestis inter amicos

ac confratres Christi Jesu connumerari mereamur. Intercede singulariter pro me, ut nunc, corde puro Nati tui carnem et sanguinem ad altare sumens, ipsius consanguineus efficiar et ardentissimo ejusdem amore succendar. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Amoris tui magnitudinem non capio, bone Jesu, amice suavissime! — Dedisti mihi sacrosanctam carnem tuam manducandam; dedisti mihi pretiosum sanguinem tuum bibendum, quo verius essem amicus tuus, tibi sanguine junctus. O mira caritas! o praeclara nobilitas! o praestantissima consanguinitas! — Quis mihi satis verborum, aut sufficientes amoris lacrymas dabit ad contestandam tibi dilectionem meam, o mi Jesu, o frater amantissime? Aliud nec scio, nec possum, nisi admirari et obstupescere. — Magno quidem mihi solatio est haec caritas tua, qua per sacra altaris mysteria me fecisti consanguineum tuum; attamen multum mihi trepidationis faciunt illa verba tua: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater est.* Ab hac amicitiae tuae conditione saepissime discessi, dum multoties infregi praecepta Patris tui coelestis, ejusque legem violavi. Quomodo jam ausim me nominare fratrem tuum, cum ne tuus quidem servus appellari merear? Confiteor indignitatem meam, Domine! Revera non sum dignus, quem in fratrum tuorum numero habeas.

Jesus suavissime! supplex oro et obtestor te per eundem sanguinem tuum, quem olim in cruce pro nobis peccatoribus fudisti mihique hodie bibendum dedisti, ut condones mihi culpas admissas. Ignosce poenitent

suscipe lugentem et pone me rursum in numero amicorum tuorum. Nihil enim mihi jucundius, nihil desiderabilius amicitia tua, Domine! Tu si meus semper fueris amicus, nullus mihi nocebit inimicus. Sine amico vivere nequeo. Quem alium in terris seligam mihi familiarem, nisi te, qui solus prae omnibus fidelis et firmus es amicus? Te cupio habere amicum, o bone Jesu, qui me semper amasti, qui pro me in ligno crucis exspirasti, qui jam toties sacrum corpus et sanguinem tuum mihi dedisti in cibum et potum.

Dulcissime Jesu, qui mihi nunc intimus es! te obsecro per illam caritatem infinitam, qua tuos in finem usque dilexisti, et in ultima coena magnum hoc altaris sacramentum instituisti, quin etiam me fratrum tuorum minimum ad illud offerendum designasti: parce mihi, quod non semper cum requisita puritate ac cordis devotione tractaverim augustissimum hoc mysterium. Remitte mihi, precor, omnes irreverentias et negligentias, quas unquam in hujus sacramenti sumtione vel oblatione admisi. „Domine Jesu, optime Deus, in quo summa sunt omnia! imploro clementiam tuam, ut mihi parcas, corporis tui gratia, quo me cibasti, ut illud (*1 Par. 11.*) jam liceat usurpare: *Os tuum sum, et caro tua.*“ *S. Ephraem.*

Amicissime Jesu! purifica me meosque omnes ab omni criminis labe; condona nobis praeterita delicta et fac in posterum nos ita conversari, sicut decet sanctos fratres ac consanguineos tuos. Praesta, quaeso, ne unquam obliviscamur admirandae dignitatis nostrae, nec aliquid admittamus, quod dedecet hanc eximiam nobilitatem nostram. Largire nobis gratiam efficacem, ut in omnibus semper faciamus voluntatem Patris tui, qui in coelis est, et sic in aeternum maneamus amici tui.

Confirma hoc familiaritatis vinculum, ut neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia possit nos separare a caritate tua. Nunquam, o bone Jesu, o frater amabilissime! nunquam nos a te separari permittas. Amen.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Facile sacerdos Pharisaeo fit similis, dum: 1) fidit in seipso, suo ingenio etc. sibique, quod bene operatus est, adscribit; 2) non advertit, negligit defectus suos, reputat se justum etc.; 3) alios sacerdotes despicit etc.

PRECES ANTE MISSAM.

Occultorum cognitor Deus, Pater infinitae majestatis et immensae bonitatis! en, ego miserabilis creatura vilissimusque peccator, sed tamen sacerdos et Ecclesiae minister, ad pedes clementiae tuae ea, qua possum, animi demissione prostratus, te supremum Dominum ac Creatorem meum adoro et veneror. Suscipe, sancte Pater, in odorem suavitatis praecelsum ac venerabile sacramentum, quod tibi hodie ad majorem nominis tui gloriam et ad salutem animarum nostrarum offerre cogito. Vix equidem miser ego peccator tantum mihi sumo, ut ad tremendum altare tuum accedam, quoniam iniquitatem meam agnosco, et peccatum meum contra me est semper.

„Deus omnipotens! miserere supplici tuo, quia non sum sicut innumeri servi tui, justitiae merito sublimes ac castitatis laude angelici, velut etiam multi illorum,

qui post flagitia poenitendo tibi meruerunt esse devoti. Imo, etiamsi quid boni (tua gratia largiente) fecero, quo fine hoc faciam, quave a te districtione pensetur, ignoro. Indignum me fateor tuis sacris, qui innumeris quotidie fuscor peccatis; nam qui blandis saepe verbis te rogare praesumo, improbis saepissime factis te offendo. Tu mihi medicinam ingeris aegro; ego sanitati meae indesinenter contraria ago. Legem tuam in sacris paginis lego, sanam vero disciplinam infelix negligo. Ad tuum quidem altare quasi devotus accedo, sed a praeceptis tuis contumaci corde recedo. Quasi dignum me in oculis hominum ostendo; sed in tuo conspectu, Domine, quem occulta non fallunt, diversis sceleribus inquinatus sordeo" [1].

„Publicanus ille, stans a longe, nolebat oculos ad coelum levare, sed deorsum aspiciens percutiebat pectus suum; ego peccatis eum multum superans, humi provolutus, clamo ad te: ***Deus, propitius esto mihi peccatori.*** Peccavi in coelum et coram te, Deus omnipotens! nec jam sum dignus, oculos in coelum attollere prae multitudine iniquitatum mearum, labiisve meis impuris invocare gloriosum nomen tuum. Indignum me et coelo et terra reddidi, quia te Deum meum ad iracundiam provocavi. Quaeso et obtestor te, Domine Deus! ne projicias me a facie tua neque recedas a me, ne peream. Nisi tua me gratia protexisset, jam periissem et essem sicut pulvis ante faciem venti. Ceterum gratia tua fretus spero, te mihi robur ac vires praebiturum, ut saluti meae consulere possim. Et nunc supplex oro te, ut me a justitiae semita devium suscipias et in rectam

---

[1] Ex Missa latina saec. VII.

viam reducas. Miserere mei, Deus, sicut olim misertus es Publicani." *S. Ephraem.*

„Criminum multitudine inquinatum me ne spreveris, Domine Deus noster. Ecce enim accedo ad divinum hoc et supercoeleste mysterium tuum; et indignus quidem, sed de tua bonitate confisus, emitto hanc vocem: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Peccavi in coelum et coram te, neque dignus sum, qui oculos obvertam huic sacrae et spiritali mensae, in qua unigenitus Filius tuus et Dominus noster Jesus Christus mihi, qui peccator sum et omnibus maculis foedatus, mystice proponitur in sacrificium" [1].

Creator omnipotens, aeterne Deus! tu es Dominus ille multum misericors, de quo Propheta testatur: *Respexit in orationem humilium, et non sprevit precem eorum.* Da nobis itaque hujus sacrificii virtute gratiam tuam, ut e cordibus nostris omnem eliminemus arrogantiam et acquirendae humilitati profundissimae operam demus, quo facilius exaudiantur preces nostrae. Praesta, quaesumus, ut videamus omnem miseriam et paupertatem nostram, eamque continenter prae oculis habeamus. Miserere hominum arrogantium. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Contemtibilis ego peccator non audeo levare oculos meos ad te, Jesu Fili Dei! sed humilitate qua possum maxima complector et osculor pedes tuos sacratissimos. Demisso corde adoro te Deum Salvatorem meum, qui clementer ad aram me admisisti mihique tui copiam fecisti. Utinam majore pietate ac reverentia conscen-

[1] Ex Liturgia s. Jacobi Ap.

dissem altare tuum! O quam exigua devotione tractavi mysterium omnium maximum atque sanctissimum! — Ecce, Domine Jesu! quia nullum mihi patet effugium, cum illo Publicano percutio pectus meum et humiliter exclamo: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Noli me punire vel a te projicere propter innumerabiles culpas meas; sed parce mihi, Domine, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Aspice in me et miserere mei, nam miser et pauper sum ego. Dominus ac Creator meus es tu: ego autem *quasi lutum figuli in manu ipsius.* (*Eccli. 33.*)

„Non me jacto, Domine, de operibus meis, nec commendo opera manuum mearum; timeo enim, ne, cum inspexeris, invenias plura peccata, quam merita. Hoc solum rogo, hoc impetrare desidero: *Opera manuum tuarum ne despicias.* Opus tuum in me vide, non meum: nam opus meum si videris, damnas; tuum si videris, coronas. Quia et quaecunque sunt bona opera mea, abs te mihi sunt; et ideo tua magis, quam mea sunt. Audio quippe ab Apostolo tuo: *Gratia estis salvati per fidem* (Ephes. 2.), *et hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Ergo, sive in eo, quod homines sumus, sive in eo, quod justificati sumus, Domine: *Opera manuum tuarum ne despicias.*“ *S. Aug.*

Jesu amabilis, magister humilitatis et osor ambitionis! ejice de corde meo superbiae spiritum, qui famulum tuum minime decet; simulque mihi da veram animi modestiam et demissionem, quae cuilibet discipulo tuo, maxime sacerdoti convenit. Fac, ut omnino parvulus sim in oculis meis et vilior fiam, plusquam factus sum; ut nihil faciam per inanem gloriam neque per con-

tentionem. Da, precor, ut revera meipsum inter omnes fratres minimum et extremum arbitrer, neque renuam, ut omnium novissimus despici propter te, Domine, qui etiam propter me factus es opprobrium hominum et abjectio plebis. Glorientur alii de fortunis atque virtutibus suis: mihi autem absit gloriari, nisi in cruce tua. Aut quid ego mereor, ego reorum primus, ego servorum tuorum ultimus? Quid tot peccatis et negligentiis promeritus sum, nisi publicum apud homines contemtum et perpetuum apud inferos cruciatum? — Bone Jesu! concede mihi jam plenam delictorum remissionem tuamque divinam benedictionem, ut descendam nunc justificatus in domum meam, tandemque finita peregrinatione ascendam ad domum tuam coelestem. Amen.

FERIA II.

Gloriam mundi: 1) ne quaeras; 2) non quaerens acquires; 3) acquisita bene utere.

PRECES ANTE MISSAM.

Favore benigno respice, Pater omnipotens, istud altaris sacrificium, quod tibi hodie rursum offerimus ad honorem adorandae Majestatis tuae, et in gratiarum actionem pro beneficiis Ecclesiae tuae concessis, atque in plenam expiationem delictorum nostrorum. Offerimus tibi hoc sacrificium in unione illius intentionis, qua Dominus noster Jesus Christus cum discipulis suis coenans agno paschali semetipsum Agnum immaculatum substituit, corporis et sanguinis sui sacramenta reliquit,

et tandem in ara crucis se pro nobis hostiam propitiatoriam obtulit tibi, factus obediens usque ad mortem. Per hujus oblationis vim et efficaciam auxiliare nobis, sancte Pater, aeterne Deus, ut turpe simulationis vitium, quod olim Unigenitus tuus acriter exprobravit Pharisaeis ac Legisperitis, sollicite vitemus, neque fallacem pietatis speciem praebeamus, sed veram solidamque virtutem colamus. O scrutans corda et renes Deus, qui, *quod deintus est* in nobis, aeque fecisti ac id, *quod deforis est:* da, quaesumus, ut internae munditiae priorem habeamus rationem et majore diligentia puritatem animae quam corporis curemus.

„Domine Deus omnipotens, qui solus es ingenitus, nec subjectus ullius regis imperio; qui semper es et ante saecula existis; qui nullam tui causam neque originem habere potes; qui solus es verus et sapiens, qui solus altissimus, qui solus es bonus et cum nemine conferri potes; qui omnia nosti, antequam fiant; Deus, et Pater unigeniti Filii tui et Salvatoris nostri; Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui in altis habitas et humilia respicis; qui Ecclesiae tuae a principio sacerdotes providisti, ut populo tuo praeessent; qui sanctuarium tuum non reliquisti sine ministerio: da nobis famulis tuis, quos ad sacerdotium elegisti; da nobis, ut pascamus sanctum gregem tuum et ut officio nostro fungamur sancte, sine reprehensione ministrantes die ac nocte, ut efficiendo propitium vultum tuum congregemus numerum eorum, qui salvi fiunt, et offeramus tibi dona Ecclesiae tuae sanctae. Da nobis, Domine Deus omnipotens, per Christum tuum participationem Spiritus sancti, ut habeamus potestatem remittendi peccata secundum mandatum tuum, placendique tibi in mansuetudine et mundo corde, offerendo tibi

sine culpa semper et sine crimine sacrificium mundum et incruentum, quod constituisti mysterium novi testamenti, in odorem suavitatis, per sanctum Filium tuum Jesum Christum" [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Habeo tibi grates demississimas, o bone Jesu, pro hoc cibo salubérrimo, quo me denuo refecisti. Summa, qua oportet, veneratione te adoro, laudo et glorifico, Salvator amantissime, Verbum omnipotens! Innumera tibi debeo beneficia, quorum memoriam frequenter renovare juvat. Cum non essem, ex nihilo fecisti me; cum aberrarem per avia et devia, longanimiter quaesiiste me; cum ad te redirem, clementer recepisti me; cum esurirem ac sitirem, liberaliter recreasti me sacrosancto corpore et sanguine tuo. O Agnus absque macula! o Jesu munificentissime! quibusnam verbis tibi grates referam pro dulcissimo hoc convivio, quo me famulum tuum indignum ad sacram mensam tuam refecisti? Quo pacto respondere potero liberalissimae caritati tuae? — Diligo te, suavissime Jesu! te diligo super omnia, quaecunque sub sole ac infra te sunt. Utinam millena mihi corda forent ad diligendum te, Domine! O si scirem, quomodo satis amare te possem! Libenter utique conjicerem me in ignem amoris tui usque ad consumtionem nihili mei. Jesu amabilissime! tu scis, quia diligo te. Ex infinita bonitate tua talem mihi dedisti amorem, qui (nisi me fallant omnia) paratissimus est ad ultima quaevis tormenta pro te sustinenda. Haud equidem ista requiris a me, neque plus exigit amor

[1] Ex Constitut Apost.

tuus, quam ut quotidianas exilii hujus aerumnas amore tui patienter feram.

Propono itaque, Deus providentissime, quascunque hujus peregrinationis miserias non solum aequanimiter, sed libenter etiam ac hilariter sufferre secundum beneplacitum tuum. Ratum mihi fixumque est, ad supremum usque vitae halitum me humiliter inclinare sub potenti manu tua et (donec vivam) animo constanti portare crucem meam. Cum autem ea sit virium mearum imbecillitas, ut, quod mecum constitui, sine ope tua exequi non valeam, ideo supplex oro te, benignissime Jesu, ut auxilio gratiae tuae me confortare digneris ad perficienda haec proposita mea. Procul a me remove quaestuosam illam hypocrisin, quam aliquando tam acriter exprobrasti Pharisaeis ac Legisperitis. Effice, precor, amantissime Salvator, ut animus meus semper sit candidus et purus ab omni fraude, ab omni simulandi studio. Restingue in me perniciosam humanae laudis sitim et tribue mihi veram animi demissionem, ut non quaeram placere oculis hominum, sed ut ambulem coram te, qui semper et ubique me comitaris et intima cordis mei rimaris. Fac, obsecro, ut omnium saeculi vanitatum oblitus aliud non diligam, nec respiciam, nec cogitem, nec quaeram, nisi te Dominum meum et divinum beneplacitum tuum. Amen.

FERIA III.

Quid faciendum, si in pastoratione paucum profeceris? 1) Humiliare, corrige errata; 2) noli despondere animum; 3) ferventius ora et labora; 4) cetera Deo committe.

PRECES ANTE MISSAM.

Nunc iterum ante thronum Majestatis tuae humi provolutus adoro te, sempiterne Deus, omnipotens mundi Fabricator! In universo terrarum orbe nulla res est, cujus opificem te fateri non debeamus. Clementer respice hoc altaris sacrificium, quod totius nomine Christianitatis tibi hodie oblaturus sum ad majorem divini nominis tui gloriam, et in grâtiarum actionem pro mirabili bonitate tua, qua Filium tuum unigenitum in terram misisti, ut, ex inope Virgine natus, in domo fabri pauperis enutriretur, et tandem in cruce propter nostram salutem moreretur. Offero tibi, praepotens Auctor universi, hostiam vere propitiatoriam in unione caritatis stupendae, qua dilectus Filius tuus, in patria sua despicatui habitus, omnia concivium ludibria patientissime tulit, et denique pro nobis in ligno crucis exspiravit. Per infinita hujus sacrificii merita remitte nobis peccata nostra, quae singulis diebus incurrimus.

Benignissime Fabricator mundi! rogamus te per hujus virtutem oblationis, ut in nobis fidem veramque cordis humilitatem augeas, ne modernorum incredulitate sciolorum offendamur, nec illorum argutiis decipiamur, nec concivium injuriis commoveamur. Conforta nos, Pater omnipotens, ut secundum exemplar Unigeniti tui cunctas invidorum ignominias tranquille feramus, et hostium nostrorum salutem omni ope quaeramus. Rempublicam christianam a periculis protege. Patriam nostram a publicis calamitatibus libera. Judaeos ac ceteros heterodoxos lumine tuo collustra, ut aeternae Sapientiae tuae doctrinam non solum mirentur atque suspiciant, sed etiam sequantur atque suscipiant. Memento etc.

Ad B. V. M. et s. Joseph. Maria, Mater Domini mei Jesu Christi! quaesó te per humilitatem tuam profundissimam, quae ad talem te dignitatem evexit et super omnes Angelos extulit: deprecare pro me Deum, ut dignum me faciat sacrorum perceptione mysteriorum. — Sancte Joseph, castissime Sponse Virginis Deiparae, qui, putatitius Salvatoris mei pater, duro manuum labore sustentasti Mariam cum Prole sua divina: intercede pro me, ut fide viva, humili caritate ac corde puro conscendam altare Dei, sacrosanctam oblaturus hostiam. — O Maria et Joseph! impetrate mihi opem divinam, ne frustra vel indigne vescar epulo coelesti. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Personaliter nunc habitas in corde meo velut in domo tua, suavissime Jesu! — Haec praesentia tua mirum in modum recreat animum meum. Dixisti aliquando: *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua.* Bone Jesu, Domine Prophetarum! tibi jam degenti in hac domo mea debitum honorem atque homagium tribuo. Utinam majorem et talem adorationis cultum tibi exhibere possem, qualis tibi Filio Fabricatoris mundi, tibi Verbo debetur aeterno. Saltem maxima, qua possum, animi demissione atque reverentia te veneror tibique gratias ago pro munificentia tua, qua mihi hodie sacrosanctum corpus et sanguinem tuum dedisti in cibum et potum.

O Veritas aeterna! o Caritas immensa! o Fili Creatoris omnipotentis unigenite! te nunc complector ulnis animae meae. Libenter omnia saeculi crepundia dimitto tibique semper adhaerere cupio. Amore tui sperno mundanas vanitates, quae non conveniunt viris laicis,

nedum ecclesiasticis. Interim ignosce mihi, Jesu misericordissime, si forte non eo, quo debuissem ac potuissem, honore te super altari prosecutus fuerim. Noli mihi famulo tuo indignari, quod tam negligenter rem sacram tractaverim ac corde vitiis deformato te susceperim.

Carissime Jesu, Fili Fabricatoris mundi, omnipotens animarum medice, qui olim in patria tua concives infirmos impositis manibus curasti: per hujus sanctissimi corporis et sanguinis tui virtutem sana languores animae meae, ut incipiam novo spiritus fervore virtutes colere totisque viribus tibi servire. Optimis disciplinis instrue me meosque omnes, o Sapientia aeterna! Doce nos terrena despicere et amare coelestia. Fac, ut eximias evangelii tui doctrinas non tantum miremur illorum ad instar Nazarenorum, sed etiam operibus strenue subsequamur. Largire nobis augmentum fidei, ne propter incredulorum multitudinem religionis ac virtutis amorem in nobis refrigescere patiamur, sed ut eo firmius adhaereamus Ecclesiae tuae romano-catholicae, quo plures videmus ab ea deficere.

Domine Jesu, magister humilitatis et patientiae, qui te fabri Filium a concivibus appellari aliisque contumeliis onerari non eò dedignatus: da nobis tantam animorum fortitudinem, ut pro nominis tui gloria quaslibet improborum injurias aequanimiter feramus, et omnes inimicos nostros sincere diligamus. Effice, precor, ut pro tuo honore et nostra salute impigre laboremus, animose certemus et omnia placide toleremus. Adjuva laborantes, corrobora certantes, consolare patientes: ut et laborem onera, et hostium opprobria, et nostrae peregrinationis incommoda semper invicta animorum constantia sustineamus, quamdiu tibi placuerit. Qui vivis.

FERIA IV.

Sacerdos frequenter visitans ss. sacramentum: 1) debitum reddit Christo honorem et gratitudinem: 2) populum aedificat; 3) magnas sibi gratias acquirit, impr. gratiam digne celebrandi; 4) multa pro subditis impetrare potest auxilia.

PRECES ANTE MISSAM.

Gravissimo delictorum meorum et alienorum onere pressus ibo nunc in domum tuam sanctam, Pater omnipotens, aeterne Deus! Intrabo sacrum novi testamenti templum, cui magnificum illud templum Salomonis cedere debuit. Tuus ego sacerdos adibo sacratissimum altare tuum, ibique non pecudum carnes, non animalium cruorem, sed veram placationis hostiam, incruentum novae legis sacrificium, adorandae Majestati tuae immolabo in contestationem nostrae subjectionis et dependentiae perfectissimae.

Clementer aspice, Deus, hanc coelestem victimam, quam hodie tibi litaturus sum in gratiarum actionem pro donis omnibus, quibus Ecclesiam tuam exornasti; maxime pro admiranda benignitate tua, qua templo Hierosolymorum everso templa nostra substituisti et innumera nobis ibi beneficia tribuisti. Negligenter equidem usi sumus inestimabili munificentia tua. Fatemur, o Pater amantissime, non ea esse merita nostra, ut tantis a te beneficiis obruamur, sed illam nobis deberi poenam horribilem, quam olim ingratis irrogasti Judaeis.

„Peccavimus tibi, Domine Deus! Patientiam habe in nobis et erue nos a malis, quae quotidie crescunt super nos. Iniquitates nostrae, Domine, multiplicatae sunt super capita nostra. Delicta nostra creverunt us-

que ad coelos et inde vindictam provocant. Sed parce, Pater, et inclina super nos misericordiam tuam. In animo contrito et in spiritu humilitatis suscipiamur a te, Domine, et fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam, quia non est confusio confidentibus in te. Non est alius Deus praeter te, Domine! et tibi de omnibus cura est, eoquod omnium Dominus es. Parce populo tuo et exaudi deprecationem servorum tuorum; ut sciant omnes gentes, quia tu es Deus longanimis et multum misericors. Miserere plebi tuae, super quam invocatum est nomen sanctum tuum; ut sciant omnes, qui habitant terram, quia tu es protector populorum tuorum.“ *S. Ansel. Cant.*

Succurre nobis, augustissime Pater, per hujus sacrificii virtutem, ut secundum Unigeniti tui admonitionem attendamus ac caveamus, *ne quis nos seducat.* Libera nos ab occultis impiorum machinationibus, qui nos in errorem et ad interitum pertrahere moliuntur. Da nobis, optime Pater, ut, abjectis novatorum figmentis, avitam religionem nostram assidue teneamus et Ecclesiae romanocatholicae constanter adhaereamus. Magne Deus, qui jure merito Judaeorum templum a gentilibus everti passus es: praesta, quaesumus, ut aedes tibi consecratas, augustissima domicilia tua, quotidie cum metu et tremore frequentemus ibique debitam semper reverentiam exhibeamus, ne forsan et nos ad instar Judaeorum puniamur et projiciamur abs te. Fac nos ita diligere decorem domus tuae, ut et ipsi nos templum gratiae tuae in terris, et locus habitationis gloriae tuae fieri mereamur in coelis. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Liceat mihi pace tua, Domine Jesu, te nunc alloqui tuamque laudare benevolentiam, qui me hodie rursum ad sacram mensam tuam admittere dignatus es. Totus equidem horresco ac contremisco, Fili Dei unigenite, si immensam majestatem tuam meamque simul indignitatem intueor. Da mihi, quaeso, veniam nimiae temeritatis meae, qua denuo templum sanctum tuum intrare et tremenda fidei mysteria tractare ausus sum. Quomodo sacerdos ego indignus tantam mihi confidentiam sumere potui, ut ascenderem ad altare tuum? — Ignosce mihi, bone Jesu, quod teipsum in manus meas et in cor meum susceperim sine reverentia, sine metu et tremore, sine lacrymarum fonte. Confiteor hic ad pedes tuos audaciam meam, quae non habet excusationem. Sancti Angeli, te laudantes et adorantes, tremunt stupore maximo repleti; peccator ego, dum adoro te, cur non corde paveo? cur vultu non expallesco, nec omnibus artubus obtorpesco? Quare socors ego minister tuus non totus in lacrymas abeo? Volo, sed non valeo. Vehementer ipsus admiror, quod tamquam saxeus sim hac hora, qua te Deum metuendum in corde meo praesentem habeo, fidei oculis cerno atque suppliciter adoro. Miserum me! quomodo sic induruit cor meum, ut oculi mei coram tremenda Majestate tua non effundant uberrimum lacrymarum fontem? Cur absque metu sermocinatur negligens servus cum Domino suo, reus cum Judice, creatura cum Creatore, miserabilis homo cum Deo omnipotente? —

Jesu Christe! Praeceptor amabilissime! da mihi sanctam animi compunctionem et imple cor meum timore salutari, quo majore studio gravissima vocationis

meae negotia prosequar. Fac me solerter invigilare, ne quis seducat me aut gregem mihi commissum. Ne permittas, ut aliena pravitate corrumpamur et de fide ac probitate transversum agamur. Saepe nobis ob oculos pone formidandum justitiae tuae rigorem, quo et civitatem et templum Hierosolymorum usque adeo destrui patiebaris, ut ne lapis quidem super lapidem ibi relinqueretur. Effice, precor, o Jesu dilectissime, ut frequenter reminiscamur illorum terribilium signorum, quae saeculorum consummationem et extremi judicii diem praecedent, ut inde commoveamur ad evitandas negligentias, ad reprimendas affectiones malas, ad exercendas virtutes et expianda peccata, ne sit, quod timeamus in illa die magna, qua venturus es judicare vivos et mortuos. Amen.

FERIA V.

Sacerdos panes multiplicat promovendo: 1) puerorum instructionem; 2) verbi divini auditionem, meditationem, s. lectionem; 3) s. communionis frequentiam.

PRECES ANTE MISSAM.

Dulcissime Jesu! Redemtor mundi Deus, qui aliquando mirandum in modum quinque panibus in deserto satiasti quinque millia hominum, et hodie et quotidie plura sacerdotum millia pascis pane vivo, nempe temetipso: laudo et humiliter adoro divinam bonitatem tuam, quae omnibus amplissime patet. Credo, Domine, mirabilem illam panum multiplicationem in deserto fuisse typum sacrae synaxis, qua nos exules Adae filios in

hac peregrinatione nutrire dignaris, quo facilius ad supernam perveniamus patriam. Haud equidem mente comprehendo stupendum eucharistiae sacramentum; id tamen indubitanter credo, paratus pro illius veritate vitam cum sanguine profundere. Nam in schola tua, Domine, in schola Apostolorum, in schola Ecclesiae tuae didici, non altum sapere, sed captivare intellectum in obsequium fidei. Hinc assensu firmissimo complector ac credo, quaecunque mihi de altaris sacramento credenda proponit Ecclesia. Absit, ut infirma ratio mea illud scrutetur arcanum, quod humanam rationem longe superat. Pro certo habeo, quod in hoc mysterio comedam teipsum, panem coelestem, panem vitae aeternae.

„Domine Jesu, qui corda et renes scrutaris, tu nosti, quod sicut terra sine aqua sitiat te anima mea et desideret te cor meum. Quemadmodum itaque semper exaudisti me, ita ne nunc quidem meam despicias deprecationem. Te Dominum meum, qui sine satietate delectas, te concupisco. Da mihi opulenter, ut Deus homini. Et qui olim quinque millia hominum satiasti quinque panibus, de tua etiam benignitate famem mihi exple. Annue, obsecro, benignissime Jesu, supplicibus famuli tui precibus. Tu, Domine, per Prophetam tuum dixisti: *Dilata os tuum* (Psal. 80.) *et implebo illud.* Ecce igitur, apertum jam est una cum corde os servi tui.“ *S. Ephraem.*

Auge fidem meam, o Jesu desiderabilis, et praesta, ut divinam majestatem et bonitatem tuam prae oculis habeam, quando sub panis specie te manibus teneo et ori meo ingero. Praepara et dirige mentem meam, ne longius inter precandum evagetur, aut a re proposita perturbatis cogitationibus abducatur. Attolle cor meum super omnia transitoria, neque permittas, ut obicem

ponam ineffabili munificentiae tuae. Excita in me vehementiorem convivii tui famem simulque purifica me ab omni peccato, ne indigne comedam te, o Panis vitae aeternae! Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Satiasti nunc iterum esurientem animam meam, o Jesu liberalissime! Teipsum mihi manducandum dedisti, qui es panis vivus, panis de coelo descendens, panis vitae aeternae. Jure demiror istud amoris tui prodigium. — Grande fuit illud in loco deserto miraculum, ubi quinque panibus saturabas totidem millia hominum. Sed longe mirabilius est hoc coeleste convivium, hoc corporis et sanguinis tui mysterium, quod in ultima coena instituisti nobisque reliquisti tamquam memoriale praecipuum amoris tui. Diligo te; bone Jesu, amabilissime Salvator! Te confidenter amplector ulnis animae meae, rogans, ut omnem rerum inanium amorem ejicias e corde meo. Fac, obsecro, ut arctissimo caritatis vinculo semper tecum conjunctus permaneam.

„Transfige, dulcissime Jesu, medullas animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui. Te concupiscat et deficiat in atria tua: cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea jugiter esuriat te, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis. Te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum; et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Te semper sitiat, fontem vitae, fontem sapientiae e

scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei. Te semper ambiat cor meum, te quaerat, te inveniat; ad te tendat, ad te perveniat; te meditetur, te sequatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et suavitate, cum patientia et pace, cum perseverantia usque in finem. Tu solus sis semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea et thesaurus meus: in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. Amen. *S. Bonaventura.*

FERIA VI.

Ad exercitia spiritualia quotannis (si fieri potest) obeunda impellat te: 1) Christi, Apostolorum sanctorumque sacerdotum exemplum; 2) Ecclesiae desiderium; 3) cura tuae salutis et perfectionis sacerdotalis; 4) utilitas pro animabus tibi commissis exspectanda.

PRECES ANTE MISSAM.

Benignitas tua, Domine Jesu, magno quidem me desiderio incendit, accedendi aram tuam et celebrandi mysteria sanctissimi corporis et sanguinis tui. Sed magno pariter in timore sum, si divinae Majestatis tuae fulgorem ac cordis mei squalorem accuratiore mentis oculo contueor. Enimvero longe recederem a sacra

mensa, nisi tua me animaret misericordia, qua, sedens ad dexteram Patris, interpellas pro nobis et assidue nostram peroras causam. Tua igitur fretus infinita bonitate, Jesu suavissime, vade nunc ad altare tuum, magnopere supplicans, ut me meosque omnes ac singulos aeterno Patri tuo reconciliare digneris. Quis alius pro nobis tam efficaciter deprecari poterit, sicut tu, unigenitus Dei Filius, qui in diebus carnis tuae saepius in montem ascendebas, ibique solus orabas Patrem in abscondito pro nova Ecclesia tua? Age jam, Mediator Dei et hominum! Pontifex magne, qui penetrasti coelos, *semper vivens* (Hebr. 7.) *ad interpellandum pro nobis:* siste nos hodie tecum ante conspectum Patris tui, eique temetipsum offer hostiam propitiatoriam pro peccatis nostris. Clementissime Jesu! tuas junge preces precibus nostris, et Patrem tuum exora pro nobis atque nobiscum.

Pater sancte, qui in altis habitas, et humilia respicis in coelo et in terra: respice in faciem Christi tui, qui humiliavit semetipsum, factus tibi obediens usque ad mortem crucis; respice dilectum Filium tuum, in quo tibi semper bene complacuisti. Pater juste! en Unigenitum tuum, quem propter scelus populi tui percussisti et in mortem tradidisti. Ecce carissimum Filium tuum, qui graviter vulneratus est propter iniquitates hominum, et attritus est propter scelera illorum. Propitius esto peccantibus, parce reis: Pater, ignosce illis. Vide Redemtoris supplicia, et dimitte redemtorum delicta. Aspice Salvatoris merita, et condona salvandorum demerita. Pater, sanctifica illos in veritate, qui credunt in nomine Unigeniti tui. Diligis Filium, et omnia dedisti in manu ejus, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. Sic enim dilexisti mundum, ut Filiur

tuum unigenitum dares; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Amen, amen.

PRECES POST MISSAM.

Quam dulcis et optata mihi sit tua haec praesentia, Domine Jesu, verbis exprimere non valeo. Subintrare dignatus es humile cordis mei cubiculum, ut anima mea nunc ceterorum omnium oblita, clauso ostio, loquatur tibi soli, suo sponso dilectissimo. O felix hora, qua mihi tecum in familiare colloquium venire licet! — Sed quid tibi loquar, amabilissime Sponse? Nescio prae gaudio, quae nunc cogitare aut dicere me oporteat: nam adeo liberalis es erga me, Fili Dei, ut prae laetitia ac consolatione vix mei compos sim. Mirabilis et incomprehensibilis est tua in me bonitas, qua mihi denuo sacrosanctum corpus et sanguinem tuum dedisti in cibum et potum.

Homines illi, quos in deserto quinque panibus hordeaceis satiaveras, omnipotens Deus, volebant te sibi regem habere tibique se submittere in signum gratitudinis suae. Etiam ego, non pane quidem hordeaceo, non cibo communi, sed Angelorum pane nunc a te satiatus, in signum grati animi te constituo regem cordis mei, tibique me et omnia mea lubens subjicio: me meaque omnia trado manibus tuis, ut agas mecum pro lubitu tuo. Jesu humillime, qui regium honorem oblatum sprevisti, et in montem fugiendo palam indicasti, regnum tuum non esse de hoc mundo: fac, ut despiciam mundana et diligam coelestia. Remove me longius a molesto saeculi tumultu, quo liberius tibi servire valeam. Tibi soli auscultare et adhaerere desidero. Donec corpore mortis hujus detentus fuero, haec sit optima pars

mea, haec unica consolatio mea, ut, ab omnibus rerum temporalium curis solutus, tibi soli intendam, te possideam, in te quiescam; ut mundum immundum fugiam, ut in solitudinem me recipiam, ibique grata laborum precumque vicissitudine utar. Doce me orare, divine Magister, ne incassum mittam preces, sed ut exaudiri merear ante conspectum Majestatis tuae.

„Dum cupio cor meum ad orandum excitare et adsuefacere, nullius in hac re magisterio malim erudiri, quam tuo, Domine Jesu, Sapientia Dei Patris! Recogito itaque modos orationum, quibus tu orans in terris formam nobis dedisti perfectae orationis: et invenio te aliquando orantem in solitudine, aliquando in turba, aliquando in exultatione spiritus, aliquando in sanguineo sudore, aliquando in cruce. Exultatio spiritus et solitudo orandi dulcissima mihi sunt ad imitandum, sed nisi tu me praevenias in benedictionibus dulcedinis tuae, solitudinem quidem facile invenio, sed non tam facile cor solitarium. Exultatio vero spiritus oritur vel ex puritate conscientiae, cujus mihi conscius non sum; vel ex abundantia gratiae tuae, cujus indignus sum. Orare autem in turba, tuum fuit, cui nihil defuit; quod tamen, si ita exigas, nec ego refugio. Scio, Domine, scio, quod pernecessaria mihi esset oratio illa sanguinea et oratio crucis. Verum non habeo sudorem sanguineum; sed lacrymas sanguineas exsudat cor meum coram oculis tuis. Nec corpus meum reperit crucem, in qua crucietur: at imbecillis anima mea super omnem crucis dolorem in semetipsa cruciatur.“ *Guilhelm. Clun.*

In hac cruce mea, tibi notissima, Domine, miserabiliter discrucior; in hac cruce oro, in hac clamo: ***Deus, Deus meus! respice in me et miserere mei*** O bone Jesu! fac me tuis insistere vestigiis. Tuo r

conforta exemplo et auxilio, Rex regum, qui non aliam in terris voluisti habere coronam, nisi spineam; non aliud sceptrum, nisi arundinem; non aliam purpuram, nisi chlamydem; nec alium thronum, nisi crucem. Ita oportuit te pati, et ita intrare in gloriam tuam. Trahe me post te, Rex aeternae gloriae, ut tandem et ego inter beatos crucis tuae discipulos tecum merear in coelo regnare per infinita saecula. Amen.

SABBATO.

In procellis hujus vitae: 1) Respice Christum; 2) confide in Christo; 3) firmiter ipsi adhaere; 4) invoca Christum.

PRECES ANTE MISSAM.

„Coelestis Pater, omnipotens et misericors Deus, qui Ecclesiam sanctam, quae est congregatio hominum per universum terrarum orbem dispersa et in unitate verae fidei collecta, unigenito Filio tuo desponsasti tunc, cum illam amarissima sua morte in cruce redimeret, ita ut ille nunc Ecclesiae non tantum sponsus sit, sed et caput; qui, antequam ad coelos reverteretur, promisit, se cum ea futurum usque ad consummationem saeculi: nos, illius membra, rogamus te suppliciter, ut digneris misericordes oculos tuos in nos convertere et omnes infirmitates nostras a nobis auferre; ut ex fide in nobis operante liquido constare queat, cujus Patris filii, et cujus Praeceptoris simus discipuli. Ante omnia vero deprecamur te, ut protegas et conserves Ecclesiam, Petri naviculam, in medio maris impetuosi, inter saevas

turbinum procellas et terribiles inundationes fluctuantem, ne demersa intereat" [1].

Pater misericordiarum, cujus olim manu dirigente arca Noë ferebatur super aquas diluvii: clementer respice Petri naviculam, quae tenebrosas inter rerum perturbationes supernam anhelat patriam. Ad te confugimus, ad te manus et oculos attollimus, cum nemo sit praeter te, qui nobis, in tanto discrimine versantibus, subvenire possit. *Domine Deus virtutum! quis similis tibi? Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* Vide magnam afflictionem Ecclesiae tuae, laborantis inter horribilem persecutionum procellas. Defende hanc Unigeniti tui sponsam, ut inferorum portae non praevaleant adversus eam.

Summe Deus, cujus incircumscripta aeternitas perdurat sine initio ac protenditur sine fine; tibi hodie sacrificamus hostiam sanctam, enixe rogantes, ut augeas in nobis animi robur ad superandas istorum temporum acerbitates. Da nobis per infinita Unigeniti tui merita, ut animae nostrae navicula, post superatas tumultuantis saeculi tempestates, tutissimum aeternae beatitudinis portum feliciter attingat. Et quoniam iniquitates nostrae coeptum hujus peregrinationis cursum non raro praepediunt, ad aram tibi supplicamus, ut projicias in profundum maris omnia peccata nostra. Miserere pariter heterodoxorum, qui extra Petri naviculam, extra veram Ecclesiam, falsis opinionibus misere hac illac circumferuntur. Memento etc.

Ad Christum. Fili Dei, Redemtor mundi! quia diligo te ex toto corde, vehementer cupio adire sacram

[1] Ex Manuali Joan. Suicard. Ep. Mogunt.

mensam tuam. Imo et dubitanti mihi succlamare te audio: *Veni, veni.* Sed qua fronte foedissimus ego peccator ad te propius accedere ausim? Expurga prius animam meam ab omni peccato, ne indigne tractem altaris mysterium. „Domine Jesu! in profundum iniquitatis mare demersus sum, et ipsius fluctibus huc illuc impulsus a via mandatorum tuorum quam longissime aberravi; ideoque in ingentes calamitates incidi. Te, Domine, suppliciter invoco, te inclamo, sicut Petrus in mari. „Et quemadmodum ipsum ex horrendis fluctuum vorticibus sartum tectumque ad te traxisti: ita et me ab ingenti criminum meorum pelago ut eripias, supplex oro.“ *S. Ephr.*

Bone Jesu! misericorditer intuere me, millenas inter tentationum procellas laborantem. Refice me in loco pascuae tuae, ut dulci recreatus epulo mearum obliviscar miseriarum. Pasce, Domine, servum tuum, qui te panem vivum esurit, et tantos inter labores te solum appetit, te solum quaerit, te solum desiderat. Fiducialiter et sine timore festino nunc ad altare tuum, ut inveniam inventumque teneam, quem diligit anima mea. Propero ad mensam tuam, ut te recipiam hospitio cordis mei et ruam in amplexus tuos, amabilissime Jesu! qui vivis etc.

PRECES POST MISSAM.

Teneo, quem diligit anima mea. Amorem meum teneo, nec dimitto. — Dilectus meus mihi, et ego illi. — Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexatur me. — O mi Jesu suavissime! Deus cordis mei! amore tui langueo. Quis mihi tribuat, ut amore tui moriar? — Ingenti quondam laetitia complevisti

Apostolos, navigantes in mari turbulento, laborantes in remigando, trepidantes in noctis caligine, dum eis apparuisti super aquas ambulans et dixisti: *Habete fiduciam, ego sum, nolite timere.* Simili gaudio atque solatio nunc abundat anima mea, quae te sponsum suum praesentem nunc secum habet. Jesu, Fili Dei! pronus adoro te, gratias agens tibi pro dulci epulo, quo me denuo cibasti. Jam majorem tibi promitto fidelitatem et diligentiam in sancto servitio tuo. Quoad vixero, quoad inter hos aerumnarum turbines navigavero, totis semper viribus et omnibus nervis agonizabo pro anima mea, et usque ad mortem certabo pro justitia.

Verum quid possum ex me, Domine? Tristi jam edoctus experientia satis agnosco, me penitus imparem esse vincendis tentationum incursionibus, si mihimetipsi relinquar. Irritus est omnis conatus meus, nisi tu mihi porrigas dexteram. Timeo ventum contrarium, cujus impetu facile transversum agi possum. Confidens itaque de bonitate tua cum Petro ad te clamo: *Domine, salvum me fac:* extende manum tuam et apprehende dexteram meam. „Inclina aurem tuam et exaudi vocem meam, o Fili Dei! Revoca mentem meam a vanitate, et transfer cogitationes meas ad alteram vitam. Corripe me in misericordia tua, ut erudiar; et in multitudine miserationum tuarum posside me. Simonem Petrum, qui te invocavit in fluctibus, adjuvisti, ne mergeretur: me quoque, ut Petrum, erue a turbulentis hujus saeculi tempestatibus.“ *S. Ephr.*

„Quotidie de vita aeterna periclitor; et nisi tu, Domine, adjuvisses me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Gratias tibi, Domine Jesu! quia, si gravia sunt pericula, facilia sunt remedia. Quod semel in Petro figurasti corporaliter, in Petri filiis quotidi

imples spiritualiter. Jussisti nos ad te venire super aquas, super hoc mare magnum et spatiosum, ubi vitiorum sunt reptilia, quorum non est numerus. Tuo quidem auxilio confortati ambulamus, sed pondere nostro gravamur, et irruente spiritu procellarum ita impellimur, ut etiam mergi incipiamus. Si autem mox invocamus auxilium tuum, misericorditer porrigis manum tuam.“ *Guerricus.*

„Domine Jesu, unica spes humani generis! lux tua inter caliginosas nebulas super maris procellas, quasi stella maris, oculos nostros irradiat, ut dirigamur ad te, portum beatitudinis aeternae. Guberna, Domine, naviculam nostram clavo crucis tuae, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempestas aquae, ne absorbeat nos profundum. Unco crucis tuae retrahe nos ab hoc pelago ad te, unicum consolatorem nostrum, quem a longe, quasi solem justitiae, vix oculis lacrymantibus videmus, in litore patriae coelestis nos exspectantem. En, ad te clamamus redemti tui, sed etiamnum exules tui, quos pretioso sanguine redemisti. Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terrae et in mari longe. In mari turbulento versamur. Tu in litore stans aspicis pericula nostra. Salvos nos fac propter nomen tuum. Da nobis, Domine, inter scyllam et charybdim ita dirigere cursum, ut, omni periculo vitato, salvis meritorum mercibus, securi perveniamus ad portum felicitatis aeternae. Amen.“ *S. Aug.*

DOMINICA XI. POST PENTECOST.

Jesus surdum mutumque sanans insinuat nobis, quomodo cooperari debeamus conversioni peccatorum: 1)

removendo impedimenta conversionis, occasiones peccati („de turba seorsum"); 2) orando pro ipsis („suspiciens.. ingemuit"); 3) (praedicando et) audiendo ipsorum confessiones („ait Ephphetha").

PRECES ANTE MISSAM.

Regnator universi, Pater omnipotens, misericordissime Deus! tibi omnes coelites ac cuncti beatorum spirituum ordines gloriam et honorem incessabili voce concinunt. Te omnes sancti et justorum animae perpetim adorant ac collaudant. Tibi soli debetur omnis honor et gloria. Nec ulla est creatura, quantumvis excellens, quae digne satis te possit extollere. Tu homines formasti, lapsosque reformasti per Verbum tuum incarnatum. Quaecunque mortales possident bona vel in corpore vel in animo, tibi, summo Bono, in acceptis referunt, a quo cuncta bona proveniunt.

Hinc etiam miser ego homuncio, minima tui plasmatis portio, te laudare tibique debitas exsolvere grates aveo. Verumtamen ex me sine ope tua id praestare nequeo. Te igitur obsecro, Deus meus, fortitudo et unica spes mea! dignare me laudare te. Sana me mutum et elinguem. *Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.* Pone mihi verbum in ore et lumen in corde: ut cor meum cogitet potentiam tuam, et os meum dilaudet misericordiam tuam. Sed quia *non est speciosa laus* (Eccli. 15.) *in ore peccatoris:* emunda me ab omni delictorum macula, quo honorificentius te laudare valeam. Clementer respice hostiam laudis, quam oblaturus sum hodie in gratiarum actionem pro beneficiis tuis, et in satisfactionem pro peccatis nostris.

Amantissime Deus! miserere mei meorumque om-

nium, quorum de salute mihi gravis est cura. Effice, quaeso, per virtutem hujus oblationis, ut amoris tui suavitas teneat animas nostras, easque transferat de humanis ad divina, de terrenis ad coelestia, de transitoriis ad aeterna. Moderare, Pater, animos nostros, ut tibi debitum assidue deferamus honorem atque servitium. Aperi aures nostras, ut vocem tuam et libenter audiamus, et impigre sequamur. Dirige linguas nostras, ut *recte* loquamur. Opitulare singulis consacerdotibus meis, Ecclesiae tuae ministris. „Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus, digne ac devote tibi in omni puritate et conscientia bona famulari valeamus. Et, si non possumus in tanta innocentia vitae conversari, ut debemus: concede nobis tamen digne flere mala, quae gessimus; et in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius de cetero deservire“ [1].

Vanae gloriae appetitum ex animis nostris evelle, Pater benignissime, tuamque nobis impertire gratiam, ut humiliter abscondamus opera nostra bona, ne fors illorum ostentatione perdamus omne meritum. Da nobis omnibus talem solitudinis amorem, ut discedamus *de turba seorsum*, et animo relinquamus hunc mundum, *ut non cum hoc mundo damnemur*. Concede nobis in isto exilio degentibus ita laudare et amare te, ut aliquando perveniamus ad beata illorum agmina, qui sine fine laudabunt et amabunt te in coelesti patria. Memento etc.

---

[1] Imitat. Chr. l. 4. c. 11.

PRECES POST MISSAM.

Curvatis genibus adoro te, clementissime Jesu, qui longe mihi praestantius hodie beneficium tribuisti, quam illi surdo et muto homini ad te perducto. Illum namque ut sanares, mittebas solum digitos tuos in auriculas ejus et tangebas linguam ejus: meam autem vegeraturus animam, totum mihi dedisti corpus tuum ad manducandum totumque sanguinem tuum ad bibendum. O grande fidei mysterium! o mirabile caritatis arcanum! — Grates tibi, suavissime Jesu, pro singulari hac dilectione tua, qua me rursus ad altare tuum admisisti, ut sacra synaxi sanctificares os meum, linguam meam, praecordia mea. O si dignis te laudibus efferre possem! Utinam mille mihi essent linguae, ad munificentiam tuam satis depraedicandam! At o miserum me! non est speciosa laus in ore peccatoris.

Dulcissime Jesu! Medice omnipotens! haud te latet, quamdiu surdus ego mutusque fuerim. Surdus eram, dum voci tuae, ad virtutis studium me invitanti ac validissime inclamanti, pronas praebere aures abnuebam. Mutus eram, dum nec tecum nec cum proximo meo recte loquebar, prout debueram. Bone Jesu! fac, ut in posterum monitis tuis audiendis apertae sint aures meae, nec gravate percipiam vocem tuam, undecunque demum mihi sonantem Oro te, Jesu potentissime! tange linguam meam et solve vinculum ejus, ut loquar recte et sancte, sicut decet sanctum sacerdotem tuum. Doce me loqui verba tuae caritatis, ut audire merear responsa aeternae salutis.

Ille sum ego, Domine, qui verbis labiorum meorum multoties te in sacram mensam evoco: absint igitur a labiis meis ea verba, quae vanitatem aut scurrilitatem

olent. Sacerdos sum, et lingua mea quotidie madet pretiosissimo sanguine tuo: expurga itaque cor meum et linguam meam, ne vel unum inde procedat verbulum obscoenum, aut famae alterius injuriosum, aut ab ira exasperatum. Sacerdos tuus sum, cujus voci tu Dominus obediens occultas te sub panis et vini speciebus: quidni et ego secundis auribus accipiam et animo libenti faciam, quaecunque superiores mei, sive statuta synodalia, vel aliae praesulum meorum leges imperaverint? Jam pridem me isthaec observare oportuisset; quod cum neglexerim, supplex veniam deprecor et tuum imploro auxilium, ut deinceps audiam recte, loquar recte, agam recte. Largire mihi simul animi robur, ut in arguendis peccatoribus non sim mutus canis, sed ut omni ope contendam eos a vitiis avocare et ad virtutes stimulare. Si tuam mihi dederis gratiam, in omni eventu te Deum laudabo et cum illis hominibus dicam: *Bene omnia fecit.* Quidquid mecum ordinaveris, non lamentabor nec indignabor, sed dabo tibi gloriam et dicam: *Bene omnia fecit.* Si quid adversi contigerit mihi, si ab adversariis vilipendar, aut alio vexationis genere premar, exclamabo: *Sic voluit Dominus; sic permisit, qui omnia bene fecit.* Si ad irritum omnis spes vel opera mea ceciderit, dicam: *A Domino factum est istud, qui bene omnia fecit.* Tam in prosperis, quam in adversis os meum annuntiabit laudem tuam. Laudabo te in tempore, laudabo in aeternitate. *Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi!* Qui vivis.

FERIA II.

Manna figura Eucharistiae: 1) in se (utrumq. panis mirabilis, panis de coelo, p. electorum etc.); 2) quoad effectus (dulcedo — sapit secundum cujusq. voluntatem s. necessitatem, roborat ad pugnam etc.); 3) quoad suscipientes (debes prius, sicut Israëlitae, relinquere Aegyptum h e. peccatum, desideria carnis, transire per mare rubrum poenitentiae etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Iterum accedimus altare tuum, Pater omnipotens, aeterne Deus, oblaturi dilectum Filium tuum, Jesum Christum, cujus in sacrosancta immolatione tibi summopere complaces. Gratis iterum animis adoramus et laudamus te. Pater amantissime! nobis enim filiis tuis parum morigeris dedisti *panem de coelo verum, qui dat vitam mundo.* Liceat nobis, o liberalissime Pater, adire sacram mensam tuam, ubi cibum adeo pretiosum ac plane coelestem nobis praeparasti. Admitte nos indignos peccatores ad aram tuam, ut ibi sacrificium illud, quod Unigenitus tuus instituit, offeramus supremae Majestati tuae. Bone Deus! exaudi nos, et clementer respice hanc victimam, quam hodie sacrificamus in gratiarum actionem pro indubitata corporis Christi sub panis specie praesentia, cujus figura erat manna Israelitarum in deserto.

Pater aeterne! firmiter credimus, quod, sicuti populus Israëliticus in deserto nutritus est pane Angelorum, ita et nos sacro Unigeniti tui corpore, sub panis specie occultato, pascamur in aerumnosa hac peregrinatione. *Domine, semper da nobis panem hunc* digne manducare ad salutem animarum nostrarum. Con-

cede nobis gratiae auxilium, ut debita semper reverentia ac cordis munditia comedamus eucharisticum manna, panem vivum, quo salubriorem inde percipiamus effectum.

Per virtutem istius sacrificii propitius esto nobis, Domine Deus, siquando rem hanc divinissimam non ea, qua decet, animi puritate ac veneratione tractaverimus, et ob hoc indignationem tuam in nos converterimus. Misericorditer respice nimiam infirmitatem nostram, qua fit, ut amori huic eucharistico non simus respondendo. Da cunctis recte credentibus, *ut cognoscant te solum verum Deum* (Joan. 17.), *et quem misisti, Jesum Christum.* Da nobis sacerdotibus, ut digne tractemus decenterque populo praebeamus panem coelestem, qui dat vitam mundo. Concede simul indulgentiam et requiem aeternam fidelibus defunctis, qui in frequentando eucharistiae sacramento minorem posuerunt devotionem atque reverentiam. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Manhu? quid est hoc? — Quis aut qualis erat panis, o mi Jesu, quem mihi hodie manducandum dedisti super mensam tuam? — O stupendum super omnia miraculum! Teipsum mihi totum praebuisti in cibum: proprio tuo corpore et sanguine jam denuo refecisti esurientem animam meam. — Quo crebrius manduco te, *panem de coelo verum,* eo magis admiror inexhaustae bonitatis tuae abundantiam. In domo Patris mei pretiosissimo pane abundo miser ego peccator, qui fame jam pridem perire debuissem. Mira prorsus et inscrutabilis est tua erga me caritas atque beneficentia.

„In hoc sacramento, Domine, sub panis ac vini

speciebus nobis praebes temetipsum Deum-Hominem, tamquam panem et cibum verum animarum nostrarum, ut inde pascamur, nutriamur, reficiamur. Quod quidem sacramentum pulchre olim in manna typico filiis Israël praefigurasti. Quemadmodum enim illis non sufficiebat, ex Aegypto per mare rubrum venisse in desertum, nisi haberent alimentum, quo in deserti illius vastitate alerentur, donec ad terram promissam pertingerent, et quia cibum convenientem illa solitudo non proferebat, coelesti pabulo nutriti sunt: ita per omnia, juxta typi hujus significationem, in novo testamento post acceptam in baptismo vitam, post acceptum in confirmatione robur, post coeptum laboriosum iter per desertum hujus saeculi, necesse fuit, animas nostras sustentari pabulo congruo, quod, quia terra haec deserta proferre non potuit, de coelo nobis in sacramento proponere et teipsum nobis in cibum vivificum dare voluisti, Domine, ut invisibili virtute tua reficeres animas nostras easque conservares in sua fortitudine" [1].

O Jesu mi dulcissime! utinam digne semper manducassem te *panem de coelo verum!* Israëlitae reverenter comedebant manna, etiamsi figuram solum et typum panis nostri coelestis haberent. Et ego famulus tuus, innumeris a te cumulatus beneficiis, tam irreverenter sumo hunc cibum Angelorum, quin imo te benefactorem meum identidem offendo. Vere turpissimam ingrati animi culpam sustineo, quia multoties obliviscor infiniti amoris tui, quo me semper complexus es. Effice, rogo, Jesu suavissime, ut saltem in posterum majore diligentia me praeparem ad divinum hunc cibum rite pieque capiendum. *Domine, semper da mihi*

[1] Titelman. Hasselt.

panem hunc. Ut autem evadam dignus, qui vescar illo, da mihi fidem efficacem, fidem stabilem et illuminatam, spe ac caritate plenam, studiosam gloriae tuae, gratam pro munificentia tua, vigilem sedulamque in observanda lege tua. Duplicem insuper hanc gratiam a te rursum efflagito, scilicet: ne unquam indigne comedam hunc panem coelestem; dein, ut extrema correptus invaletudine rite percipiam hoc manna vivificum, tamquam tutissimum aeternitatis viaticum, quo confortatus feliciter ex hoc deserto perveniam ad coelestem patriam, ad immortalem vitam, quam asseclis tuis studiose tibi famulantibus promisisti. Qui vivis.

FERIA III.

Communio spiritualis pro sacerdote est: 1) summopere decens (quippe qui quotidie celebrat — communicat — alios excitare debet etc.); 2) facilis (quot occasiones — incitamenta etc.); 3) dulcis et utilis (ne tepescat — ut digne et fructuose celebret etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Liberalissime Jesu, panis vitae aeternae, qui de coelo descendisti, ut tuorum fieres cibus fidelium: en iterum ad te venio ut infinitae largitatis tuae particeps fiam. Accedo nunc ad mensam tuam, ut te panem vivum comedam et calicem salutis accipiam. Valde quidem me terret improbitas mea et avocat me a sacro convivio tuo. „Domine Deus noster, panis coelestis, vita universi! peccavi in coelum et coram te, et non sum dignus particeps fieri immaculatorum tuorum my-

steriorum. Sed tu, misericors Deus, dignum me fac gratia tua, ut citra condemnationem particeps fiam sancti corporis et pretiosi sanguinis tui in remissionem peccatorum et vitam aeternam“ [1].

Immundus sum equidem peccator et plane indignus qui propius accedam ad tremenda mysteria tua. Verumtamen cum ipse dixeris: *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras;* ideo rursum ad te venio, clementissime Domine! venio in spiritu humilitatis et in animo contrito, tactus dolore criminum meorum. Ad te venio plenus spe atque fiducia, simulque magno aestuans desiderio te possidendi. Supplex igitur oro te, ut indignum me famulum tuum non ejicias foras, sed misericorditer admittas ad altare tuum, ut ibi devote commedam te panem coelestem. Amen.

Ad Patrem. „Utinam ego nunc inveniam gratiam in oculis tuis, sancte Pater, aeterne Deus, et tu mihi mittas de excelso coelorum habitaculo vehementiorem amoris ardorem, quo inflammatus et tuis mysteriis dignus effectus secure possim ad sacrosanctam mensam tuam accedere et panem vivum sumere ad nutrimentum animae meae. O Pater aeterne! per dilectissimum Filium tuum, qui se nobis sub sacramento praesentem exhibet, te obsecro et obtestor, ut animam meam ab omni inquinamento peccati emundare digneris, ut Filium tuum unigenitum digne queam intra tenue cordis mei hospitium suscipere“ [2].

„Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus omnipotens! tribue, precor, ut incalescat cor meum intra me, et in meditatione mea exardescat ignis; et quia Unigenitus tuus dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater*

[1] Liturg. s. Jacobi Apost. [2] Titelman. Hasselt.

qui misit me, traxerit eum, obsecro et suppliciter rogo, trahe me semper ad ipsum; et ipse tandem perducat me ad te illuc, ubi sempiterna vita, ubi amor perfectus et nullus timor, ubi dies aeternus; ubi certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix aeternitas, aeterna beatitudo, et beata tui visio atque laudatio" [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Famem sitimque meam denuo sedasti, Jesu Christe, dum mihi sacratissimum corpus et sanguinem tuum dedisti in cibum et potum. Pro dulcissimo hoc vitae alimento, pro magnis hisce muneribus, quae hodie ad mensam tuam suscepi, maximas tibi refero grates. Omnino perspectam habes imbecillitatem meam, quae pro talibus donis debitam tibi gratiam persolvere nequit. Benigne saltem accipe bonam meam voluntatem, quae tuum pariter est donum. Adoro laudoque te, quantum valeo, pro mirifica hac largitate tua, qua mihi toties tribuis teipsum, panem vivum, panem coelestem, omne delectamentum in se habentem.

Jesu, Fili Dei! aliquando Judaeos increpabas, dicens: *Vidistis me et non creditis;* en ego, licet te non videam oculis carnis, firmissime tamen credo tibi et in te; nec credere cessabo tua roboratus ope divina. Fidei solum oculis conspicio te sub eucharisticis speciebus absconditum; et hoc mihi satis est ad consolationem meam. Aperte dixisti: *Hoc est corpus meum.* Istud verbum tuum mihi sufficit ad firmandam fidem meam, ad erigendam spem meam, ad inflammandam caritatem

[1] S. Laur. Just.

meam. Te habeo nunc in praecordiis meis, o bone Jesu! Arctissime stringo te ulnis animae meae, humiliter rogans, ne me unquam a caritate tua separari patiaris; nimis enim deploranda foret jactura, si tuam perderem gratiam.

Domine Jesu! dixisti Judaeis: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Ecce paratum me ad omnia, quaecunque circa res meas ordinaveris. Absit a me, ut repugnem divinae voluntati tuae. Pro nominis tui gloria laborabo et tolerabo, quod vis, quia vis, quomodo vis et quamdiu vis. „Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, quae mecum sit et mecum laboret, mecumque usque in finem perseveret. Da mihi hoc semper desiderare et velle, quod tibi magis acceptum est et carius placet. Tua voluntas mea sit; et mea voluntas tuam semper sequatur et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum; nec aliud posse, velle aut nolle, nisi quod tu vis et nolis. Da mihi super omnia desiderata in te requiescere et cor meum in te pacificare“ [1].

Jesu Christe, Mediator Dei et hominum! pro salute mea deprecare Patrem tuum coelestem, et impetra mihi augmentum fidei, spei ac caritatis, ut, qui multoties comedo panem coelestem, coelestia solum cogitem, coelestia quaeram et appetam. O Panis vive, qui de coelo descendisti, ut illuc nobis aditum reserares: nemo potest illuc ascendere et venire ad te, nisi quem Pater tuus traxerit divina gratia; te igitur quaeso, ut intercedas pro me apud Patrem tuum. Offer ei pro me infinita passionis tuae merita. Adjuva me, Domine Jesu! o Vita

[1] Imit. Chr. l. III. c. 15.

hominum! et effice, precor, ut in te, per te, apud te vivam in regno coelesti per omne aevum. Exaudi me, Jesu, ad honorem tui nominis et animae meae felicitatem. Amen.

FERIA IV.

Considera s. communionis effectus: 1) unit; 2) sanat; 3) sanctificat; 4) roborat; 5) laetificat. — Talesne in te producit?

PRECES ANTE MISSAM.

„Panis vivus et vitalis, vitam praestans homini! Panis sancte, qui de coelo descendisti, ut ad coelum nos transferres! Panis Angelorum, angelici nos faciens ordinis! Panis, qui caro es pro mundi vita! Panis, qui vere es cibus, animas esurientes implens bonis! O dulcissime Domine Jesu Christe! tu quidem dixisti: ***Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;*** verum terret me plus nimium, quod in veteri lege nequidem ad panes propositionis (qui tantum tui figuram repraesentabant) quisquam admitteretur, nisi purus esset et a sordibus liber. Ast multo majorem mihi terrorem incutiunt verba Apostoli, dicentis: ***Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.*** Positus igitur in medio, quo me vertam, nescio. Nisi te panem vivum sumsero, nulla mihi speranda est vita. Si indigne sumsero, mors et gehenna me manet: tu namque purissimus es panis, toti quidem mundo

propositus in salutem, sed digne tantum et puro corde sumentibus es esca salutis. Quid ergo faciam miser? — Angustiae mihi sunt undique. Terrores mortis conturbant me: timor et tremor venerunt super me. — Quo fugiam, nisi ad te, Deus meus? Fiducialiter ad te confugio, Domine Jesu, qui solus Salvatoris nomen obtines: qui sanas contritos corde, qui neminem vis perire, qui venisti peccatores salvos facere; qui dixisti: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ad te igitur, o benignissime Jesu! ad te fontem misericordiae lavandus accedo; ad te medicum sanandus venio; ad te Salvatorem salvandus adpropero. Ne declines in ira a servo tuo, sed secundum multitudinem bonitatis tuae dele transgressiones meas. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Fac me sicut unum de mercenariis tuis. Indignum namque meipsum fateor, qui tanti Patris merear dici filius. Oro te, ut hoc pane suavissimo, omne delectamentum in se habente, cibare me velis, ne fame peream. Aufer a me, Domine, cunctas iniquitates meas, ut totus purificatus digne degustare merear te panem vivum. Concede, precor, ut sancta haec praelibatio corporis et sanguinis tui, quam ego indignus, de tua confidens bonitate, sumere praesumo, sit peccatorum meorum certa remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit inanium cogitationum expulsio, sit operum tibi placentium incitatio, animae quoque et corporis ad vitam aeternam saluberrima refectio. Amen" [1]. Memento NN.

[1] Ex Manuali Suicard. Ep. Mogunt.

PRECES POST MISSAM.

Nutrivisti jam iterum languentem animam meam, Domine Jesu Christe! Liberaliter refecisti me cibo potuque vere mirabili, nempe sacratissimo corpore et sanguine tuo. Grates, quas possum, maximas ago divinae bonitati tuae, quae tam incomparabilem mihi salutis alimoniam dedit. Non est, cur filiis Israël invideam manna typicum, dum ego toties edo panem de coelo verum. Mirabile quidem erat manna, quo illi victitabant in deserto: longe tamen mirabilior est panis vivus, quo fideles vescuntur ad mensam tuam. Israëlitae manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: quisquis autem pie comederit te panem coelestem, in superna patria tecum *vivet in aeternum.*

Haec est spes mea, Domine, quae me solatur inter varia hujus peregrinationis incommoda. Etsi multis affligar aerumnis, etsi graves me premant miseriae, etsi cum Apostolo quotidie moriar, etsi dura mihi fortuna diripiat omnia: spe tamen aeternae salutis orbari nequeo. Scio, Domine, quod in novissimo die me revocaturus sis a morte ad vitam, ut corruptibile hoc corpus meum induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem; ut tecum in coelo vivam, in regno tuo vivam, inter sanctos tuos aeternum vivam. Reposita est haec spes mea in sinu meo, spes vere dulcissima, quae omnes labores meos recreat, omnes dolores meos mitigat, onera mea relevat, et animum meum ad spirituale certamen, ad omne virtutis studium, incitat animatque.

Jesus, vere cibus meus in hoc exilio! — Jesus, vere cibus meus in mortis confinio! Jesus, cibus meus perpetuus in coelo! — Vix amplius meipsum capio, quia non capio sortem meam felicissimam. Ergone tam

ardenter amas me, o Fili Dei? — ergone panis meus quotidianus esse dignaris, o Salvator amabilissime? — Quare non ardeo totusque comburor amore mutuo? — Tu Deus incomprehensae majestatis usque adeo diligis me, ut fias cibus et potus animae meae. Satis non erat tibi, Domine Jesu, quod ab aeterno amaveris me, tuamque vitam pro me posueris in ligno crucis: voluisti praeterea, ut edam carnem tuam et bibam sanguinem tuum, quo intimius tibi jungar.

Dominus meus et Deus meus! accende omnia interiora mea flagrantissimo caritatis ardore. Cor novum crea in me, Deus! da mihi cor ejusmodi, quod sit secundum cor tuum. Totus tuus esse desidero, quia ex toto corde meo te diligo. Utinam actus amoris toties iterare possem, quoties respiro! O suavissime Jesu! magne Deus! en ego parvulus absorbeor in immensitate tua; quid enim arenulae pars ad oceanum universi? — Domine! conserva me semper in amore tuo, ut semper tibi placeam, et quae muneris mei sunt, accurate perficiam. Esto semper robur et auxilium meum inter tot adversa, inter tot pericula, inter tot scandala, inter aliorum naufragia. Quidquid animum meum a te posset abalienare, procul a me repelle, et arctiore in dies amoris vinculo me tecum constringe. Qui vivis.

FERIA V.

Sacerdos quotidie communicat: 1) Quaenam dispositio ad hoc requiritur in laicis? 2) major requiritur in sacerdote; (cur?) 3) quae tua dispositio, et quas habes excusationes?

PRECES ANTE MISSAM.

Holocaustum pinguissimum oblaturi hodie te suppliciter rogamus, omnipotens Pater, aeterne Deus, ut illud acceptare digneris in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, maxime autem pro singulari tua caritate et munificentia, qua dedisti nobis unigenitum Filium tuum, ut ipse non modo Redemtor noster esset atque magister, sed cibus etiam animarum nostrarum ad obtinendam vitam aeternam.

Gratis iterum animis recolimus, o sancte Pater, admirandum hunc amorem tuum, quo nobis in terra degentibus verum de coelo panem tribuis, ut inde refecti valeamus labores nostros indefesse continuare, difficultates animose superare, cunctasque calamitates patienter ferre. Credimus, amantissime Pater, quod caro Salvatoris sit vere cibus noster, et sanguis ejus vere potus noster. Rejicimus et improbamus illorum obstinationem Capharnaitarum, qui, Verbi tui incarnati verba de manducanda ipsius carne audientes, exclamabant: *Durus est hic sermo; quis potest eum audire?* Nos contra publice fatemur et dicimus: *Dulcis est hic sermo; perlibenter eum audimus et toto corde amplectimur.*

Unum est, optime Pater, quod vehementer nos angit et abstrahit ab altari tuo. Novimus scilicet, panem Angelorum non esse cibum corporum, nec epulum mortuorum, sed alimoniam vivorum atque refectionem animarum sanctarum. Quomodo jam mensam hanc purissimam adibimus impuri nos peccatores, qui tot vitiis scatemus? — Haud aliud nobis superest remedium, quam ut infinitam tuam imploremus misericerdiam, quae nos ab omni delictorum sorde purificet, animasque nostras ad digne commedendum vitae panem praeparet. In hunc

finem offerimus tibi hoc sacrificium, enixe rogantes, ut per infinita Christi merita nos a culpis praeteritis absolvas, et a futuris custodias. Da nobis augmentum fidei, spei et caritatis, ut adoranda et eximia religionis nostrae mysteria digne celebremus. Miserere infelicium haereticorum, qui circa venerandum altaris mysterium in errore versantur. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Accepi de mensa tua, Domine Jesu, cibum potumque vere pretiosum, nempe sanctissimum corpus et sanguinem tuum; manducavi teipsum totum ac integrum. Ita est, ita credo, ita coram coelo et terra profiteor. Caro tua vere est cibus, et sanguis tuus vere est potus. De hac veritate neutiquam dubito, sed libere palamque proclamo: Audiant Judaei, et contabescant; audiant Capharnaitae, et murmurent; audiant haeretici, et fremant; audiant pagani, et indignentur; audiant daemones, et contremiscant; audiant coeli, et applaudant; audiat terra, et adoret; audiat tota rerum universitas verba oris ac cordis mei: dico palam interrogandus de te, Domine, quis sis in altaris sacramento praesens; dico cum Apostolo Petro, finemque prius faciam vivendi quam dicendi: *Tu es Christus, Filius Dei*, verissime praesens in eucharistia: pro tuenda hac veritate paratus sum et in carcerem, et in mortem ire.

„Quemadmodum ad perfectam humani corporis refectionem opus est nutrimento gemino, solido videlicet pane et liquido potu: sic complacuit tibi, Domine Jesu, sub specie panis et vini nobis teipsum tradere, ut perfectam ostenderes nobis ex hoc sacramento refectionem

animarum“ [1]. Haec omnia quidem magno mihi solatio sunt; at terrent me illa verba, quibus perstrinxisti Judam proditorem: *Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est.* — O mi Jesu! Fili Dei! magno moerore affligor, recogitans, quod et ego, *unus* ex sacerdotibus tuis, fortasse merear appellari proditor tuus.

„Numquid enim proditor est, qui, postquam panem Angelorum manducaverat, nihilominus abiit in consilio impiorum et in via peccatorum stetit? Displicuit tibi in discipulo tuo proditio, quae non solum temporali punita est laqueo, sed etiam irremediabiliter igne mulctatur aeterno. Consimilis itaque cur in me tardatur ultio, cum tamen aequale in me crimen appareat proditoris? Communicasti mihi, Domine, de mensa tua, non quemlibet panem, sed ipsum panem Angelorum; nec quemlibet potum, sed pretiosum sanguinem tuum. Vero me cibo saginasti verumque mihi potum propinasti. Unde et dixisti: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Quin imo de pane Angelorum conficiendo me ipsis adeo Angelis praetulisti, concredens mihi sanctissimi corporis et sanguinis tui consecrationem, ad quam angelicae naturae puritas non accedit. Aspicere quidem panem istum cum tremore, sed non conficere audent Angeli. Mundissimis enim Angelis datum non est, quod hominibus peccatoribus concessisti. In Angelis reperisti pravitatem, dissimulans peccata hominum propter poenitentiam. Perditos homines, magna difficultate redemtos, magis honorare visus es atque diligere, quam Angelos tuos nunquam perditos

[1] Titelman. Hasselt.

ac proinde nunquam redimendos. Vere deliciae tuae sunt esse cum filiis hominum“ [1].

Cum itaque talis sit tuus in homines amor, Domine, animum non abjiciam, etsi parum abfuerim a proditoris ingratitudine. O Jesu omniscie! non ignoras intimum cordis mei dolorem, quem concepi de peccatis meis. Da, precor, ut saltem in posterum magis honorificem ministerium meum, ad quod assumsisti me prae millenis hominibus. Adjuva me, Domine, ne cum Juda proditore discedam a te, sed ut potius cum Apostolo tuo Petro tibi semper adhaeream, constanter exclamem: *Tu es Christus, Filius Dei, tu panis Angelorum et refectio animarum sanctarum.* Qui vivis.

FERIA VI.

Et die 25. April.

S. Marci Evangelistae.

Ut novi operarii veniant in messem, sacerdos: 1) oret et orari faciat; 2) adolescentes pios et diligentes seligat, adjuvet, instruat; 2) succurrat et curet ut succurratur seminariis puerorum.

PRECES ANTE MISSAM.

Sacerdotio inaugurasti me, Deus aeterne, Pater omnipotens, ut tamquam internuntius totiusque humani generis orator singulis diebus accederem altare tuum,

[1] Petr. Blesens.

supplicaturus pro hominibus. En appareo nunc coram te, augustissime Pater, et totius nomine Christianitatis te veneror et immensae Majestati tuae debitum praesto homagium. In signum nostrae subjectionis offero purissimum altaris sacrificium, enixe rogans, ut illud de manibus meis acceptare digneris. Per hujus immolationem hostiae tibi grates persolvo pro benevolentia tua, qua praeter innumeros alios etiam me provexisti ad dignitatem sacerdotalem et velut operarium misisti in messem tuam.

Sed heu! valde me pungit amara negligentiae meae recordatio. Confiteor ignaviam meam. Anteacta vita mea nimiopere discrepat a moribus sanctorum Apostolorum. Non ita me gessi hactenus, sicut decet operarios tuos. Causam meam ipse damno, culpam meam dolens agnosco, nec absque timore conscendo altare tuum. O bone Deus, qui cor contritum non despicis: tibi offero victimam propitiatoriam in satisfactionem pro peccatis, tam meis propriis, quam alienis, humiliter deprecans, ut omnia nobis delicta condonare digneris.

Per infinita hujus sacrificii merita obsecro te, Pater amantissime, ut strenuos semper operarios in Ecclesiam tuam mittas. *Messis quidem multa, operarii autem pauci.* Supplex igitur imploro bonitatem tuam, o Domine messis, ut augeas in christiana republica numerum virorum apostolicorum, qui fidelibus sacramenta decenter administrent. Fac et me et ceteros consacerdotes eximio virtutum decore nitescere, quo digniores simus exercere amplissimam potestatem nostram, quam accepimus in Christi tui corpus verum ac mysticum. Effice, Pater omnipotens, ut tueamur auctoritatem nostram venerabilem, cui non alia potestas, nec in hominibus nec in Angelis, comparari potest. Auxiliare viris

apostolicis, ut et verbis et exemplis subditos suos dirigant in via salutis. Laicis tribue spiritum obedientiae, ut presbyteros non spernant, sed humiliter eos audiant. Effunde miserationes tuas super omnes principes catholicos; et esto propitius omnibus haereticis, Judaeis, Turcis, gentilibus et ceteris a fide alienis. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Inenarrabilis est tua in me beneficientia, o Jesu dulcissime! — Coelesti pane refecisti me desidem operarium tuum, qui ne terreno quidem pane vesci commereor. Tu, summa Sanctitas, intrasti cor meum impurum. Sub panis specie velatus ad me venisti, Domine, non ut judices me, sed ut salves me; non ut arguas me, sed ut foveas me; nec ut punias me, sed ut pascas me tuo corpore et sanguine. Verba mihi desunt, Domine, quibus amorem tuum depraedicem. Cum itaque dignam tibi gratiarum actionem persolvere non valeam, in spiritu humilitatis ad pedes tuos prostratus adoro te Dominum Deum meum, *auctorem fidei*, *Dominum messis*. Intime doleo, quod tam ignavus fuerim operarius tuus. Sed nunc constituo mecum, in omnibus operibus meis praecipuam habere dignitatis meae rationem, nec admittere quidpiam, quod abhorreat a sanctitate vocationis meae. — Cum autem sine te nihil possim facere, suppliciter a te peto gratiam efficacem, ut Apostolos tuos (primos in messe tua operarios) imitari studeam eorumque vestigia pressius sequar. Da mihi divitiarum contemtum et paupertatis amorem, quo discipulis tuis similior et tibi carior evadam.

„Largire mihi alimenta, Domine, in mensura tibi non ingrata, ut quotidie laudibus tuis invigilent cogi-

tationes meae. Eripe me, ne sit in homine spes mea, neve pendeam a saeculi spe, quae spes non est. Secerne me ab illis, quos anxia nummorum cura dies noctesque cruciat et denique necat. Apostolis tuis me potius adjunge comitem, qui, cum in terris fuerint vere pauperes spiritu, *neque peram neque saccubum* possederunt. Libera me ab illorum consortio, qui beneficiis tuis abutuntur, qui de tuo comedunt, nec tibi gratias agunt. Concede mihi, ut tam in abundantia, quam in egestate tibi laudes referam, nec quidquam submurmurare audeam." *S. Ephr.*

Domine messis! oro te, ut mittas operarios in messem tuam. Da Ecclesiae tuae praecones sanctos, qui non proprio, sed tuo serviant honori; neque pecuniarum, sed animarum inhient lucris. Praesertim hoc tempore, quo vitiorum ac errorum colluvies longius latiusque manat, mitte populo tuo pios operarios ac concionatores, qui verbum tuum, et quod ei consonum est, in apostolico veroque sensu dispensent. — O Jesu mitissime, qui olim misisti Apostolos *sicut agnos inter lupos:* conforta nos sacerdotes, quos animarum curatores designasti, ut iniquorum persecutiones ac injurias patienter feramus, et quae nostri sunt muneris, intrepide perficiamus. Da nobis impavidos infractosque animos, ut officio nostro gravissimo rite fungamur, zeloque vere apostolico exornati pro viribus contendamus operari ac consulere proximorum saluti; quo certius illam adipiscamur mercedem, quam in coelo daturus es operariis tuis. Qui vivis.

SABBATO.

Signa aliqua praedestinationis: 1) libenter audire, meditari verbum Dei, orare etc.; 2) respondere divinis inspirationibus; 3) sacramenta saepe digneque suscipere; 4) B. Virginem studiose colere proque ejus cultu zelare etc.; 5) humiliter et patienter ferre incommoda, passiones, persecutiones etc.

PRECES ANTE MISSAM.

Misericordissime Pater, Domine coeli et terrae, qui miserum me peccatorem in amplissimo dignitatis gradu collocasti, mihique majorem dedisti potestatem, quam regibus et principibus terrae: nunc iterum accedo altare tuum, ut tibi gratissimum offeram sacrificium atque peragam mysterium mysteriorum. Pater clementissime! purga me (precor) ab omni labe peccati, ut decentissime valeam operari sacris. Immundi nos homines tibi placere de actibus nostris non valemus, nisi purificemur a te, Deus sancte, qui fons es omnis puritatis. Emundas autem de filiis hominum eos, quos secundum beneplacitum tuum praedestinasti, vocasti, justificasti. O quam incomprehensibilia sunt judicia tua, Domine Deus! Ex eodem luto facis alia quidem vasa in honorem, alia in contumeliam, vasa apta in interitum. Quos elegisti et assumsisti, hos emundas: horum et numerum et nomina tu solus nosti, qui numeras multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocas. O beati, quorum nomina scripta sunt in coelo, in libro vitae! —

„Domine! secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, quae me (heu!) de libro vitae delevit. Deus meus, qui nomen impiorum dele-

visti ut lutum platearum, dele iniquitatem meam, ut ea deleta nomen meum cum justis in libro vitae, de quo illud deletum fuerat, indelebiliter rescribatur. Dele, obsecro, Omnipotentissime! dele, quod adversum me est, chirographum decreti tui" [1].

Benignissime Pater! suscipe hanc hostiam propitiatoriam in plenam expiationem culparum nostrarum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. Offero etiam incruentam hanc victimam in gratiarum actionem pro devicto regno satanae, quod ut penitus exscindas in terris, vehementer obsecro, simulque precor, ut nomina nostra scribas in coelis. Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus: tribue, quaesumus, ut universorum, quos in oratione commendatos suscepimus, et omnium fidelium nomina beatae praedestinationis liber adscripta retineat. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Gaudeo, Domine Jesu, et ingenti efferor laetitia, dum inexhaustam bonitatis tuae abyssum intueor, unde mihi tanta quotidie munera profluunt. Adoro te, dulcissime Salvator, qui jam habitas in corde meo. Jucundissima quidem mihi est haec praesentia tua. Verumtamen, si meam expendo vilitatem atque socordiam, gaudium meum vertitur in luctum et timorem. Peccata mea, sine numero multiplicata, valde me cruciant et anxiis implent curis.

„Quae vel qualia sint in libro tuo scripta de me, ego quidem ignoro, unde etiam valde timeo. Tu vero nosti, Domine! quoniam, quod ego per successus dierum

[1] Urban. III. Pap.

hic exspecto, in conspectu aeternitatis tuae jam factum est: ego autem sto in hac nocte tenebrosa, haec ignorans; ideo timor et tremor venerunt super me, dum video mihi undique imminere pericula, ac multitudine innumerarum miseriarum in hac vita me circumdari. Et nisi in his tantis malis adesset mihi tuum adminiculum, desperarem." *S. Aug.*

O bone Jesu! quale mihi gaudium esse possit in hac lacrymarum valle, in hoc certamine quotidiano? Revera quidem te habeo in pectore meo. At incomparabile lumen tuum, quo sancti fruuntur in coelis, nonnisi fidei oculis et quasi per speculum in aenigmate video. Inde vehementer angor, quia te nondum facie ad faciem intueor. Nihilominus tamen gaudens gaudebo, quia persuasum mihi habeo, quod nomen meum, priusquam in libro baptismali describeretur, scriptum sit in coelis, in libro vitae. „Spes mihi magna subest de te, mitissime Deus! ac consideratio multitudinis miserationum tuarum sublevat mentem meam. Et praecedentia signa misericordiae tuae, quae me, antequam nascerer, praevenerunt, et nunc specialiter in me effulserunt, de futuris benignitatis tuae muneribus, quae amicis tuis reservas, spem meam admonent." *S. Aug.*

Cupio dissolvi, Domine Jesu, et esse tecum in aeterna beatitudine. Tui visionem anhelans respuo cunctas saeculi delicias. Tu solus mihi sufficis, qui sufficis omnibus; tu solus mihi es omnia, quia sine te omnia alia nihil sunt. Sine te nihil mihi satis, imo nec aliquid est. Suavissime Jesu! dulcedo tua mentem meam ita repleat, ut nihil aliud mihi sapiat. Evelle radicitus e corde meo, quidquid terram sapit. Fac, ut omnia mundi gaudia mihi amarescant, et tu solus appareas dulcis animae meae. Tu es inaestimabilis illa dul-

cedo, per quam omnia dulcorantur amara. Aperi mihi mentis oculos, ut transitorias saeculi vanitates agnoscam et, quam inania sint mundi crepundia, perspiciam. Fac, o Jesu dulcissime, ut ista spe gaudeam unice, quod nomen meum scriptum sit in coelis. Amen.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Diligendus est Deus: 1) corde integro, sine divisione; 2) continue, sine cessatione; 3) perfecte et efficaciter, sine tepiditate. (Sicut Deus ipse nos diligit.)

PRECES ANTE MISSAM.

Facultatem mihi denuo largiris, Domine Jesu, operandi sacris super altari tuo. Peramanter invitasti omnes ad dulcissimam refectionem mensae tuae. Minaciter etiam asseverasti, homines non habituros vitam in se, nisi manducaverint carnem tuam, nisi biberint sanguinem tuum. En igitur, amantissime Jesu! fiducialiter ad inscrutabile caritatis tuae mysterium accedo, esuriens panem vivum sitiensque calicem salutis perpetuae, ut in te maneam et vivam in aeternum.

O mi Jesu! diligo te ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex omnibus viribus meis. Amo te Dominum Deum, Verbum incarnatum, Messiam desideratum, Salvatorem mundi. Et quia tenerrimo caritatis affectu te diligo, valde nunc cupio vesci sanctissimo corpore tuo, quo tibi jungar intimius. Cum insuper istud amoris sacramentum institueris, Domine, tamquam symbolum atque vinculum caritatis fraternae: per illius vim et ef-

faciam incende cor meum, ut diligam proximos meos, inimicos aeque ac amicos.

„Da mihi, benignissime Deus, te (sicut jubes et rectum est) super omnia diligere, deinde proximum non minus quam meipsum (sicut iterum praecipis) amare. Et hoc justissimum et omnino rationi consentaneum, ut te super omnia et plus quam nosipsos diligamus, quia tu nos, antequam essemus, dilexisti, diligens creasti, creatos ad notitiam sanctissimi nominis tui adduxisti; nos vero neque hoc ipsum, quod te diligimus, a nobis habemus, sed a te. Proximum vero nostrum et tu nobis recte praecipis diligere, et nos recte diligimus eum, sicut praecipis, quia aequali dilectione nos omnes creasti, aequali dilectione pro omnibus passionem et mortem suscepisti, et aequaliter omnibus vitam aeternam praeparasti. Da omnibus, clementissime Jesu, qui fidem rectam habent, recte et sancte vivere; nec in ulla re ab his, quae praecipis, deviare. Illis vero, qui nondum in te credunt, da, quaesumus, ut antequam ex hac vita migrent, fidem et dilectionem sanctissimi nominis tui suscipiant, et susceptam usque in finem rectam inviolatamque custodiant. Sit hoc sacrificium tui corporis et sanguinis in remissionem peccatorum omnibus vivis et defunctis, qui per hoc sacrificium sperant in misericordia tua accipere veniam suarum iniquitatum et postea pervenire ad gloriam sempiternam“ [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Benevolentiam tuam, quam mihi de novo nunc exhibuisti, dulcissime Jesu, talem et tantam esse profiteor,

[1] S. Anselm.

ut eam nec admirari satis, nec ulla grati animi significatione valeam exaequare. Credo firmissime, quod te Deum Salvatorem meum, omni amore dignissimum, in corde meo habeam. O quam bonus es Dominus! quis non diligat te, mundi Redemtor, qui es totus amabilis, totus desiderabilis? Si quis non amat te, *sit anathema!* „Tui amore teneor, o bone Jesu! Dulcissima tui memoria (*praesertim hac tua praesentia*) mirifice delector: dum enim ineffabilem bonitatem tuam meditatur mens mea, mox cogitationum tumultus cessat, carnis sarcina minus gravat, pondus miseriarum relevatur, silent cuncta, tranquilla sunt omnia. Quando immensam caritatem tuam considero, cor meum inardescit, animus gaudet, memoria viget, intellectus illustratur, totusque spiritus meus, amore tui succensus, omnium rerum visibilium obliviscitur.“ *S. Ansel.*

Sed, heu! quam inconstans ego homo sum! Facile a meipso discedo et ad visibilia, ad terrena, ad inania defluo, natura instabilis, foliis levior, nunquam idem. Perversis animi affectibus hac illac impellor et, quas paulo ante repudiaveram, mundi vanitates redamare incipio. Quo me vertam in hac animi fluctuatione, nisi ad te, Jesu potentissime, qui es unica spes mea? „Tu nosti, Domine, quae sint in me occultae affectiones. Tu scis vulnera animae meae. Sana me, Domine, et sanabor. Equidem me praeparo ad resistendum passionibus, quae me invadunt; sed animi firmitatem fraus draconis dissolvit. Miserere mei, Domine, propter magnam bonitatem tuam. Nemo potest animae morbos ita curare, sicut tu, qui nosti profunda cordium.“ *S. Ephraem.*

Jesu suavissime, qui legem amoris stabilire venisti: *revela oculos meos* (Psal. 118.) *et considerabo mirabilia de lege tua.* Da mihi, precor, indefessum

sacrae lectionis studium, ut pergam in lege tua meditari die ac nocte. Perlibenter amplector et lego legem amoris; sed ut eam firmiter teneam, concede mihi legis amorem. „Ad me pertinere autumo illud Prophetae oraculum: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas*, et volvis scripturas meas? *tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum.* Obsecro, Domine Jesu! tuae legis amore et peccati odio cor meum imbue.“ *S. Ephr.*

Amantissime Jesu! accende me meosque omnes ac singulos amoris igne, ut omnium primo et maximo mandato satisfaciamus. Animos nostros inflamma sincero fraternitatis amore, ut de prosperis aliorum successibus laetemur, adversitatibus autem ad commiserationem moveamur, et in quacunque necessitate consilium vel auxilium illis afferamus, parati pro aliorum salute quodvis impendere bonum, sicut et tu prior ita dilexisti nos, ut ipsam pro nobis animam tuam posueris. Qui vivis.

FERIA II.

In quotidiana communione habere potes quandam beatitudinis anticipationem: 1) Uniris cum Deo, et per Deum cum fratribus modo singulari; 2) liberaris a malis (quae portando sublevaris a Christo, — quae non amplius sunt mala, sed meriti occasio etc.); 3) plenitudine frui potes purissimorum gaudiorum.

PRECES ANTE MISSAM.

Talis et tantus est tuus in homines amor, o Jesu suavissime, ut eum nec verbis exprimere, nec intellectu

capere possim. In arbore crucis expandisti brachia, convocans peccatores, ut sub umbra alarum tuarum quaererent refugium, solatium, refrigerium. Parasti nobis insuper convivium oppido suave, nosque liberaliter ad illud invitas, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* O dulce verbum in auribus meis! o res mirabilis! o caritas ineffabilis! Dominus ipse suavissimus est servorum cibus, panis Angelorum fit panis hominum.

Percupio, Domine, iterum gustare dulcedinis tuae suavitatem. Vehementer esurio te panem vivum. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te. Sed an ego peccator eo temeritatis procedam, ut denuo te corde meo suscipiam? Coeli contremiscunt ad nutum tuum; et tu clamas: *Venite ad me omnes?* Quid sibi vult ista familiaris invitatio? Animat equidem me vox tua, sed terret me iniquitas mea. Tuorum me verborum attrahit dulcedo, meorum autem vitiorum me retrahit multitudo. Quid ergo faciam? —

Fiducialiter ibo ad te, Domine, quia mitis es et humilis corde. Confidenter accedo te, suavissime Jesu, qui cor contritum et humiliatum non despicis. Saepe delinquenti mihi non modo pepercisti, sed amplissima quoque tribuisti beneficia: *quoniam tu, Domine, suavis et mitis et multae misericordiae.* Spe plenus adibo mensam tuam, ubi suavissimum mihi dabis cibum ad firmandas vires meas, ne gravi succumbam oneri, quod impositum est super omnes filios Adam. Et nunc operam dabo, ut digne percipiam adoranda mysteria tua, quo melius degustem istius alimoniae dulcedinem. Maximo flagrans amore conscendam altare tuum, ut sentiat animus meus, quam suavis sis Dominus.

„Etsi necdum totus coelestis et tam ignitus, ut Cherubim et Seraphim, esse possum; conabor tamen devotioni insistere et cor meum praeparare, ut vel modicam divini incendii flammam ex humili sumtione vivifici sacramenti conquiram. Quidquid autem mihi deest, Jesu bone, Salvator sanctissime, tu pro me supple benigne, qui omnes ad te dignatus es vocare, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Ego quidem laboro in sudore vultus mei, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis malis passionibus implicor et premor: et non est, qui adjuvet; non est, qui liberet et salvum faciat, nisi tu, Domine Deus, Salvator meus, cui committo me et omnia mea, ut me custodias et perducas in vitam aeternam. Suscipe me in laudem et gloriam nominis tui, qui corpus tuum et sanguinem in cibum et potum mihi parasti. Praesta, Domine Deus salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii tui crescat meae devotionis affectus“ [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Consolator afflictorum, Jesu suavissime! mirum in modum oblectat animum meum isthaec praesentia tua. Jam mihi servo tuo gustandum dedisti, quam suavis sis Dominus. Infinita caritas tua laborem meum recreat, onus meum sublevat, dolorem mitigat, timorem abigit, fletum abstergit. Benevolentia tua, Domine, rebus meis afflictis medetur atque lugentem me consolatur. Grates tibi, Domine, pro suavissimo hoc cibo, quo me famulum

[1] Imit. C. l. IV. c. 4.

tuum laborantem et oneratum multis miseriis hodie refecisti. Vere bonus es Dominus, vere mitis et humilis corde.

Felicem me! Cor tuum mite ac humile nunc in corde meo quiescit, o Deus cordis mei et pars mea, Deus, in aeternum! Humiliter exosculor amabile cor tuum, quod olim amore mei contristatum est in horto et transfixum in crucis patibulo. Bone Jesu! aufer a me cor lapideum ac impoenitens, cor superbum ac immite. Da mihi cor carneum, cor mite ac humile, quod cordi tuo sit simile. Redde me tibi *virum juxta cor tuum*, ut in omnibus exacte voluntatem tuam adimpleam et semper ea, quae cordi tuo placuerint, accurate perficiam.

Suavissime Jesu! audio te succlamantem mihi: *Tolle jugum meum super te!* — Ecce me paratum ad omnia, quantumvis sint dura et aspera. Libentissime jugum tuum amplector avideque suscipio onus tuum. Scio perbene, quod jugum tuum suave sit et onus tuum leve. Juga daemonum abominor et detestor. Servus tuus sum ego, Domine Jesu! jube, impera mihi, Rex meus et Deus meus! Jucundum mihi fuit et est, tibi servire, Jesu suavissime, qui servos tuos supra modum remuneraris in hac et altera vita. Tui juris totus esse cupio; nam jugum tuum, mi Jesu, non aggravat, sed recreat animum meum. Onus tuum me non premit, sed delectat. Hilari semper animo (te adjuvante) portabo jugum tuum suave et onus tuum leve: donec post exantlatos labores, post toleratas istius exilii molestias, ad te perveniam in coelestem patriam, ubi me summa suavitate dulcedinis tuae reficies sine fine. Qui vivis.

FERIA III.

Esto misericors erga poenitentes, quia: 1) et Deus est misericors erga ipsos; 2) Jesus ita te docuit (verbo — exemplo); 3) ipse es peccator, et misericordia divina quotidie opus habes eamque experiris; 4) benignitate magis proficies quam severitate.

PRECES ANTE MISSAM.

Adjutor et protector noster aspice, Deus, et propitius respice sacrificium istud eucharisticum, quod ad majorem nominis tui gloriam hodie offerimus, gratias agentes pro universis beneficiis Ecclesiae tuae concessis, maxime pro dilectione tua vere paterna, qua cunctos fideles ceu filios tuos carissimos amplecteris ac in unitate fidei conservas. Rogamus simul infinitam bonitatem tuam, amantissime Pater, ne perire sinas nos, creaturas tuas, ad imaginem tuam conditas et pretioso Filii tui Jesu Christi sanguine redemtas. Per ejusdem Unigeniti tui merita propitius esto fidelibus, tam ecclesiasticis quam laicis, qui caritatis officia praetermiserunt, vel opera misericordiae negligenter ac invite praestiterunt. Accende nos sincero fraternitatis amore, ut proximis nostris, in quacunque necessitate constitutis, ultro subveniamus.

„Domine Deus! exstirpa radicitus ex hominum animis omnem discordiam et invidiam, omne vitium et peccatum, omnes errores et falsas opiniones. Peccantes increpa, incredulos converte, schismaticos in Ecclesiae unitatem recollige et tuae lumen gratiae illis ostende. Ecclesiae pastores et praepositos, episcopos ceterosque primores, reges, duces, principes, ab omnibus af-

flictionibus corporum et animarum custodi. Justos in omni bono conserva, eorumque cogitationes et verba et opera guberna. Peccatores autem ad veram poenitentiam converte. Nutri operarios, erige moestos, sana aegrotos. Egentibus necessaria subministra; peregrinantibus optatum largire in patriam reditum; et in periculis aquarum constitutis portum salutis tribue. Dimitte omnibus, qui unquam mecum peccaverunt. Omnes familiaritate mihi junctos, quorum utor opera, qui pro me orant et qui precibus meis sese commendarunt, omnes de me bene sentientes in via salutis dirige. Proximos meos exaudi, in quacunque tribulatione clamaverint ad te. Cunctis amicis et inimicis meis caritatem largire perpetuam. Sit in omnibus nobis benignitas atque misericordia. Moribundis hanc tribue gratiam, ut, rite confessi et a peccatis soluti, tam eucharistiae quam extremae unctionis sacramentum digne suscipiant, et exinde roborentur ad luctam extremam" [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Hospes amabilissime, Domine Jesu Christe, qui velut bonus ille Samaritanus suscepisti curam animae meae, mihique languido ac semivivo dedisti vivificum corporis et sanguinis tui sacramentum, tamquam praesentissimum infirmitatis meae remedium: supplex adoro te, tibique debitas habeo grates pro magna misericordia tua, qua me famulum tuum ad sacram mensam quotidie vocas, ut primus mihi quotidie cibus et potus fias. O amor ineffabilis! Summopere diligo te, bone Jesu, qui novis in dies me beneficiis cumulas et divinae caritatis

[1] Jo. Ferus in lib. prec.

tuae munera mihi tribuis, mihi (inquam) miserrimo homuncioni, cui propria virium imbecillitas obstat, ne satis gratum me pro tantis beneficiis exhibeam. Interim unice spero in te, clementissime Jesu, qui unicus es Salvator ac consolator meus.

„Undique me premunt, Domine, mea mala, vulnera peccata. Nec alius extra te mihi occurrit medicus similis tibi, cui illa aperiam. In terras te non accersiverunt justi, sed peccatores: nec enim propter bene valentes sua parant medicamenta medici, qui laborantibus consulere et perditam restituere sanitatem satagunt. Tu ipse affirmabas, Domine, sanos haud indigere medicorum opera, neque poenitentiae remedia justis ac innocentibus parari. Medicus mercedem prius pacisciter, et deinde curationem aggreditur: qui autem sanandus ad te confugit morbumque medicamentis tuis depulit, mercedem non dat, sed accipit. Quis extra te tui similis nobis occurrat medicus, omnia vulnera nostra sic alligare paratus? Neque enim, si uno consanescente ulcere alterum recrudescat et aegrum diu vexare pergat, ejus aliquando curationem intermittis. Tua namque caritas ad afferendam aegris medicinam te sollicitat, et tua peccatores misericordia ad accipiendam illam provocat. O Medice admirabilis, qui cunctis ubique aegris te praesentem et facilem exhibes: tibi soli in acceptis refero, quod ego post tot accepta vulnera nondum interierim. Quo devenissem miser, aut ubi jacerem ulceribus undique plenus, nisi tu mihi subvenisses?“ *S. Ephraem.*

„Oleum infudisti vulneribus meis, Domine! infudisti et vinum, sed minus quam olei. Sic nempe congruebat infirmitatibus meis, ut misericordiam superexaltares judicio, quemadmodum et vino oleum supernatat infusum.

O Sapientia aeterna! quanta arte medendi in vino et oleo animae meae sanitatem restauras, fortiter suavis, et suaviter fortis; fortis pro me, et suavis mihi. Attingis a fine usque ad finem fortiter et disponis omnia suaviter, propellens inimicum et fovens infirmum. Sana me, Domine, et sanabor. Confitebor nomini tuo, et cum sponsa (Cant. 1, 2.) dicam: *Oleum effusum nomen tuum;* oleum plane, quod, dum supernatat cunctis liquoribus, liquido designat nomen illud, quod est super omne nomen." *S. Bernard.*

Jesu melliflue! da nobis omnibus, ut alter alterius onera portemus mutuamque nobis operam in quacunque necessitate praestemus. Fraternae caritatis igne corda nostra succende, ut, *dum tempus habemus* (Gal. 6.) *operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Istam mihi denique specialem concede gratiam, ut in extrema valetudine praeter poenitentiae et eucharistiae sacramenta etiam illud extremae unctionis digne suscipiam, quo libentius securiusque migrem e vita, quandocunque placuerit tibi. Qui vivis.

FERIA IV.

Esto misericors Samaritanus: 1) pauperibus; 2) aegrotis; 3) peccatoribus; 4) animabus purgatorii. (Cur? quomodo?)

PRECES ANTE MISSAM.

Ecce, Domine Jesu Christe! non absque novo animi dolore tibi nunc confiteor pristinam iniquitatem atque miseriam meam. Totus exhorresco, si recordor illius

temporis, quo malitia mea periculum mihi conflavit maximum. Per acediam pedetentim descendi ab Jerusalem in Jericho. Relicto verae pacis habitaculo, delapsus ad saeculi vanitates ac corruptelarum illecebris implicatus incidi in latrones tartareos, qui me despoliaverunt innocentiae stola candida plagisque mortiferis sauciaverunt animam meam. O spectaculum miserabile! *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae* (Psal. 37.) *a facie insipientiae meae.* — Sed tibi sint laudes gratesque, coelestis *Samaritane!* cum enim miserum me videres in illo salutis discrimine, tu misericordia motus eripuisti animam meam de morte et alligasti vulnera mea. Jam pridem periissem, nisi tu semivivo mihi subvenisses, curando plagas meas. Nisi tu pro me denarium, salutis pretium, solvisses in dura cruce, quis alius suffecisset ad hoc?

Gratias ago tibi, Samaritane misericordissime, pro his beneficiis, quibus me hactenus obruisti. Sed ecce, bone Jesu! nondum integra utor valetudine. Tam ex primi hominis peccato, quam ex iteratis lapsibus meis tanta virium imbecillitate laboro, ut non sine magna difficultate progredi valeam in via virtutis. Ideo cum omni fiducia confugio ad te, Medice desideratissime, qui de coelo in hunc mundum venisti, ut sanares contritos corde et alligares contritiones eorum. Tuam igitur imploro divinam opem, o Samaritane vere misericors, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Succurre mihi servo tuo plusquam infirmo.

„Veni, veni, Domine Jesu! descende ad jacentem, consolare lugentem, refove suspirantem. Inclina coelos tuos et descende, ut opem mihi feras. Resumatur vulneratus in humeros tuos. Tu me sanare disposuisti, qui me vulnerari, non item mori permisisti, ut semi-

vivum me lugerem et per poenitentiam convalescerem, ne eodem die mortuus lacrymis carerem. Non est, Domine, qui succurrat; non est, qui afferat medicinam; non est, qui miserum tollat de via, nisi tu solus, qui es via, veritas et vita." *S. Fulgent.*

O Medice divine! fac, ut debita nunc animi praeparatione sumam pharmacum immortalitatis, sacramentum tui amoris ac coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur. Adhaec oro te, Samaritane misericors, ut opituleris aegrotantibus illis, quorum mihi salus curae ac cordi est. Aberrantes in viam revoca et impios ad bonam frugem adducito. Tribue misericordiam miseris, qui tamdiu pepercisti reis. Jacentibus porrige manum clementiae, qui tamdiu suspendis gladium vindictae. Omnibus fidei domesticis hanc concede gratiam, ut, quae providenter instituisti, sacramenta frequenter et digne suscipiant, quo facilius animarum salutem obtineant. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Miser ego ac miserabilis homo, multis sauciatus plagis, ad te confugi, Domine Jesu, misericors Samaritane, quia nuspiam alibi languoris remedium invenire potui, nisi apud te. Haud equidem dignus eram, qui tremendam adirem mensam tuam; at illuc adduxit me summa bonitas tua, quae neminem vult perire, sed omnes ad salutem aeternam pervenire. Abscondisti formidabilem Majestatem tuam sub eucharisticis speciebus, quo confidentius accederem paratum mihi convivium. Inexhaustam esse tuam in me beneficentiam, certissimis exploratum indiciis habeo. Gravi tenebar infirmitate, et sanasti me. Fame sitique premebar, et

refecisti me. Non tantum infudisti plagis meis oleum misericordiae tuae, sed et vinum pretiosi sanguinis tui olim in cruce fudisti ac hodie mihi bibendum dedisti, ut exinde recreatus et persanatus in semita virtutis procederem. Ex infinita benignitate factus es mihi medicus et medicina. Nemo satis admirari potest tale dilectionis arcanum. Quis unquam medicorum eousque se demisit ad sanandum aegrotantem mendicum, a quo prius haud semel erat offensus? —

Jesu mitissime! debitas tibi grates habeo pro hac clementia tua, qua et invaletudinem et esuriem animae meae depulisti. Quo sincerius te diligo, eo magis doleo de peccatis meis eoque firmius statuo mecum, deinceps omnia peccandi pericula fugere, nec ultra per acediam illuc descendere, ubi mortifera quondam accepi vulnera. Certus autem de inveterata fragilitate mea, non in me, sed in te pono fiduciam meam, optime Samaritane! Tu solus esto medicus aegrotantis animae meae. Vulneribus meis infunde plus olei quam vini, quo facilius curationis acrimoniam tolerare possim. Nihilominus tamen, o Samaritane misericors! siquidem ita tibi placuerit, ure, seca, nec clamoris mei rationem habe. Nam et hoc est medici, urere scilicet atque secare, non aegrotantis odio, sed amore. Esto, mordear acri vino tribulationis, dummodo subinde perfundar oleo divinae consolationis. Amara dat pocula medicus, quo citius convalescat aegrotus. Diuturna quidem calamitas aut tentatio est amara potio; sed tu, medice peritissime, qui et ipse tentatus es per omnia pro similitudine absque peccato, non permittis nos tentari supra id, quod possumus, sed amaritudinis calicem optime temperando, facis cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. —

Haud amplius itaque reluctabor, nec repugnabo tibi

bone Jesu! sed omnia libenter acceptabo de manu tua. Quemadmodum ingenti aviditate multoties ad aram exhaurio dulce sanguinis tui poculum; ita paratus sum, amarum passionis calicem ad fundum usque gratanter ebibere, nullus dubitans, quin mihi proficiat calix iste, quem a Patre acceptum tu prior bibisti medicus, ne bibere timeret aegrotus. Etiam atque etiam a te peto specialem hanc gratiam, ut aliquando mihi de hac vita migraturo subvenias atque morientium sacramenta concedas, quibus rite munitus ex hoc mundo latronibus inundato evolare merear in supernam civitatem Jerusalem, ubi cum omnibus sanctis tuis sine fine laudabo te Samaritanum misericordissimum. Qui vivis.

FERIA V.

Si aridus es in oratione, Deus: 1) te punit — confundere, humiliare; 2) te probat — resigna te in ejus voluntatem; 3) se abscondit — quaere instanter, pulsa constanter.

PRECES ANTE MISSAM.

„Confundor, Domine Jesu! confundor confusione tetra et horribili, quoties accedo ad te; nam pene mihi videor videre te, quasi avertas faciem tuam a me, sicut olim a muliere Chananaea. Abreptus dolore cordis mei totus tenebresco, ita ut pene mihi melius esse videatur, non accedere ad te. Verum quis me solabitur, si tu me consolari nolueris? Abeant et pereant omnia solatia, quae non sunt a te. Vae soli mihi, si tu non fueris mecum! Taedet me mei et odio mihimet ipse

sum, quoties sentio, me non esse tecum. Conspicio te quandoque solummodo transeuntem, nec stas mihi, neque respondes mihi verbulum, sed praeteris me clamantem post te, sicut illam Chananaeam. Cumque importunis necessitatis meae clamoribus fatigaris, acriter objicis mihi et praeteritam malitiam, et praesentem impudentiam. Sic me veluti canem a mensa tua jejunum et famelicum atque flagellis conscientiae meae verberatum expellis. Ergone ulterius accedam? Utique, Domine Jesu! fiducialiter accedo: nam et catelli, e domo domini sui flagellis ejecti, statim redeunt, iterumque circa domus custodiam vigilantes panem suum quotidianum recipiunt. En, expulsus redeo, exclusus clamo, flagellatus obsecro. Canis absque hominis contubernio vivere nescit: nec anima mea sine Domino Deo suo vivere valet. Permitte igitur, o Domine Jesu, ut iterum accedam ad te." *Guilhelm. Clun.*

„Respice in me, Domine, et miserere mei. Ne avertas faciem tuam a puero tuo; quoniam tribulor, velociter exaudi me. Te diligo, Domine mi! te cupio, te totis visceribus sumere concupisco. Sine te nec laetari, nec esse, nec vivere volo. Redde mihi te ipsum. Tuo me pasce corpore, tuo me inebria sanguine; tuo me amore transfige. Eja nunc, Domine mi! veni, quaeso, veni ad me. An ignoras, Dilecte mi, amanti omnem moram nimium esse diuturnam? Quamobrem, o Amor mi! rumpe moras, accelera, propera, festina ingredi ad servum tuum, qui te praestolatur in se, cupiens se transformare in te. Sed forte tecum tacite loqueris, dicens: *Non est bonum, sumere panem filiorum et dare canibus.* Utique, Domine! verum dicis. Canis sum; canem me esse profiteor. Nonne autem, o Amor mi, o desideriorum meorum meta sir

gularis atque spei meae pacatissima quies! nonne et catelli edunt micas, quae cadunt de mensa dominorum suorum? Canem me dixisti; et sum, Domine! ut canem habeto me. Da igitur esurienti mihi sacram miculam, quae in hoc tuo ministratur convivio, neque diutius me fame patiaris affligi." *S. Laur. Just.*

Domine Jesu Christe, qui magnam illius Chananaeae fidem publice laudasti: da etiam mihi fidem humilem, spem firmam ac caritatem ardentissimam, ut istarum ornamento virtutum decoratus ad divinam mensam tuam digne comedam *panem filiorum*, cibum Angelorum, pabulum vitae aeternae. Esto propitius illis omnibus, quorum mihi salus curae ac cordi esse debet. Miserere gentilium ac caecorum ethnicorum, qui fidei lumine destituti canum more vivunt. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Quis ego sum servus tuus, Domine Deus, *quoniam respexisti super canem mortuum* (II. Reg. 9.) *similem mei?* — Ubinam talem a te promerui favorem, ut ad divinam mensam tuam admiseris me, famulum tuum abjectissimum, hominem miserum, peccatorem ingratum? — Parce mihi, o Jesu suavissime, et ignosce, quod non ea, qua par erat, animi demissione ac reverentia sumserim *panem filiorum*, venerabile mysterium tuum, ipsis etiam Angelis formidandum. Te suppliciter adoro, gratias agens immensae bonitati tuae pro dulci convivio, quo me denuo refecisti.

Bone Jesu! Fili Dei, qui temet ipsum exinanivisti, formam servi accipiens; qui, filios tuos in hoc sacramento nutriens, a multis canibus te conculcari sinis: fac, ut secundum exemplar tuum mitis sim et humilis

corde; ut imitari studeam illius fidem Chananaeae supplicantis, quae passa repulsam adeo turbata non est, ut etiam ingeminaverit preces suas. Da, ut omnem mentis ariditatem et desolationem aequo feram animo, nec unquam spem abjiciam. Mulierem illam initio non respexisti, nec exaudisti, neque verbulum ei dixisti. Sic animas quandoque tractas, quas coelo reservas. Inter angustias et tenebras servos tuos haerere pateris perinde, ac si reprobasses eos. O mirum agendi modum, plenum asperitate simul et amore! Simili modo contemne me, Domine! Tuus iste contemtus favor est. Affice me talibus injuriis, si placuerit; tales enim injuriae sunt amoris sagittae, quae non vulnerant, nisi ut sanent; non dejiciunt, nisi ut erigant; nec affligunt, nisi ut delectent.

Non peto favores illos, queis filios tuos demulces, Domine; sed exiguam solum particulam exposco de illorum abundantia donorum, quibus cumulas justos: *nam et catelli edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum.* Da mihi patientiam in casibus adversis. Exosculor interim manum tuam, quae me, velut canem immorigerum, in terris saepe flagellat, et in coelis absterget omnem lacrymam ab oculis meis. Avide jam exspecto tempus resolutionis meae, quo tristitia mea vertetur in gaudium. „Commovetur intra me spiritus meus, suspirans ad supernam patriam, ad domum Patris tui, ubi filii abundant panibus. Illuc, Domine! illuc diu noctuque suspiro. Atque utinam, cum suspiravero et flevero, tandem ibi vel exiguam accipere merear portionem de illo coelesti convivio, et tamquam catellus ibi comedam de micis, quae cadunt de mensa Domini mei! O Jerusalem! o civitas Regis magni, ubi plena satietas est et affluentia summa! Quandonam in-

ebriabor ab ubertate domus tuae, Domine? Quandonam torrente voluptatis tuae potabis me?" *S. Bern.*

Suavissime Jesu! dirige gressus meos in semita mandatorum tuorum, ne unquam aberrem a via veritatis et justitiae. Humiliter ad te clamo cum illa Chananaea: *Miserere mei, Fili David! Domine, adjuva me!* Perducito me (precor) ad exoptatam patriam, ad delicias aulae coelestis, ad amplam illam ac communem mensam, ubi filios tuos pane dulcissimo et convivio longe splendidissimo per infinita saecula satiabis. Qui vivis.

FERIA VI.

Luxuria in sacerdote: 1) facile incurritur (neglectu orationis — mortificationis — vigilantiae); 2) difficile curatur (difficile talem poenitet — difficilius confitetur — difficillime se emendat); 3) dirissime punitur (morsibus conscientiae — infamia apud homines — cruciatibus inferni).

PRECES ANTE MISSAM.

Infima animi demissione humi stratus adoro te Deum unum in essentia et trinum in personis. Adoro te Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paracletum. Laudo et glorifico te Creatorem omnipotentem. Infinitae bonitati tuae debitas refero grates pro universis beneficiis tuis, quibus et me et totam Ecclesiam tuam obruisti. Imprimis ago tibi gratias, Domine Deus, eoquod non tantum me creaveris et hucusque servaveris, sed etiam in variis rerum mearum

casibus tam perspicua subsidii tui indicia mihi praebueris.

„Gratias ago tibi, Trinitas sancta et Unitas indivisa! gratias tibi soli Deo vero, Dominatori totius universi, qui me miserum peccatorem usque adeo dilexisti, ut etiam ad sacerdotii ordinem me vocare dignatus sis et altaris tui ministrum me esse volueris. Ad illud accedere nunc volo, unice fretus immensa tua misericordia. Non enim dignus sum, ut corpore meo, tot peccatis obnoxio, adstem sacrosanctae mensae tuae. Neque dignus sum, ut per os meum inquinatum assumam magnificum et terribile nomen tuum. Enimvero non sum dignus, ut sceleratis manibus meis contingam mysteria pretiosissimi corporis et sanguinis Jesu Christi. Quamobrem, o Trinitas veneranda! utinam hanc inveniam gratiam in oculis tuis, ut dimissis omnibus peccatis meis facias me vere dignum et idoneum ministrum altaris tui.“ *Bocen.*

„O amator hominum Deus! si mala, quae toties miser ago peccator, ad memoriam reduco; si diligenter intueor, quomodo vivam, et qualiter ipsa mala, quae facio, plangam; si recogito, quod sacerdos dicar, sed sacerdotis officium operibus dignis non impleam: quamvis et de multis aliis, quae feci, multum pertimescam; de hujus tamen officii dignitate, quam ego indignus gero, super omnia, quae mihi evenire possunt, valde metuo. Est enim hujus officii dignitas plusquam aestimari possit magna. Habeo quidem nomen hujus dignitatis, sed indigna vita mea contradicit hujus nominis dignitati: est enim cor meum immundum, os meum immundum, omnes corporis mei sensus immundi; et sic intus et foris totus immundus, non invenio in me toto aliquid mundum, ubi honeste possim reponere corpus Dominicum.

Attamen non despero de misericordia tua, Deus omnipotens.“ *S. Ansel. Cant.*

Suscipe, sancta Trinitas, immaculatum hoc sacrificium, et per illius efficaciam adjuva me servum tuum omnesque meos, quos curae meae concredidisti; ut omni conatu munditiam interiorem conservemus, et illa declinemus vitia, *quae ab intus procedunt, et coinquinant hominem.* Libera nos a pharisaica pietatis simulatione, tuamque nobis impertire gratiam, ut, quoties sacras recitamus preces, mens nostra concordet voci, nec obliviscatur tui. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Debitam tibi justamque refero gratiam, clementissime Jesu, pro speciali benevolentia tua, qua denuo me peccatorem immundum ad immaculata mysteria tua admisisti. Animo demississimo veniam peto istius temeritatis meae, quae procedebat eousque, ut te summam Puritatem impuris manibus labiisque contingerem. Supplex adoro terrificam Majestatem tuam vere praesentem in corde meo. — Credo in te, o Veritas aeterna! — Spero in te, o Bonitas immensa! — Ex toto corde meo diligo te, o Pulchritudo semper nova et semper antiqua! — Utinam te semper amassem! Sed (eheu!) saepius ad iracundiam provocavi te Deum meum. Longius a te recedens ad terrena defluxi, noxarumque contraxi sordes. Attamen non abjecisti me, sed purgasti animam meam, eamque plurimis exornasti donis. O benignitas! o misericordia!

„Jesu amantissime! te obsecro, ut gratia tua in cognitionem meae miseriae ac tuae misericordiae pervenire me faciat. Bonitas tua convertat malitiam meam;

robur tuum sit fortitudo mea. Deploro fragilitatem meam, Domine, et defleo hanc corruptam miseramque naturam. Quid enim aliud in nobis praeter peccata et miserias invenitur? Quis sine te, o mi Jesu, enuntiare valet hoc nomen Jesus? *Nemo* (adseverat Apostolus) *nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Quodsi nequeo, mi Jesu, hoc nomen tuum dicere sine te: qui fieri posse credam, ut tibi sine te serviam? Obsecro te igitur, o Jesu Servator mi! miserere fragilitatis meae. Da, quod facere debeo. *Da quod jubes, et jube quod vis.* Jubes, sancte Deus, ut meipsum castum custodiam: tu tamen edoces me, nonnisi dono tuo servari posse continentiam, eamque nonnisi a te impetrari. Dixit enim Sapiens: *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det* (Sap. 8.), *et hoc ipsum erat sapientiae, scire, cujus esset hoc donum.* Et hoc ipsum scire, donum grande est, quandoquidem me scientia haec ad petendam gratiam urget, quam petendo etiam me accepturum spero.“ *Palafox.*

„Hoc itaque mihi impertire, Domine: ut, si vigilavero, in tuis oculis semper castus ac innocens consistam; si vero obdormiero, omnis prorsus sceleris expers sit somnus meus. Vanas atque perniciosas a me cupiditates amove, Domine, propter vivificum corpus tuum, quod sumsi; et pro infirmitate mea sanguis tuus excubet, ut omni abjecta formidine somnos capiam placidissimos.“ *S. Ephr.*

Purga me ab omni labe peccati et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta. Fac me talem Ecclesiae tuae ministrum, qualem me vis esse, sobrium, sanctum, pudicum, ut exemplum sim fidelium in verbo, in conver-

satione, in castitate; et tandem illuc pertingam, ubi castas animas gloria et honore coronabis. Qui vivis.

SABBATO.

Sacerdos a Deo derelictus; considera hujus derelictionis: 1) signa; 2) causas; 3) damna.

PRECES ANTE MISSAM.

Victimam sacrosanctam offerentes tibi, Pater omnipotens, aeterne Deus! gratias agimus et ex toto cordis nostri affectu laudamus te, eoquod unigenitum Filium tuum, ad mortem usque pro nobis humiliatum, non dereliquisti in sepulchro, sed tertia die (juxta Prophetarum scripturas) a mortuis resurgere fecisti, et ista Filii tui resurrectione destruxisti nefarias Judaeorum machinationes. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contrá te, Domine Deus! In tua ditione cuncta sunt posita, et nemo est, qui tuae possit resistere voluntati. Consilium tuum in aeternum manet, ac cogitationes tuas antiquas nemo potest avertere.

Misericordissime Pater! en iterum offerimus tibi dilectum Filium tuum, qui factus est propitiatio pro peccatis nostris et lavit nos in sanguine suo. Infinita Mediatoris hujus merita praesentamus tibi, Pater, in satisfactionem criminum nostrorum, humiliter obsecrantes, ut parcas nobis, neque vindictam sumas de peccatis nostris. O Deus amantissime, qui populum tuum omni tempore clementer atque potenter conservasti; te suppliciter rogamus, ut exoptato gratiae tuae lumine men-

tes nostras illustrare ac gubernare digneris, ne tot inter pericula deflectamus a recta semita, quae ducit ad coelestem patriam.

Te quoque precamur et obstestamur, o mitissime Deus, ne sinas nos intricari perniciosis illis erroribus, qui jamjam ubique terrarum invalescunt. Per hujus virtutem oblationis effice, quaesumus, ut in vera fide et sancta dilectione constanter ad finem usque perseveremus, et ad gloriosam aliquando resurrectionem perducamur. Benigne pariter respice generationem malam et adulteram, infideles philosophos ac heterodoxos, eosque misericorditer expedi falsis opinionibus suis. Concede nobis omnibus pacem stabilem et aëris temperiem. A fulgore, grandine et tempestate libera nos, o Creator coeli et terrae! Laboribus nostris optatum largire successum atque felicem exitum. Fructus terrae conserva, ut iis cum gratiarum actione fruamur. Custodi nos ab omni malo et tribue nobis efficacem verae emendationis gratiam, ut tandem ad praefixam aeternae beatitudinis metam perveniamus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Realis haec praesentia tua, bone Jesu, mirum in modum me recreat. Corpus tuum sanctum sanctificat me. Sanguis tuus pretiosus inebriat abluitque me. Magna haec beneficentia tua dolores meos levat et animum meum optatissimo laetitiae sensu perfundit. — O quam suaviter requiesco in brachiis tuis, o Jesu dulcissime! Salvator amabilissime! — Nullus dubito, quin nunc cordis mei domicilium inhabites. Credo namque, te personaliter adesse in eucharistiae sacramento. Ceteros etiam fidei articulos credo, quos per Ecclesiam

tuam mihi credendos proponis. Nova ergo non peto *signa de coelo*, qualia petierunt a te Pharisaei. Sufficit mihi *signum Jonae Prophetae*, cujus ad exemplum tertia post mortem die prodiisti e sepulchro et gloriose resurrexisti a mortuis, ut in nobis fidem simul atque spem confirmares.

„Si mors sub ditione sua retinuisset te, Domine, nec accelerata fuisset tua resurrectio, quis te credidisset mortis victorem? Singulari ergo privilegio Pater tuus voluit te a morte ad vitam immortalem die tertia resurgere, ut mortem per te destructam aperte ostenderet, teque vitae auctorem evidentissimo signo comprobaret. Quod autem non statim post mortem redieris ad vitam (quod utique potuisses, si voluisses) provide provida tua bonitas impedivit, quae per tridui moram nos de vera morte tua certos reddere voluit. Si statim post emissum in cruce spiritum revocasses eundem et ad vitam rediisses: quale fuisset nobis tuae mortis testimonium? Omnis nunc ambiguitas in hoc ablata est, quod per tridui moram sit dilata resurrectio tua, corpore interim in corde terrae abscondito: est enim hoc evidentissimum verae mortis argumentum. Attamen non in tempus longinquum conveniebat differri resurrectionem tuam, ne discipulorum corda ad desperationem pervenirent: id quod sine dubio contigisset, si diutius, quam necesse erat, dilata fuisset corporis tui resuscitatio. Propheta Jonas, qui missus in mare, absorptus a ceto, tribus diebus et tribus noctibus in ejus ventre latuerat, post diem tertium evomitus est in aridam. Hanc figuram tu ipse, Domine, cum in mundo doceres, tibi tuaeque resurrectioni competere ostendisti, quando Judaeis incredulis, *signum de coelo* postulantibus, respondisti, dicens: *Generatio mala et adultera sig-*

num quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae Prophetae“ [1].

Jesu mirifice, qui Judaeos illos obstinatos tam severe punivisti, ut *dimittens eos* ascenderis in navim, et *relictis illis* abieris trans fretum: obsecro te omnium nomine fidelium, ne dimittas nos ingratos peccatores, ne derelinquas nos miseros, neque projicias nos a facie tua. Mane nobiscum, Domine! quoniam ope tua maximopere nunc indigemus. Quid sumus absque te? nempe quod filii sine patre, quod orphani sine tutore, quod oves sine pastore, id nos sine te. Semper itaque nobis adesto et custodi nos in ista rerum perturbatione. Revoca nos a viis impiorum et trahe nos in semitam mandatorum tuorum; ut peracto vitae nostrae cursu feliciter attingamus supernam patriam. Amen.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Sacerdos, qui saepe confitetur: 1) rarius labitur et celerius surgit; 2) facilius se sanctificat; 3) securius alios dirigit.

PRECES ANTE MISSAM.

Formidine plenus adrepo nunc ad aram tuam, Domine Jesu, Deus summae puritatis et sanctitatis! Quis sum ego coram oculis tuis lucidissimis, nisi peccator immundus et indignus, qui propius accedam altare tuum? Quamdiu turpissima peccati lepra laboraverim,

[1] Titelman. Hassel.

minime latet te, Fili Dei! Noxae quotidianae, quibus undique scateo, sunt totidem maculae foedissimae, quae deformant imaginem tuam, animam meam. — O Jesu misericors! en ego, velut unus ex illis decem leprosis, a longe tibi supplico; a longe levo flebilem vocem meam. De profundis clamo ad te, Domine! Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae. *Jesu, Praeceptor! miserere mei.* Cor mundum crea in me, Deus, Creator omnipotens! Ab omni labe animi purga me. Amplius lava me ab iniquitate mea et a peccato meo munda me, ne quid impuritatis remaneat in me, quae me posset amovere a te. Miserere mei, bone Jesu, et emunda conscientiam meam ab omni reatus macula.

„Utut multa sint, in quibus peccavi, Domine: tua tamen multo latius se fundit misericordia. Tribue mihi poenitentiae dolorem atque lacrymas, ut scelerum meorum veniam tandem obtineam. Tua, Domine, misericordia pelagus est; nec tibi bonitatis tuae divitiis utendi facultas deesse potest. Praepotens Deus! Rector universi! fer opem misero; adversarius enim suo me confodit jaculo. Sanitatem mihi restitue, neque permittas, ut venenatis illius sagittis sauciatus interream. En morbidus ego tuis adsto foribus, opem ac curam tuam efflagitans. Triumphat medicus, si convalescat aegrotus. At tibi, Domine, longe gratius accidit, animi morbo laborantibus depulsa aegritudine perditas reparasse vires.“ *S. Ephr.*

Confidens igitur immensae benignitati tuae, Domine, progredior ad altare tuum, sacris operaturus. Per infinita hujus sacrificii merita tuam nobis opem impertire, ut et peccati lepram horreamus, et alios ea infectos fugiamus, ne illorum vitiis imbuamur. Miserere flagitiosorum hominum, ne criminum lue tabescentes intereant.

Reorum animos ita flecte, ut se humiliter ostendant sacerdotibus, eisque patefaciant conscientiae maculas. Nobis omnibus auxiliare, Jesu misericors, ut vel minimas in posterum noxas evitemus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Immundus ego peccator animo submississimo te veneror, o Domine Jesu Christe! Tibi reapse nunc in me degenti debitum latriae cultum praesto. En ego, sicut unus ex illis decem leprosis, cadens in faciem ante pedes tuos, suppliciter adoro te atque maxima qua possum reverentia tibi justas persolvo grates. Laudo et magnifico te Dominum Deum meum, te Salvatorem ac consolatorem meum unicum.

„Misericordissime Jesu! ignosce mihi indigno sacerdoti, quod ad celebranda sacratissima altaris tui mysteria accedere praesumsi tam indigne et impudenter; quod sanctissimum corpus tuum et sacratissimum sanguinem tuum tractavi et sumsi tam indevote et irreverenter. Remitte mihi, clementissime Jesu, quidquid in hac missa, tam in dicendis quam in agendis, transivi incaute et negligenter. O Domine Deus! omnem meam indignitatem et impudentiam, omnem indevotionem et irreverentiam, omnem injuriam et negligentiam, omnemque ingratitudinem et indecentiam, quam admisi circa hoc tuum venerabile sacramentum, oro, dimitte mihi pro magna tua misericordia.“ *S. Thomas Aq.*

Jesu benignissime! gratias ago tibi, qui me toties a foeda peccati lepra mundasti ac cibo potuque sacratissimo satiasti. Praeterea tibi gratias ago pro poenitentiae sacramento, quod tamquam saluberrimum animarum medicamentum instituisti. Sine hac salutari

medicina parum nobis prodesset baptismus aut confirmatio aut cibus sacrosanctus. Ea est enim nostra fragilitas et infirmitas, ut facile nimium in peccata prolabamur, ita, ut melius nobis esset, nunquam baptismatis fonte fuisse lotos, nunquam chrismate sacro confirmatos, nunquam altaris sacramento refectos, quam post haec tua dona tam magnifica, tam sublimia, tam salutaria, gratis accepta, tam turpiter iterum ad pristina redire vitia. Et plane nobis essent illa priora sacramenta (post reiterata peccata) nonnisi ad judicium et condemnationem, nisi poenitentiae sacramentum tamquam salutare remedium prioribus tribus sacramentis adjecisses, Domine! Enimvero desperatum esset negotium, quoties in peccatum mortis incideret homo christianus, nisi hoc medicinale sacramentum ex infinita misericordia superaddidisses prioribus.

Sit nomen tuum, o Jesu, benedictum in omnia saecula! Vere tu es Deus Salvator noster, qui neminem a te repellis, sed omnes peccatores (utut immundos) in gratiam recipis, dummodo de admissis a se criminibus sincere doleant. Neque semel aut bis tantum, sed pluries etiam nos serio poenitentes emundas a turpissima peccati lepra; nec emundas solum, sed nos insuper reficis sanctissimo tuo corpore et sanguine. Adjuva, Domine, humanam fragilitatem nostram, ne tantorum unquam obliviscamur beneficiorum, quae continenter a tua in nos bonitate proficiscuntur. Multitudinis miserationum tuarum memoria nobis assidue renovetur his sacris mysteriis, eoque nos urgeat, ut semper et ubique nos gratos exhibeamus erga te, qui talia nobis bona largiris. Amen.

FERIA II.

Parabola de semine praemunit sacerdotem contra: 1) pigritiam; 2) vanam gloriam; 3) pusillanimitatem.

PRECES ANTE MISSAM.

Generis humani Creator et Amator optime! Pater omnipotens, aeterne Deus! sanctissimum missae sacrificium offerimus tibi rursus in agnitionem supremi tui in nos dominii et in contestationem infimae subjectionis nostrae. Per hanc oblationem latreuticam exhibere tibi volumus illum pietatis cultum, quem adorandae Majestati tuae debemus. Incruentam hanc hostiam immolamus tibi, clementissime Pater, in gratiarum actionem pro illo verbi tui semine, quod in cordibus nostris seminasti; simulque pro beneficiis spiritualibus ac corporalibus, quae ab inexhausto bonitatis tuae fonte tam largiter in nos promanarunt. Suscipe, misericordissime Pater, sacrificium istud propitiatorium in satisfactionem pro peccatis nostris, praesertim pro culpabili nostra levitate et negligentia, qua verbum tuum, initio libenter acceptum, mox iterum abjecimus, et tempore tentationis recessimus.

Per hujus oblationis virtutem obsecramus te, benignissime Pater, ut corda nostra praepares ad recipiendum retinendumque verbum tuum. Sine auxilio gratiae tuae de salute nostra parum cogitamus et tantummodo saeculi vanitatibus inhiamus. Domine Deus, qui potens es de lapidibus suscitare filios Abrahae: emolli durissima corda nostra, ne verbum tuum cadat supra petrosa. Converte nos, Deus salutaris noster, qui jam

dudum per Vates sacros promiseras, auferre corda lapidea et dare nobis cor carneum. Da nobis itaque cor pacificum et mite, quod nemini damnum vel molestiam inferat. Largire nobis cor tenerrimum, quod super omnia diligat te et proximum propter te. Da nobis cor tale, quod delicias terrenas aversetur et in sola bonorum coelestium contemplatione delectetur. Id in nobis tua efficiat gratia, quod nostra non potest natura. Tu solus talem nobis mentem indere vales, quae virtutem diligat et ab omni vitio abhorreat. Abstrahe curas nostras a rebus transitoriis et animos nostros erige ad portum aeternae beatitudinis. Neque permittas, ut accipitres tartarei nobis auferant semen verbi tui. Custodi nos ab omni malo et ab omni errore, ut, abjectis sollicitudinibus, divitiis et voluptatibus, uberrimum afferamus fructum in patientia, et sic ad finem usque perseveremus in bono. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Optatissima sane mihi est haec visitatio tua, dulcissime Jesu! Supplicitер adoro te Dominum Deum meum, in corde meo revera praesentem. Maximas tibi grates habeo pro saluberrima hac vitae alimonia, qua denuo refecisti me. Quanta bonitas tantae Majestatis! Tam bonum Verbum in corde meo malo! Verbum plenum gratiae et veritatis in corde pleno miseriae et vanitatis! — O si tali caritate prosequi te possem, mi Jesu, quali tu me complecteris! Tuus erga me amor nunquam remisit. Peccabam ego, tu vero dissimulabas. Qui ergo tamdiu pepercisti peccanti, da quoque veniam poenitenti.

„Domine! audi vocem peccatoris poenitentis, cujus ante oculos semper obversantur admissa flagitia. Si ad

meipsum redeo, si cor meum inspicio, si totam vitam meam discutio: nihil aliud invenio, nisi locum horroris et vastae solitudinis, conscientiam neglectam, omnino incultam, spinis ac tribulis obsitam et omni horrore plenam. Nullum invenio vitium, a quo non contraxerim aliquod contagium. Turbavit me iracundia, laceravit invidia, inflammavit superbia. Inde contraxi mentis inconstantiam, oris scurrilitatem, scelera detractionum, linguae effrenationem. Non observavi in obsequiis reverentiam, non in colloquiis modestiam, nec in moribus disciplinam. Fui onerosus amicis, infestus pacificis; ingratus beneficiis, inflatus obsequiis, imperiosus subditis. Saepe jactavi me fecisse, quod non feceram; dixisse, quod non dixeram; vidisse, quod non videram; et ita omni ex parte sum reus.“ *S. Bern.*

„Immensam misericordiam tuam exoro, Domine Jesu, misericors Deus! remitte mihi omnes effrenatae meae temeritatis offensas, ut anima mea benignitatis tuae dulcedine repleatur; et concessa venia plenae indulgentiae, quidquid reatu proprio deliqui, totum per ineffabilem misericordiam tuam absterge. Nec sit a me longinqua tuae clementiae miseratio; sed quidquid tuae voluntati contrarium admisi, tu bonus et misericors ablue indulgendo. Sana omnia vulnera mea, Domine, mihique cuncta remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus separatus, sed semper auxilio tuo munitus, tibi Deo meo jugiter adhaerere valeam.“ *S. Ansel.*

Succurre mihi, precor, amantissime Jesu, ne sim de numero illorum, qui verbum tuum audientes ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt; qui a sollicitudinibus et divitiis ac voluptatibus vitae suffocati non referunt fructum. Effice potius, benignissime Redemtor, ut de illorum sim numero, qui verbum tuum

in corde bono et optimo retinent et fructum afferunt in patientia. Eandem tribue gratiam omnibus conservis meis, ut in novissimo die veniamus cum exultatione portantes manipulos nostros, et accipiamus a te mercedem patientiae. Amen.

FERIA III.

Dissipatio in anima et vita sacerdotis: 1) impedit divinas inspirationes, gratias etc.; 2) viam pandit tentationibus et peccatis; 3) obest dignae et meritoriae sacrarum functionum executioni.

PRECES ANTE MISSAM.

Magne Deus, Pater omnipotens, coeli terraeque Moderator, cujus ad nutum omnes creaturae contremiscunt! en, nos homines miseri, de limo terrae formati, nos peccatores sordidi cum timore et trepidatione propinquamus adorandae Majestati tuae, confitentes imbecillitatem nostram. Certe, si tua destituamur ope divina, miserabiles et abominabiles sumus creaturae coram oculis tuis: ex nobis enim nihil boni cogitare vel agere valemus, neque salvari possumus sine te, sed omnis salus nostra versatur in manu tua.

Grates tibi, coelestis Opifex, qui nobis hanc cognitionem donasti, ut intelligamus, nos sine te nihil esse, nihil posse. Si beatos nos efficias, ostendis infinitam misericordiam tuam; sin autem abjicias nos in perditionem, demonstras terribilem justitiam tuam. Et hanc dum nobiscum reputamus, merito trepidamus, etiam

atque etiam implorantes misericordiam tuam. Filiali cum fiducia confugimus ad te, dulcissime Pater! quia enim universo mundo te Deum summe placabilem exhibuisti, per illud imprimis, quod unigenitum Filium tuum pro hominibus, innocentem pro reis, pati morique volueris; quia etiam monuisti nos in omni tribulatione tibi supplicare, simulque promisisti, te omnia nobis daturum, quae petierimus in nomine Filii tui: ideo fidenter accedimus aram tuam et per hujus sacrificii virtutem oramus te, clementissime Pater, ut miserearis nostri.

Per mortem Christi Filii tui concede nobis, Pater, omnium delictorum veniam. Da, ut eximia morum honestate tibi placeamus, tamquam filii promissionis ac haeredes tui. Custodi nos a fermento Sadducaeorum modernorum, a doctrina pestifera novorum ethnicorum atque scepticorum. Auge in nobis fidem, spem ac caritatem, ut decenter offeramus ac comedamus hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae. Tribue nobis singularem hanc gratiam, ut in fine peregrinationis nostrae justificati coram te inveniamur. Miserere pariter omnium heterodoxorum, eorumque mentes illumina et sinistras inclina voluntates ad amplectendam religionem catholicam. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Largitus es mihi, Domine Jesu, teipsum, panem sanctum vitae aeternae, quem esuriebam; dedisti mihi salutiferum sanguinis tui potum, quem sitiebam. Exhilaras me dulci praesentia tua, quam exoptabam. Pro singulari hac bonitate tua, pro inaestimabili convivio, quo vires meas languentes tam benevole recreasti, nec non pro ceteris tuis donis ac datis, quibus me a primo

vitae momento ad praesentem usque horam cumulasti, debitam tibi refero gratiam.

Magna simul animi contentione grates ago tibi, suavissime Jesu, pro summa benignitate tua, qua mihi donum fidei concessisti et a fermento Sadducaeorum, a doctrina modernorum sycophantarum me protexisti. Si attentiore mentis oculo praeteritos vitae meae annos intueor, ubique certissima tuae in me dilectionis signa obversantur animo meo. Utinam infinito te possem amore prosequi, quo dignissimus es! Heu quam frigidus sum in amore tui! — Tu quidem es unicum solatium meum, tu unicum gaudium meum: at tam multis implicatus sum negotiis, ut tui frequenter obliviscar. Mens mea saepe vagatur extra te per inanes saeculi vanitates et insanias falsas. Ah! rubore suffusus fateor ingratitudinem meam. — Suavissime Jesu! tam vehementi caritatis igne cor meum incende, ut omnium rerum terrenarum obliviscar, et te Salvatorem meum amabilissimum semper in memoria habeam.

Bone Jesu, qui temetipsum, panem sanctum vitae aeternae, mihi manducandum dedisti: effice, precor, ut duplicato mentis ardore negotia mea resumam, restaurato vigore cum hostibus meis confligam, novoque desiderio quascunque tribulationes ac cruces suscipiam. Fac, ut animosius insistam Apostolorum tuorum vestigiis, qui nullam praetermittebant occasionem, promovendi tuam gloriam et animarum salutem. Dirige me semper in ea perfectionis semita, quam ipse nobis ostendebas et verbis et exemplis. Coelesti lumine tuo collustra mentem meam ad evangelii tui praecepta firmiter retinenda. Redde me prudentem sicut serpentem, ne forsan incredulorum argutiis decipiar, neque scepticorum mendaciis aut fanaticorum fraudulentiis in errorem inducar. So-

latio et auxilio tuo sustenta me, quo majore patientia sustineam malevolorum injurias. Vehementer etiam obsecro te, Jesu misericors, ut haereticos ad sinum Ecclesiae tuae revocare digneris. Illumina quoque paganos et Epicureos, qui negant immortalitatem animae humanae et resurrectionem mortuorum. Duplicem insuper a te gratiam illam efflagito: ut nunquam indigne manducem te, panem sanctum vitae aeternae; dein ut appropinquante mortis hora, lethali correptus morbo, te supremum aeternitatis viaticum animo rite parato suscipiam. Amen.

FERIA IV.

Caecitas in sacerdote saepe est: 1) peccatum; 2) sequela et poena peccati; 3) causa peccatorum.

PRECES ANTE MISSAM.

Donorum omnium distributor liberalissime, Creator omnipotens, qui diligis omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti! caligant equidem oculi mentis meae; video tamen et agnosco, quod innumeris muneribus singularem tuam in me benevolentiam mirifice declaraveris. Utinam haec beneficia tua saepius atque studiosius mecum considerassem! multum inde fuissem excitatus ad amandum te tibique serviendum. Frequenter intus audivi paternam vocem tuam, dehortantem me a vitiis; sed auscultare detrectavi. Ad virtutis exercitium me stimulasti; attamen id intelligere nolui. Corripuisti me, bone Pater! et ego pro nihilo duxi. Terruisti, per-

cussisti ac castigasti me; sed ego caecus homuncio in minimis omnia posui. Saepius illuminasti cordis mei tenebras et aberrantem me reduxisti ad viam rectam. Crebro me labentem erexisti; subsistere volentem acrius incitasti; languide procedentem attraxisti. Cum prae nimia laetitia plus justo festinarem, manum tuam aliquantisper a me retraxisti et in priorem me languorem incidere permisisti, ne cursu praepropero in arrogantiam offenderem aut superbia intumescerem. Haec charismata tua, Pater providentissime, saepius obtinui: sed ego caecutiens parum cogitavi de referenda gratia.

Nunc autem obsecro, clementissime Deus! aperi oculos meos, ut dona tua melius agnoscam et utilius impendam quam hactenus. Ad altare tuum me hodie progredientem accende amore tuo et ingenti desiderio, tibi posthac alacrius serviendi. Suscipe, Pater misericordissime, hanc placationis hostiam, incruentum istud sacrificium, in plenam expiationem delictorum tam meorum, quam alienorum. Fac, ut universus populus christianus ubique fulgeat et fidei puritate, et morum sanctitate. Gentes a catholica religione alienas veritatis tuae luce collustra, quo citius abjiciant et errorum et vitiorum monstra. Caecos haereticos ad unius Ecclesiae verae gremium adducito, ne pereant tot animae, tot imagines tuae, quarum pro salute Christus sanguinem suum effudit in cruce. Adesto clericis atque laicis, magistratibus atque subjectis, ut omnes ubique tranquillam agere vitam possint. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Ave, mi Jesu carissime! millies ave, o dulcissime Hospes et Amor animae meae! — Video te non oculis

corporis, sed oculis fidei video te praesentem in corde meo. Provolutus ad pedes tuos adoro te Deum Salvatorem meum, humiliterque gratias ago maximas pro incomparabili hoc beneficio, quo me denuo tibi devinxisti. Caecutiens ego et miser homo tantum obscure et quasi per caliginem video te; magno tamen amore cor meum aestuat et ingenti nunc exultat gaudio. Quid primum fieret, si clare viderem omnia, quae teipsum mihi reddunt amabilem? — Multo major es, Domine, et longe amabilior, quam ego mente capere vel intelligere possum. — Proh infelix peccatum, quod usque adeo caecavit me! — O nefandae cupiditates ac indomitae affectiones, quae sensim mentis meae oculos tantis involverunt tenebris!! —

Bone Jesu, qui caecum illum a foro abduxisti eique restituisti visum: tibi nota est caligo mentis meae. Haud te latet, quamdiu caecutienti mundo caecus adhaeserim. Etiamnum infirma et tenuis est oculorum meorum acies. Nondum perfectam habeo videndi facultatem, sed dubiis subinde pedibus in tenebris repto. Te igitur obsecro, Jesu suavissime, Domine benignissime, qui, *apprehensa manu* illius caeci, eundem eduxisti *extra vicum:* etiam me gratiae tuae viribus educito extra tumultuantis saeculi forum. En, extendo manus meas, rogans, ut ducas me in solitudinem et loquaris ad cor meum. Dispelle tenebras meas, quo securius progrediar in via mandatorum tuorum. Illumina mentis meae oculos, ita ut clare videam et accurate perficiam omnia, quae conferunt ad promovendam nominis tui gloriam et animarum salutem; ut clare videam omnia, quae ad dignitatem meam, ad officium meum pertinent; ut clare videam omnia, quae cogitare, quae loqui, quae facere vel omittere debeo.

Jesu, clarior sole! sine tuo lumine nihil est in homine, nisi mera caecitas, nisi ignorantia, nisi perversitas. Miserere nostri, Domine, qui solus nos homines caecos sanare et illuminare potes. Fac, ut doctrinas evangelicas intelligamus, iisque mores nostros exacte conformemus. Clare nobis ob oculos pone omnia aeternae salutis adjumenta et obstacula, ut haec caute vitemus et illis diligenter utamur. Divina luce tua collustra caecutientes haereticos, qui misere vagantur extra Ecclesiam tuam. Fidei lumen misericorditer impertire Judaeis atque paganis, in quacunque mundi regione degentibus. Illumina peccatores obcaecatos, abstrahe miseros a via perditionis, et dirige pedes eorum in viam pacis. Effice, precor, Omnipotens, ut nos omnes ac singuli, depulsis errorum tenebris, inaestimabile fidei lumen sequamur, eoque praelucente perveniamus ad lumen aeternae gloriae. Amen.

FERIA V.

Et die 18. Jan.

Cathedra s. Petri.

Spiritus ecclesiasticus quomodo se ostendat in sacerdote: 1) plena propria judicii subjectione prae Ecclesiae auctoritate; 2) perfecta obedientia erga s. Pontificem, Episcopum etc.; 3) magna aestimatione eorum, quae Ecclesia approbavit, commendavit, instituit (e. g. sacramentalium, confraternitatum, indulgentiarum etc.); 4) magno studio ac zelo Eccl. defendendi ac dilatandi (dolor. de injuriis Eccl. illatis etc.); 5) concordia vere clericali.

PRECES ANTE MISSAM.

Spiret, amantissime Pater, omnipotens Deus, haec hostia sancta odorem suavitatis, quo magis tibi placeat, et a te benignius accipiatur, in gratiarum actionem pro primatu pontificio, quem ipse supremus omnium Pontifex Jesus Christus firmiter consolidari volens, fundavit super illam insignem petram, quae in divo Petro ad nostra usque tempora haud interrupta romanorum Pontificum sibi succedentium serie perseveravit, et deinceps usque ad finem mundi perseverabit. Gratias igitur agimus tibi pro bonitate tua, qua sanctam Ecclesiam tuam supra petram ita solide fundasti ac aedificasti, ut inferorum portae non praevaleant adversus eam. Per infinita Filii tui merita obsecramus te, clementissime Pater, ut Ecclesiam catholicam ubique locorum ab omni schismate ac haeresi deinceps immunem servare digneris. Propitius esto modernis pontificii primatus inimicis ac impugnatoribus. Fac, Omnipotens, ut ad Ecclesiae tuae gremium illi redeant, qui seipsos inde haeretica pravitate segregarunt. Miserere hostium nostrorum, qui statum ecclesiasticum ac Petri patrimonium et armis et insidiis acriter oppugnant.

„Domine Deus, qui beatos Apostolos tuos in columnas Ecclesiae mirabiliter elegisti, eosque primos evangelii praecones in universum mundum ablegasti, eorum doctrinas innumeris prodigiis atque miraculis confirmans et stabiliens: oramus, misericorditer concedas, ut, postquam nos super apostolicae confessionis Petram a te fundati et in fidei unitatem ad laudem nominis tui vocati sumus, nullis erroribus aut tentationibus a te separemur.“ *Petr. Canis.*

Oramus te, misericordissime Pater, ut Ecclesiam

tuam assidue protegas, ejusque sacros praesules atque pastores Spiritu sancto repleas, quo perfecte edocti recte tractent verbum veritatis. Praesertim vero te precamur, ut Papam nostrum, legitimum Petri successorem et Ecclesiae caput visibile, praesidio tuo defendas, auxilio fulcias, consilio dirigas, solatio erigas, eumque tandem una cum omnibus ovibus suis ad aeternae beatitudinis portum perducas. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Pastor pastorum! Jesu dilectissime! suppliciter adoro te, nunc commorantem in pectore meo. Constantissime cum Apostolo tuo Petro profiteor, quia *tu es Christus*, verus Messias exspectatus a Patriarchis et praenuntiatus a Prophetis. Tu es *Filius Dei vivi*, non adoptione, sed natura. Tu Verbum caro factum, verus Deus et verus homo. Tu solus Dominus et magister meus; tu unica spes ac consolatio mea; tu unicus Salvator et amor meus; tu Deus meus et omnia. Ita, mi Jesu adorande! sic credo, sic asseveranter testificor, sic aperte profiteor, et hanc confessionem meam (si petas et gratiam tribuas) effuso diros inter cruciatus sanguine meo subscribere paratissimus sum.

Domine Jesu Christe! tu es primarius Ecclesiae fundator, aedificator et moderator. Supra te, velut immobile fundamentum, Ecclesia fundata est; quemadmodum Apostolus (1 Cor. 3.) asserit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* Ita, Domine! Petro post confessionem bonam bona respondens, dixisti: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Cum enim artifex sis sapientissimus,

imo ipsissima Sapientia, non poteras super arenam aedificium hoc constituere, sed supra firmissimam petram, ut esset Ecclesia velut arx munitissima vel civitas invicta, nec adversus eam praevalere possent adversariae inferorum portae.

O bone Jesu, qui Apostolorum successoribus, vitiosis ac infirmis hominibus, dedisti claves regni coelorum, ut peccatores aperirent innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores: te supplex oro, ut augeas in me spem atque fiduciam, maxime vero donum fidei, et hac praesertim aetate, qua sancta mater Ecclesia cum filiis suis a progenie viperarum acerbissime vexatur. Benignissime Jesu, qui sic dilexisti hanc sponsam tuam Ecclesiam, ut ejus amore vitam posueris in cruce: te deprecor, ut eandem pacificare, custodire, adunare et regere digneris in toto orbe terrarum. Vide, Domine, quam effrenato inimicorum furore nunc ubivis gentium oppugnetur Ecclesia. Ne permittas, Omnipotens, ut uspiam inferorum portae praevaleant adversus eam. Protege dioecesin et patriam nostram in magnitudine brachii tui contra novatorum impetus, ne minuatur credentium coetus.

Jesu, *Fili Dei vivi*, qui famulo tuo, romano Pontifici et legitimo Petri successori, dedisti claves regni coelorum: eidem adde consilium in agendis, sapientiam in praecipiendis, fortitudinem in adversis, patientiam in opprobriis. Da etiam mihi ceterisque consacerdotibus meis auxilium gratiae tuae, ut fidem nostram intrepide tueamur, visibilis Ecclesiae Capitis primatum animose defendamus, Patrum traditiones novitatibus anteponamus, et in omni bono quotidie crescamus. Opitulare nobis Ecclesiae ministris, ut, exhibendo mores dignitati nostrae congruos, laicis eximia pietatis exempla prae-

beamus, et aliquando (cum apparueris, Princeps pastorum!) immarcescibilem gloriae coronam percipiamus, aeterno triumphaturi gaudio cum Apostolis et omnibus sanctis tuis. Amen.

FERIA VI.

Sacerdos mortificatus: 1) vivit in pace et quiete animi; 2) alacer subit labores apostolicos; 3) speciali fruitur Dei auxilio; 4) morte moritur quietissima.

PRECES ANTE MISSAM.

„Benignissime Jesu, qui universorum es conditor et Salvator hominum omniumque largitor bonorum: en ego miser et miserabilis homo, multis peccatis obstrictus, multis vitiis inquinatus, infinitis beneficiis tuis debitor, pro multis hominibus singulariter et pro omnibus generaliter orare teneor. Itaque vim patiens ad te confugio, et obsecro: responde pro me. Tibi enim offerre cupio, suavissime Jesu, sacrificium corporis et sanguinis tui in gratiarum actionem, et in memoriam caritatis tuae, passionis tuae, mortis tuae: obsecrans te per teipsum, Deus meus, ut illud benigne suscipias et Patri offeras in unione omnium meritorum tuorum, in unione perpetuae obsecrationis tuae, quam facis ad Patrem pro nobis; et dones mihi ac universo populo tuo eundem percipere fructum, quem meruisti nobis in cruce. Ea, clementissime Domine, praesta, ut hoc corporis et sanguinis tui sacrificium eadem offeram intentione, qua tu illud obtulisti in ara crucis.“ *Joan. Landsperg.*

Memor itaque passionis ac mortis tuae accedo

altare tuum, Domine Jesu, ut offeram illud sacrificium, quod ipsemet instituisti et offerri praecepisti in tui commemorationem pro salute nostra. Suscipe illud, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, pro populo, quem acquisivisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eundem populum tuum medium esse voluisti: quamvis in me aliquod boni operis testimonium non invenias, officium saltem dispensationis creditae non recuses; neque per me indignum illorum salutis pereat pretium, pro quibus tu victima factus salutaris dignatus es esse redemtio. Profero tibi, Domine (siquidem digneris propitius intueri), tribulationes plebium, pericula populorum, gemitus captivorum, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, infirmitates languentium, defectus senum, lamenta viduarum." *S. Ansel.*

Jesu patientissime, qui nos omnes ad tui sequelam invitasti, dicens: ***Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me***: per virtutem hujus missae sacrificii largire mihi meisque omnibus necessarium gratiae subsidium, ut pravas in nobis affectiones frangamus ac comprimamus; ut novo quotidie mentis ardore tollamus crucem nostram et strenue sequamur te, crucis antesignanum et adjutorem nostrum, donec, crucis via feliciter emensa, mereamur intrare in regnum gloriae tuae. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Nunquam satis admirari valeo tuam erga me caritatem, o Jesu suavissime! Indignum me beneficiis obruisti maximis. Ut a morte aeterna me liberares, teip-

sum in ara crucis sacrificasti. Ut autem me languentem reficeres ac confortares, dedisti mihi sacratissimum corpus et sanguinem tuum in cibum et potum. — O Jesu liberalissime! quid tibi retribuam pro talibus beneficiis identidem multiplicatis? Aut quo pacto satis gratum me tibi praebere potero pro tantis muneribus? Quid petis a me? Domine! quid me vis facere? — Audio te dicentem mihi: *Abnega temetipsum, tolle crucem tuam quotidie, et sequere me.* — Dura quidem ignavo mihi videntur haec verba tua. Nihilominus obtemperabo monitis tuis, o Amor mi crucifixe! Domabo naturam meam vitiosam; acceptabo et portabo crucem, quam impones humeris meis; per patientiam curram ad propositum mihi certamen, aspiciens in te, qui sustinuisti crucem pro me.

„Da mihi crucem, Domine Jesu! quia nunc crucem amo, crucem desidero, crucem quaero. Ipsa sola mihi sufficit: ipsa est in hac vita spes mea, consolatio mea, sapientia mea. Sine cruce aberro; sine cruce procul a portu salutis deflecto. O bone Jesu! nihil aliud in hac peregrinatione a te peto, nisi ut tecum semper sim crucifixus. Certe, dulcissime Jesu! nolo vivere, nisi tecum vivam in cruce; nec mori volo, nisi tecum moriar in cruce. Aut ergo da mihi mortem corporis mei, aut altius imprime cordi meo crucem tuam. Hanc volo, hanc peto, hanc omnibus votis concupisco. Domine! pro me fecisti coelum, solem, stellas, ignem, aquam, terram, herbas, fructus, olera, flores, aurum et argentum. Sed quis haec quaesivit de manibus tuis? Sine petitione nobis haec omnia dedisti. Et tota die affligo animam meam, petendo vulnera tua, quae in cruce accepisti. Scis, Domine, quia omnia alia mihi vilescunt. Da mihi vulnera tua, Amor mi, et omnia cetera tibi restituo: nam vul-

nera tua super coelum delectant cor meum, super solem illuminant intellectum meum, super stellas irradiant mentem meam, super ignem accendunt affectum meum, super aquam emolliunt animum meum, et super terram stabiliunt sensum meum. Vulnera tua mihi sunt herbis et fructibus suaviora, oleribus et floribus amoeniora, auro et argento pretiosiora." *S. Laur. Just*

„Jesu, benignissime Redemtor! intra vulnera tua absconde me, et ne permittas me separari a te. Scio, Amor mi crucifixe, quia per innumera peccata mea justissimam Patris tui indignationem promerui. Attamen, quia tu gravissima vulnera ob amorem et salutem animae meae pati voluisti, plenus ego fiducia ad illa confugio, rogans, ut per illorum virtutem me plenissime reconcilies Patri tuo. O Jesu, Amor mi unice! per has sacratissimi corporis tui plagas defende me ab inimicis meis, quaerentibus animam meam, ut perdant eam. Eja, Redemtor amabilissime! concede, precor, ut hic in transfixo corde tuo secure quiescam, ceu in domo refugii, ubi tutissimus ero." *Blosius.*

„Domine Jesu, qui pro hominum salute quinque vulnera in cruce pertulisti: precor te, dirige sensus cordis et corporis mei in beneplacito tuo, ne decedam ex hac vita sine vera poenitentia. Da mihi velle, posse et perficere, quae tibi placent et mihi expediunt. Obsecro te, dulcissime Jesu, ut amarissima passio tua, cujus in memoriam teipsum nunc immolavi et sumsi, virtus mihi sit, qua protegar atque defendar. Aspersio sacrosancti sanguinis tui sit mihi ablutio omnium peccatorum meorum. Mors tua sit mihi vita indeficiens, et crux tua sit mihi gloria sempiterna. Amen." *Joh. Suicard.*

SABBATO.

Avaritia in sacerdote: 1) stultissima; 2) indignissima; 3) fidelibus odiosissima; 4) ipsi perniciosissima et vix emendanda.

PRECES ANTE MISSAM.

„Domine Deus! Pater misericordiarum! quid est homo, quia sic magnificas eum? Ergone tibi homo tanti esse potuit, ut non modo coelum ac sidera creaturasque terrestres ad illius servitium deputares, sed teipsum etiam ut peculiarem auxiliatorem in omnibus salutem illius spectantibus adjungeres? Tu multo studiosius pro mea salute vigilas, longe laboras fervantius, instas operosius, quam ipsemet ego. Tu perinde, ac si praeter me nihil in coelis terrisque curares, assiduo me dignaris subsidio tueri, favore prosequi, amore complecti. Sed ego nimis ingratum me hactenus exhibebam. Aut quid tibi reddebam, Domine, pro tot tantisque in me collatis beneficiis? Creaturarum servitia, terrae bona, gratiae auxilia, secus ac par erat, impendebam; et quae ad obsequium tuum meamque salutem vertere debuissem, in offensionem tuam et exitium meum convertebam. Si mihi tot essent linguae, quot in terris creaturae; si mihi tot essent corda, quot in coelo sidera: deberem omnia praeconio et amori tuo tribuere, nisi vellem ingratus videri. Et tamen (proh dolor!) nec unam hanc linguam meam nec cor meum unicum obsequio tuo consecrabam. Doleo et detestor hanc ingratitudinem meam“ [1].

Sincere me poenitet, quod tamdiu cor meum rebus

[1] Jacob. Maseni.

vanis affixum habuerim atque tam parum laboraverim de thesaurizandis mihi thesauris in coelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Bone Deus! ignosce mihi hanc imprudentiam meam, et dimitte servo tuo culpas praeteritas. Ecce, Pater amantissime! ponam hodie in patena juxta sacram placationis hostiam etiam cor meum poenitens, immolandum una cum Jesu, thesauro meo dilectissimo: nam ubi thesaurus meus, ibi sit cor meum. Nullus dubito, quin munus hoc clementer acceptaturus sis. Quemadmodum enim summo cum beneplacito respicis Filium tuum carissimum: ita cor contritum et humiliatum, ad pedes ejus positum, non despicies.

Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. Virtute sacrificii istius avelle corda nostra a rebus terrenis. Emunda nos ab avaritiae sordibus, ne pereamus cum infelicissimo proditore Juda. Da nobis, providentissime Pater, ut *habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Divitibus hujus saeculi hanc concede gratiam, ut non sperent in incerto divitiarum, sed facile tribuant, quo ditiores fiant in bonis operibus. Egenis autem opitulare, ut inopiae suae incommoda patientissime ferant, exspectantes thesaurum indeficientem in coelo. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Carissime Jesu! fecisti mecum juxta mansuetudinem tuam et secundum multitudinem misericordiae tuae. Teipsum mihi totum donasti, qui verus et unicus es animae meae thesaurus. Bona temporalia nihili facio, quia te summum ac aeternum Bonum meum possideo. Non est, quod in terris ultra quaeram, cum teipsum

et tecum omnia in corde meo habeam. O Deus meus et omnia! suppliciter adoro te, magnoque perfusus gaudio gratias ago tibi pro hac clementia tua, qua me rursum ad coelestem mensam tuam admisisti.

Ex totis viribus amo te, cordis mei thesaurum inaestimabilem. Utinam eo te diligerem amoris aestu, quo dignissimus es! Accende me tuae caritatis igne. Fac me sentire ac intelligere, quantum me diligas et quantum amabilis sis. Effice, precor, ut amore tuo succensus abjiciam onus grave rerum mundanarum, quae hactenus animum meum inclinarunt ad terram. Erige mentem meam ad coelestem patriam. O quam sordet mihi terra, dum coelum aspicio! Avaritiae vitium mihi summopere displicet, ac illorum doleo sortem mortalium, qui (more brutorum) oculos suos statuerunt declinare in terram; qui Judae proditoris adinstar opibus inhiant et bona coelestia pro nihilo reputant. Fac, ut ego peritura fortunae bona ex animo ejiciam, quo facilius ac crebrius aeterna meditari valeam.

„Domine Jesu! fac, obsecro, ut spiritus meus pane coelesti potuque divino satiatus resumtisque viribus ad superiora ascendat, et ex hac lacrymarum valle, pennis piorum desideriorum sublatus, ad coelestia gaudia volitet. Assumat spiritus meus pennas, et velut aquila ex hoc mundo evolet, neque deficiat, donec perveniat usque ad decorem domus tuae, ad locum habitationis gloriae tuae. Quandonam, o Jesu dulcissime, plene gustabo dulcedinem tuam? Quandonam, o Jesu pulcherrime, videbo et contemplabor infinitam pulchritudinem tuam? Quandonam, o Jesu amabilissime, quandonam satiabor amore tuo? Desiderat anima mea videre te facie ad faciem. Quando veniam et apparebo ante faciem tuam? Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Quis

debit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam? Nihil mihi tam dulce, quam semper esse cum Domino meo. O Jesu desideratissime! praebe mihi contemplationis pennas, ut sursum ad coelos volitem. Trahe mentem meam sursum ad lumen tuum, ne ad ima hujus saeculi tenebricosi decidat, nec interveniente umbra terrae a te sole justitiae separetur, vel obducta tenebrarum nebula prohibeatur alta respicere. Sursum tendo ad delectabilem pacis lucisque serenitatem. Illuc festino, ubi summa pax regnat stabilisque tranquillitas rutilat. Verumtamen animae meae sursum volitanti, multa sunt, quae moram injiciunt vel obsistunt. Fac, Domine, ut mens mea pertranseat omnia, quae creata sunt, et in te solo immotos figat oculos; tibi soli inhiet, te solum meditetur, tibi soli intendat, te solum contempletur, te solum desideret, te summum Bonum, te unicum thesaurum meum. Qui vivis." *S. Laur. Just.*

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Bonus sacerdos divinam providentiam: 1) ubique agnoscit et agnosci facit; 2) semper in ea confidit; 3) in omnibus ipsi se subjicit.

PRECES ANTE MISSAM.

Parens rerum omnium, Deus providentissime, qui nos ex mera bonitate, cum non essemus, ad imaginem tuam creasti; qui nos miseros Adami filios, per peccatum perditos, a diaboli potestate vindicasti et pro filiis adoptasti: *Pater*, qui nos affectu vere paterno complecteris

nutris, gubernas, protegis atque conservas: *Pater noster, qui es in coelis!* ad te nunc iterum manus, oculos et animos attollimus, enixe postulantes opem tuam, ut terrenis rebus posthabitis, ad coelestia solum aspiremus.

Pater sancte, qui coelum micantibus stellis, et terram mirabili creaturarum varietate exornasti pulcherrime: *sanctificetur nomen tuum.* Laudamus sapientiam et bonitatem tuam, quae tam mire pascit volatilia coeli, et tam splendide vestit lilia agri. Magnificamus admirabilem providentiam tuam, quae operit coelum nubibus, et parat terrae pluviam; quae producit in montibus foenum, et herbam servituti hominum. In omni loco et tempore honoretur nomen sanctum tuum.

Et quia dilectus Filius tuus praecepit nobis, quaerere primum regnum Dei, una voce precamur: *Advenial regnum tuum.* Fac, optime Pater, ut inanes abjiciamus sollicitudines, rerumque fluxarum illecebris expediti superna sapiamus, aeterna quaeramus, coelestia consequamur. Nihil in hoc saeculo sic arrideat nobis, ut obliviscamur regni coelestis.

Inter innumeras exilii nostri miserias oramus te, Pater providentissime! *Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra.* Da, quaesumus, ut secundum voluntatem tuam omnia faciamus, acerba feramus, tuamque providentiam in quolibet eventu humiliter adoremus. In unione illius amoris, quo Filius tuus acerbissimos dolores suos in ara crucis tibi obtulit, offerimus hodie super altari tuo calamitates nostras, suppliciter obsecrantes, ut eas una cum isto sacrificio suscipias in odorem suavitatis, nobisque prodesse facias ad obtinendam felicitatem aeternam.

Liberalissime Pater, qui tot animantia nutris in terra: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

En, omnem sollicitudinem nostram projicimus in te, cui *soli* cura est de nobis. Pagani quidem, ab omni religione alieni, res superfluas et transitorias inquirunt; nobis vero quaestus sat magnus est pietas cum sufficientia. Largire nobis necessaria vitae subsidia, ne incidamus in desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt hominem in interitum. Noli subtrahere nobis panem, panem eucharisticum, neque permittas, ut illum indigne manducando judicium nobis manducemus.

Clamamus insuper ante thronum misericordiae tuae, Pater optime: *Dimitte nobis debita nostra*, quae novis in dies culpis ac negligentiis cumulamus, et quibus solvendis aut expiandis nulla sufficit creatura. Ideo per infinita merita Salvatoris nostri, quem in altari nunc immolabimus, te deprecamur, ut remittas nobis peccata nostra, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, a quibus injurias atque molestias accepimus.

Imploramus adhaec clementiam tuam, Omnipotens, ut tuearis nos servos tuos ab adversariorum insidiis: *et ne nos inducas in tentationem.* Agnoscimus infirmitatem nostram, quae pessimis impiorum moribus ac consiliis facillime traducitur ad vitia. Videmus ingentem animarum stragem, quam et spiritus infernales, et magistri mendaces, sive lupi rapaces quotidie student duplicare. Dissipa illorum molimina hostium, qui sacram religionem nostram ex omni parte vehementer oppugnant.

Ne permittas nos decipi deceptosque misere perire, *sed libera nos a malo.* Libera nos ab omni haeresi mentisque caecitate; libera nos ab omni vitio et affectu perverso. Speramus in providentia tua paterna, quae ad salutem nostram cuncta disponit et ordinat. Fac, ut denique feliciter illuc pertingamus, ubi remoto procul omni malo possidebimus te summum Bonum. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Domine Jesu Christe! totus attonitus coram divina Majestate tua vilissimus ego terrae vermiculus me prosterno, et ea qua decet animi submissione adoro te praesentem in pectore meo. Demiror equidem magnam bonitatem tuam, qua tot homines, tot volatilia coeli, tot pisces maris, tot bestias terrae nutris. Attamen magis admiror hanc liberalitatem tuam, qua teipsum, panem Angelorum, mihi peccatori manducandum praebes in altaris sacramento. Si habeo, quod me quotidie cruciat, etiam habeo, quod me quotidie recreat atque delectat. Spero in te, Verbum misericors! Verbum bonum! aeterna Sapientia! Per te omnia facta sunt; per te omnia sustentantur ac gubernantur. Mitto nunc curas inanes, abjicio vanas sollicitudines, quas improbasti. Ante omnia quaeram primum regnum Dei et justitiam ejus. Omnem sollicitudinem meam projicio in te, quoniam tibi cura est de me.

„Recordari libet munerum tuorum, Domine Deus, ut sit mihi confusio ante oculos et rubor in genis meis. Nam forte misereberis, ubi non penitus oblitum me videris eorum, quae mihi tribuisti, Largitor optime! Etiam mihi, sicut ceteris hominibus, ex nihilo formasti coelum et astra (quid enim horum tibi opus erat?). Etiam mihi solem et lunam creasti; mihi temporum vicissitudines, dies noctesque, lucem ac tenebras discriminasti. Coeli serenitatem et nubes tu fecisti. Terram aquis marinis atque fluminibus involvisti. Circumquaque virentibus herbis vestisti campos, floribusque decorasti colles. Fatigato mihi praeparasti quietem, aestuanti umbras arborum, esurienti varia refectionis alimenta. Quam diversis animantibus implevisti aëra, terram et aequora!

Quis cuncta dinumeret? Et haec omnia, Domine, subjecisti sub pedibus hominis. Usque adeo dilexisti hominem. Nec ideo minus amasti me, quia cum multis. Quin et singularia quaedam mihi tribuisti beneficia. Ostendisti mihi viam, qua gradiendum sit ad vitam aeternam. Cadentem sustentasti, aberrantem reduxisti, languentem roborasti, prostratum erexisti; misertus mei tunc, quando non misericordia, sed odio dignus eram" [1].

„Gratias tibi ago, Christe Domine Deus meus, qui dignatus es me ad imaginem tuam creare, tuo pretioso sanguine redimere atque corporis et sanguinis tui mysteriis reficere. Tibi dico laudes et ago gratias, quia me a tempore rudis infantiae meae usque ad hanc horam, per multa vagantem vitia, patienter exspectasti ad emendationem. Te laudo, te glorifico, qui me saepissime a tribulationibus et angustiis liberasti, et hactenus ab aeternis suppliciis exemisti. Te laudo, te glorifico, qui mihi necessaria vitae subsidia, una cum multis aliis beneficiis, misericorditer tribuisti. Quaeso te, Domine Deus, ut inchoata haec dona tua in me perficias, et omnes cogitationes, locutiones et actiones meas ad tuam voluntatem dirigas. Te precor, ut inter adversa et prospera gradientem me semper et ubique protegas, tandemque me feliciter ad tuae visionis desideratissima gaudia perducas. Qui vivis." *Nicol. Salicet.*

---

[1] **Franc. Petrarcha, lib. Psalm. poenit.**

FERIA II.

Judex tuus erit Jesus, quem: 1) omnipotentem offendisti; 2) patientem et longanimem despexisti; 3) amantem et benefacientem aversatus es.

PRECES ANTE MISSAM.

Horresco totus, Domine Jesu! justissime Judex vivorum ac mortuorum! expavesco, dum attentiore mentis oculo terrificum justitiae tuae rigorem intueor. Quodsi praeterea viderem mirificum aeternae gloriae tuae splendorem, absque dubio cum Propheta (*Daniel. 10.*) emarcescerem, nec haberem quidquam virium, jacerem consternatus super faciem meam, et vultus meus adhaereret terrae. Contremisco, ignorans, utrum amore tuo vel odio dignus sim. *Si justus vix salvabitur* in die judicii, quid de me peccatore fiet? Et nunc quid agendum mihi tot scelerum reo? An iterum accedam ad tremenda mysteria tua, Domine? Qua fronte sordidus ego et miser homuncio conscendam altare tuum, sanctis stipatum Angelis? Miserere mei, benignissime Jesu! Esto mihi propitius et clemens. „Rogo te humillime, ut per merita passionis ac mortis tuae clementer respicias dolorem meum, quem de omnibus peccatis meis habeo; Deoque Patri teipsum, ceu hostiam gratissimam, pro me offeras, qua placatus ob amorem tui omnia mihi peccata condonet.“ *Blosius.*

„Domine! omnia tua sunt, quae in coelo sunt et in terra. Desidero meipsum tibi in spontaneam oblationem offerre et tuus perpetuo permanere. Domine! in simplicitate cordis mei offero meipsum tibi hodie servum

sempiternum, in obsequium et in sacrificium laudis perpetuae. Suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi corporis, quam tibi hodie in praesentia Angelorum invisibiliter assistentium offero; ut sit pro me et pro cuncto populo tuo in salutem." *Imit. C. l. 4. c. 9.*

„Quanta cordis contritione et reverentia, quanta corporis castitate et animae puritate hoc divinum et coeleste mysterium est celebrandum, o Domine Jesu, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur; ubi summis ima, humanis divina junguntur, ubi adest tuorum praesentia Angelorum, ubi tu es sacerdos et sacrificium mirabiliter et ineffabiliter. Quis digne mysterium hoc celebrare potest, nisi tu Deus feceris dignum?" *S. Ambros.*

„Domine Jesu Christe! corde vulneratus ego sum; vinctus sum amore tui. Carne tua implear, quaeso. Vivifico deificoque cruore tuo saturer. Bonis perfruar tuis. Deitate tua delicier: ut dignus efficiar, qui tibi aliquando cum gloria venturo obvius pergam, in aërem raptus in nubibus cum omnibus electis tuis, ut te laudem adoremque et clarificem cum tuo Patre et sanctissimo vitae auctore Spiritu, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen" [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Majestatem tuam infinitam pronus adoro, Domine Jesu, tibique nunc in corde meo praesenti debitum latriae cultum tribuo. Coram coelo et terra profiteor, te supremum esse Judicem vivorum ac mortuorum. Eccur autem ad tantae Majestatis praesentiam non expaveo,

[1] S. Joan. Damascen.

nec lacrymis diffluo? Quare lingua mea non titubat, vox non haesitat, cor non palpitat? — Malefactor ego manducavi Judicem meum, et durus est animus meus! O Jesu clementissime! peto veniam audaciae meae. Magna defixus admiratione, prostratus humi, complector arctissime pedes tuos, enixe rogans, ut ignoscas mihi temeritatem meam, qua miser ego peccator accessi divinam mensam tuam et accepi tremenda mysteria tua.

In illo die judicii tui, Domine Jesu, quam mirabilis erit gloria tua! quanta majestas! — Nobis aliquando similis esse voluisti, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus: tunc autem in novissimo die, quo venturus es in gloria Dei Patris tui, Domine, quis similis erit tibi? — Propter nos aliquando sicut ovis ad occisionem ductus obmutuisti, nec aperuisti os tuum: tunc autem, ubi venies cum Angelis tuis, positos videns inimicos tuos scabellum pedum tuorum; tunc aperies os tuum, et non silebis. Tunc ad regnum coeleste peramanter advocabis justos; et ignis in conspectu tuo exardescet adversus impios.

Domine Jesu, suprême Judex hominum! inter duas sortes illas, vitae ac mortis, gratiae ac irae, salutis ac perditionis, ego peccator ubi parebo? — Metu et expectatione suspensus haereo, cum incertum mihi sit, an beata vel ignita me maneat aeternitas. Omnem spem meam in te defigo, bone Jesu, qui non vis mortem peccatoris. Da mihi, quaeso, verae poenitentiae gratiam, ut diu noctuque flagitia mea lugeam, quo citius illorum remissionem obtineam. Te vehementer obsecro, ne delicta mea punienda reserves ad saeculum futurum. Castiga me nunc in hac vita, dummodo mihi parcas in altera. Ecce, in manu tua sum, Amor mi! paratissimus ad paternam castigationem tuam.

O Judex tremendae majestatis! fac me meosque omnes formidabilem diem illum assidue recogitare, quo omnium saeculorum mortui reviviscent, extremam vitae vel mortis sententiam audituri. Da, ut, antequam e vita discedamus, suppliciis voluntariis peccata nostra expiemus et dignas nunc culpis nostris poenas suscipiamus, ne tunc in die judicii repellamur ad sinistram tuam. „Domine, tuae vocis imperio nos ad te convoca; ut, qui pretioso tuo corpore et sanguine persaepe nunc vescimur, tunc suaviter a mortuis surgamus, cum judicium peracturus adveneris; ut nos universi praeclarissimas beatorum sedes tecum ingrediamur. Qui vivis." *S. Ephr.*

FERIA III.

Ut merearis videre Christum transfiguratum, debes imitari: 1) Petri fidem et poenitentiam; 3) Jacobi in orando fervorem et zelum apostolicum; 3) Joannis puritatem et caritatem.

PRECES ANTE MISSAM.

Accessurus altare tuum, Domine Jesu Christe, Rex aeternae gloriae, totus expavesco, dum attente considero micantem Majestatis tuae magnificentiam. Videntes eam in monte tres Apostoli *timuerunt.* Timeo et ego propius adire te, Deum-Hominem, excelsum prae regibus terrae. Peccata mea, quibus vestem candidam in baptismo acceptam contaminavi, nota sunt tibi, Jesu omniscie! Da (precor) oculis meis fontem lacrymarum ad eluendas animae meae maculas. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me; ut totus

purus et super nivem dealbatus offeram missae sacrificium. Dum olim in flamma ignis de medio rubi loquebaris, o Deus meus! *abscondit Moyses faciem suam* (Exod. 3.), *non enim audebat aspicere contra Deum.* O Jesu, Fili Dei carissime! mortalium nemo auderet accedere mensam tuam, nisi absconderes te sub candida panis specie. Quam bonus es Dominus! Sacramenti velamine contegis terrificam Majestatem tuam, quo minore metu suscipiamus te.

„Praecedebas quondam filios Israël in columna nubis. Quae est autem nubes, quae nunc praecedit veros Israëlitas tuos, nisi sanctissimum corporis tui sacramentum, quod in altari sumimus? In hoc velatur nobis altitudo diei, immensitas tuae Majestatis, cujus splendorem humana infirmitas sustinere non posset, nisi nubes interposita fulgorem temperaret et tutam monstraret viam. Hanc nubem totus fidelium tuorum exercitus sequitur, Rex Sabaoth! De hac nube relucet semita, quae ducit ad vitam, semita humilitatis et patientiae, semita mansuetudinis et misericordiae. Relucet nobis ex hac luce gloria Legis et Prophetarum, quoniam Moyses et Elias tecum apparuerunt in monte; sed nubes lucida obumbravit eos. Verumtamen illis velut amicis et domesticis sacramenti tui nubes erat praelucida, quae nobis adhuc subobscura est“ [1].

Domine Jesu! per hujus sacrificii merita rogo te sacerdos ego indignus, ut, sicut tres illos discipulos duxisti *in montem excelsum*, ita et animos nostros a rebus infimis abstrahas et erigas ad superna. Adjuva me meosque omnes, ut ex mandato Patris tui audiamus te, non item mundum fallacem, non diabolum,

[1] Anonymus inter opp. s. Bernard.

nec carnem legi mentis adversantem. A vitiorum sordibus, quibus innocentiae stolam maculavimus, quotidie magis expurga nos, instar vestium, quae candificari non possunt nisi *per ignem et aquam.* Da nobis patientiam inter quotidianas afflictiones et invidorum persecutiones; ut, postquam transierimus *per ignem et aquam*, educi mereamur in refrigerium aeternitatis beatae. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Jacens ad pedes tuos, Domine Jesu, adoro te corde submississimo. Te laudo et magnifico, Redemtor mundi, qui Petrum, Jacobum et Joannem tecum in montem duxisti, ac coram eis ideo transfiguratus es, ut eisdem postmodum in horto nullam praeberes offensionem agonia tua. Gratias ago tibi, carissime Fili Dei, pro hac bonitate tua, qua mihi sacrosanctum corpus et sanguinem tuum dedisti in cibum et potum. Praesertim habeo tibi grates, Domine, pro stupenda caritate tua, qua sub exiguis panis et vini speciebus abscondisti mirandum Majestatis tuae splendorem, quo fidentius ad tremenda haec mysteria possimus appropiare. Quam ingeniosus est amor tuus, o bone Jesu! — Accende nunc cor meum inextinguibili caritatis igne, ut magis magisque peccatum horream et virtutem diligam.

Hic in monte vox de nube venit, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* Da igitur, Unigenite Patris, supreme Legislator, ut docili corde audiam te tuamque Ecclesiam, non item haereticorum nugas; ut tuas accipiam doctrinas, non seductorum vaniloquia. Fac, novae legis Doctor, ut exacte sequar praecepta et exempla tua, non modernos saeculi mores, nec

effrenatam impiorum petulantiam. O Verbum Patris! Sapientia increata! ducito me ad Jerusalem coelestem et multorum millium Angelorum frequentiam. Petrus in illo monte dicebat: ***Domine, bonum est nos hic esse.*** Quantum itaque gaudebo in coelesti patria, ubi adimplebis me laetitia cum vultu tuo? —

„O dulcissime et amantissime Domine Jesu! quam beatus ille, qui jucundissimam et amabilissimam faciem tuam semper contemplabitur in coelis! O divina facies, quae mille soles omnesque illorum radios longe superat! o facies infinite excedens omne, quod pulchrum dici vel optari vel cogitari potest; quia omne amabile, omne delectabile, omne decorum et optabile supra modum in te reperitur. Eja ergo amabilissime Redemtor! ablue maculas animae meae pretioso tuo sanguine, ut aliquando hinc emigratura tota pura, tota munda et digna coram te compareat ad videndam divinam faciem tuam et ad laudandum et amandum te cum omnibus sanctis tuis in omnem aeternitatem. Amen.“ ***Blosius.***

FERIA IV.

In resurrectione nostra ostendit Deus suam: 1) potentiam (corpora restituendo, vivificando, glorificando); 2) justitiam (etiam corporibus tribuendo portionem mercedis vel poenae, secundum modum et mensuram meriti vel culpae); 3) bonitatem (communicando divitias suae gloriae).

PRECES ANTE MISSAM.

Bonitate tua investigabili, Pater coelestis, usque adeo commotus es, ut ipsum traderes Unigenitum tuum ad

liberandos servos. Deus factus est homo, ut dira morte sua nos homines perditos a morte sempiterna vindicaret. Vere benignus hominum amator est Filius tuus, Dominus noster Jesus Christus, cujus amori ardentissimo satis non erat, ut ad nos inclinaret se homoque nasceretur ex Virgine, nisi etiam post innumeros labores exantlatos subiret crucis supplicium. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Ipse verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi; qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Miramur, amantissime Pater, infinitam misericordiam tuam, qua nos sic ab interitu liberasti. Dilectus Filius tuus, *ut repropitiaret delicta populi*, humanam induit naturam, eamque gloriosae resurrectionis et immortalitatis stola exornatam evexit super omnes Angelorum choros et collocavit ad dexteram tuam.

Ideo bonae spei plurimum habemus, Pater aeterne! quoniam in Christo Jesu nostrae quŏque carnis et sanguinis portio est. Ubi jam regnat portio nostra, ibi et nos aliquando futuros speramus: ubi caro nostra glorificatur, ibi et nos gloriosos fore confidimus. Et quamvis saepius ab officio nostro discedamus, de hac tamen obtinenda gratia minime desperamus. Non enim adeo durus et inclemens es Pater, ut obliviscaris naturae humanae, quam nostra causa suscepit atque perpetuo gestabit Unigenitus tuus. In eo diligit nos caro nostra. Verbum tuum caro factum nostrum est caput; ossa habet ex ossibus nostris, carnem de carne nostra. Et *nemo unquam* (Ephes. 5.) *carnem suam odio habuit*, sed nutrit, fovet et diligit eam. *Sacramentum hoc magnum est*, quod nobis non solum admirationi, sed etiam maximae consolationi est. —

Quapropter omni cum fiducia nunc accedimus aram tuam, clementissime Pater, oblaturi Deum-Hominem, qui resurrexit a mortuis, gloriosae resurrectionis nostrae sponsor factus. Suscipe munus istud pretiosum in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis; et per infinita merita passionis Unigeniti tui dimitte nobis peccata nostra, quibus in dies offendimus te. Simulque tuam nobis elargire gratiam, ut ubique patientiam retineamus, si vel aerumnis affligamur, vel a saeculo nequam contemnamur. Da, ut post vitae nostrae exitum immaculati coram te compareamus et ad gloriosam aliquando resurrectionem pervenire mereamur. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Stupore ingenti nunc opprimitur animus meus, o Jesu dulcissime, dum mecum ipso seria mente perpendo caritatem tuam, qua mihi nefario peccatori teipsum hodie denuo dedisti manducandum. Ad divinam mensam tuam eodem me nutrivisti corpore tuo sacratissimo, quod natum est de Virgine, quod pependit in cruce, quod resurrexit a mortuis, quod ascendit in coelum, quod sedet ad dexteram Patris. Adoro atque glorifico te, Fili Dei, Verbum caro factum, tibique maximas ago gratias pro liberalitate tua, qua divinum mihi largitus es epulum tamquam sacrosanctum pignus gloriosae resurrectionis meae.

„Adoro, laudo et glorifico te, Domine Jesu Christe! benedico, et gratias ago tibi pro effusione pretiosissimi sanguinis tui, qui largiter e vulneribus tuis effluxit; pro cruciatibus illis, quos amore mei pertulisti, quando transfixus manibus ac pedibus in ligno crucis pendebas; pro tua bonitate ac misericordia, qua venerandum caput tuum inclinans pro me mori dignatus es. Include me,

bone Jesu, sacris vulneribus tuis et praesta, ut ex eis ardentem tui amorem aeternamque salutem hauriam. Scribe vulnera tua in corde meo, quatenus in me dilectionis ardor accendatur. Sit mihi certum in vulneribus tuis refugium atque protectio secura." *Blosi.*

„O Jesu suavissime! Dei Patris Unigenite! gestit anima mea, exultat spiritus meus prae gaudio, dum mecum recogito, nec derelictam esse animam tuam in inferno, nec corpus sanctum tuum vidisse corruptionem in sepulchro. Quemadmodum inimicorum tuorum potestas praevenire vel anticipare non potuit tempus mortis tuae, nec tibi nocere quidquam valuit illorum saevitia, donec advenisset hora et potestas tenebrarum, quae a Patre fuerat deputata passioni tuae: ita resurrectionem tuam neque prohibere, neque remorari ullo modo poterant Judaei, cum advenisset hora a Patre resurrectioni tuae designata, qua adveniente (volentibus nolentibus hostibus tuis) surrexisti de sepulchro, et ad vitam potenter rediisti. Utrumque nostrae saluti necessarium fuit, ut nempe pro expiandis nostris delictis fieres hostia mortis, et pro vita nobis conferenda fieres auctor resurrectionis." *Titlman.*

Utinam mihi semper ob oculos versetur extremus ille dies, quo genus humanum ad vitam revocabitur. Terribilis erit dies ille, quo universi homines, *qui dormiunt in terrae pulvere, evigilabunt* (Dan. 12.) *alii in vitam aeternam, et alii in opprobrium, ut videant semper.* Spero, Domine Jesu, quod in novissimo die de terra surrecturus sim gloriose, quoniam tu es spes mea. Et (quod imprimis oblectat me) *reposita est haec spes mea in sinu meo.* Amplector te ulnis animae meae, o Spes mea unica, o Sponsor resurrectionis meae beatae! Teneo te, nec dimitto. Da mihi

quaeso, patientiae donum, ut secundum exemplar tuum in terris omnia dura patienter feram, et denique pertingam ad gloriosam carnis resurrectionem et vitam aeternam. Amen.

FERIA V.

Ad conservandam castitatem: 1) ora, cole B. V. etc.; 2) diffide tibi ipsi, vigila, fuge occasiones; 3) custodi sensus, mortifica te; 4) in tentationibus, ubi non potes fugere, primos motus reprime, Deum repraesenta, aeternitatem cogita.

PRECES ANTE MISSAM.

Laudamus et adoramus te, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui justo judicio Luciferum elatum ac complices ejus Angelos e coelo projectos in infernum detrusisti, eosque omni venustate ita privasti, ut ex Angelis pulcherrimis evaserint impuri spiritus. Minime latet te, bone Deus, quanta illi invidia, quanto furore ardeant in nos homines. Atque hinc est, quod immundi hi spiritus aeternum nobis exitium machinentur, ne gloriosas in coelo sedes illas obtineamus, e quibus ipsi propter superbiam ejecti sunt. Tot inter adversariorum insidias quo confugiamus, aut ubi quaeramus auxilium, nisi apud te, Pater omnipotens? Tu solus es fortitudo pugnantium et salus periclitantium. Per hujus sacrificii merita largire nobis opem necessariam, ut adversus inimicorum nostrorum incursiones ad ultimum usque vitae halitum animose decertemus. Auge in nobis fidem, ne seducamur aut corumpamur impiorum vaniloquiis, sed ut in coepto pietatis studio magnos quotidie progressus facia-

mus. Effunde super nos misericordiae tuae divitias, et tribue nobis omnibus ac singulis sanctam tuam benedictionem. Memento etc.

Ad Christum. „O dulcissime atque amantissime Domine, quem nunc devote desidero suscipere: tu scis infirmitatem meam et necessitatem, quam patior; in quantis malis et vitiis jaceo; quam saepe sum gravatus, tentatus, turbatus et inquinatus. Pro remedio ad te venio; pro consolatione et levamine te deprecor. Ad omnia scientem loquor, cui manifesta sunt omnia interiora mea, et qui solus potes me perfecte consolari et adjuvare. Tu scis, quibus bonis indigeo prae omnibus, et quam pauper sum in virtutibus. Ecce, sto ante te pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans. Refice esurientem mendicum tuum. Accende frigiditatem meam igne amoris tui. Illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia et contraria in patientiam, omnia infima et creata in contemtum et oblivionem. Erige cor meum ad te in coelum; et ne dimittas me vagari super terram. Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in saeculum, quia tu solus cibus et potus meus, amor meus et gaudium meum, dulcedo mea et unicum Bonum meum“ [1]. *Miserere mei Deus etc.*

PRECES POST MISSAM.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine Jesu Christe! Degusto nunc illius plurimum. Sentio jamjam ex immensa bonitate tua, quam suavis sis Dominus.

[1] Imit. C. l. IV. c. 16.

Immutabilem tuam in me caritatem mente non capio. In nulla necessitate reliquisti me. Etiamnum mihi commode succurris in omni periculo et tribulatione. Conflictantem me cum adversariis ope tua confortas, o Domitor impurorum spirituum! Esurientem animam meam divino quotidie pascis epulo. — Vere magna meraque sunt haec beneficia, quae nuspiam merui. Grates tibi, Jesu liberalissime, pro muneribus istis, quibus in dies me cumulas. Utinam hactenus tibi debitam exhibuissem servitutem! Ignosce servo tuo poenitenti, Domine misericors! Confiteor ignaviam meam. Raro me recepi ad interiora parumque adhibui diligentiae, ut tibi decorum in corde meo pararem hospitium, in quo saepius et diutius requiesceres. Parce mihi, Jesu benignissime, quod pristinum animi ardorem in me refrigescere passus sim.

Valde me terret illa comminatio tua, Domine, qua discipulos tuos aliquando territabas, dicens: *O generatio incredula! quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?* — Ah! ne derelinquas me, bone Jesu, sed eo fortius trahe me post te, quo diutius in tepore jacui. Et dum magna ex parte jam abiit tempus vitae meae, fac, ut duplicato labore tempus amissum recuperare contendam; neque mortis hora me prius occupet, quam illum attigerim sanctimoniae gradum, ad quem me vocasti. Quia vero spiritus immundus id unum machinatur, ut a melioris vitae proposito me abducat: da, Domitor impurorum spirituum, ut oratione et jejunio, velut armis salutaribus, utar ad expugnandum humani generis hostem. Indue me spiritalem armaturam, ut stare possim in die malo adversus spiritum aequam. Illumina mentis meae oculos, quo facilius ejusdem insidias detegam et effugiam.

„Miserere mei, Domine amantissime! Deus misericordiae! libera me a fallaciis immundi adversarii, qui crebro coarctat animam meam impuris cogitationibus. Inexplicabilis est potentia tua, Jesu Christe! Increpa igitur illum ac procul abige a me servo tuo. Quotidie renovat ipse contra me insidias suas et conatur abalienare me a te tuisque praeceptis. Domine multae misericordiae! confestim et procul amanda a me draconem hunc magnum cum omnibus impuris sordidisque cogitationibus ejus, ut pure benedicam et glorificem te cum Patre tuo sanctissimo et optimo et cum vivificante tuo Spiritu, nunc et in saecula saeculorum. Amen.“ *S. Ephr.*

FERIA VI.

Amor Christi erga nos in opere redemtionis: 1) Redemit homines, non Angelos lapsos; 2) redemit per se ipsum, non per alium; 3) redemit per passiones innumeras et mortem cruentam, non per solum actum voluntatis.

PRECES ANTE MISSAM.

„Ecce, coelestis Pater! recolens ego mortem Unigeniti tui, Domini nostri Jesu Christi, offero tibi hanc hostiam, quam ipse olim obtulit pro mea et totius mundi salute. Ecce, ad altare Majestatis tuae transmitto oblationem vivam, quam tu in miseratione multa misisti ad altare crucis pro nobis immolandam. Respice illam virgineam carnem, verberibus crudeliter flagellatam, colaphis et alapis caesam, livoribus tumidam, sputis maculatam, sanguine cruentatam, spinis perforatam,

clavis confixam, lancea vulneratam. Illa igitur misericordia, quae Filium tuum eo traxit, ut in statera crucis totius mundi peccata libraret; ipsa te cogat, Pater, misereri nobis miseris. Respice (obsecro) non nostra peccata, sed respice in faciem Christi tui. Non enim in justificationibus nostris preces nostras prosternimus, sed in multitudine miserationum tuarum." *S. Bonavent.*

Per merita Unigeniti tui, qui pro servis redimendis se tradidit in manus inimicorum, concede nobis, amantissime Pater, veniam delictorum nostrorum; tuamque largire gratiam, ut nos singuli, Salvatoris nostri patientis exemplo animati, crucem nostram acceptemus, crucem diligamus, et ad mortem usque libenter in cruce haereamus. Memento NN.

Ad Christum. „Domine Jesu Christe! dilectus discipulus tuus Joannes docet nos, quod in finem usque dilexeris tuos, eousque, ut te sacrificares omnibus modis, quoscunque tibi sapientia et caritas suggerere poterant. Odium Judaeorum nimis tardo gradu tibi videbatur incedere. Illud igitur amor tuus praevertebat, et tu temetipsum in medio Apostolorum tuorum propriisque manibus tuis in ultima coena sacrificabas eo modo, qui nondum cruentus erat. Dein exspectabas, donec ingrati Judaei sacrificarent te per crudelissimum omnium suppliciorum. Neque contentus eras illo sacrificio tam reali quam mystico, sed etiam idipsum in Ecclesia tua constituisti, ut offerretur usque in finem saeculorum. Instituisti sacerdotium perpetuum atque divinum, ordinem sacerdotum, quos eodem exornasti jure, quod habes in sanctissimum corpus tuum; ut illos faceres praesentes altari tuo, ut per ipsos offerres te Patri tuo, eosque propria tua carne cibares. O Salvator mundi! maxima dona largitus es Ecclesiae tuae: sacerdotium

nempe, quod complectitur postestatem tuam; et sacrificium incruentum, quod continet pretium salutis nostrae, ceu germen vitae aeternae" [1].

Obsecro te, Jesu dulcissime! tribue mihi gratiam efficacem, ut intime commotus illa caritate tua, qua voluisti pro nobis in cruce offerri, reverenter accedam altare tuum, ibique decenter offeram te Patri tuo. Da mihi talem animi compunctionem talemque caritatis ardorem, ut pretiosa munera tua recipiam ad animae meae salutem, atque necessarias inde vires hauriam ad omnia dura generose ferenda pro nominis tui gloria. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Nunquam mirari satis valeo misericordiam tuam, Domine Jesu, quam mihi sacerdotum tuorum ultimo praestitisti. Ut ab aeterna morte liberares animam meam, teipsum in manus hostium tradidisti et in ara crucis obtulisti Patri tuo in redemtionis pretium. Ut autem me quotidie nutrires alimonia vitae aeternae, provexisti me ad amplissimam sacerdotii dignitatem, dedisti mihi potestatem in sacrosanctum corpus tuum, et teipsum totum mihi tribuisti jam multoties in cibum et potum. Quid tibi retribuam ego pauper et inops servus tuus? Ecce, provolutus ad pedes tuos offero tibi meipsum ad beneplacitum tuum. Supplex adoro, laudo et glorifico te.

„Gratias ago tibi, Domine Jesu, pro universis miserationibus atque beneficiis tuis. Gratias ago tibi, Deus altissime, qui propter nimiam caritatem, qua dilexisti me, dignatus es homo fieri. Voluisti pro me paupertatis

[1] Auctor recens et anonymus.

incommoda tolerare et innumeris laboribus aerumnisque fatigari. Voluisti prae angustiis sudore sanguineo perfundi, ignominiose comprehendi, indigne tractari, injuste damnari, sputis foedari, colaphis caedi, veste ridicula indui et illudi. Pro me voluisti flagris crudelissime conscindi, spinis dire coronari, clavis atrocissime cruci affigi, felle et aceto inhumaniter potari. Nudus, contemtus, vulneratus et immensis doloribus afflictus, pro me pependisti in cruce; pro me fudisti sanguinem tuum; pro me mortuus es.“ *Blosi.*

Felicem me puto, Jesu crucifixe, si participem me facias amarissimae passionis tuae. Haud exiguum mihi lucrum est, pati pro te et tui amore mori. Scio, Domine, quod non sint condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Fac itaque de me, bone Jesu, quod bonum est in oculis tuis. Paratus sum et non sum turbatus, ut bibam passionis calicem, quem tu prior amore mei bibisti. Sed, quia spiritus quidem promtus est, caro autem infirma: te precor, ut tu sis fortitudo mea in omnibus angustiis et difficultatibus. Tu solus infirmitati meae mederi vales, o Verbum omnipotens! Pro infinita bonitate tua concede mihi, Salvator, ut, quod pro totius humani generis salute ac redemtione impendisti, meae pariter inserviat saluti; sicque sacrosancti corporis et sanguinis tui virtute purus a delictorum sordibus et ab omni periculo liber et tutus efficiar. Ideo traditus es in necem et in cruce sacrificatus, ut illo corporis et sanguinis tui sacrificio toti terrarum orbi praestares satisfactionem pro peccatis et liberationem a periculis. Da mihi, precor, ut, hoc coelesti epulo recreatus, in fortitudine cibi hujus indefesso fervore semitam mandatorum tuorum, angustam crucis viam, ad exitum usque percurram. Prae-

veniat me gratia tua, ut tibi fideliter adhaeream in hoc saeculo; subsequatur me misericordia tua, ut intime tibi jungar in altero. Desidero, semper esse tecum, in tempore ac aeternitate. Amen.

SABBATO.

Omnipotentia Dei excitet tuam: 1) reverentiam et admirationem; 2) timorem; 3) fiduciam (cur? — quando et quomodo hos affectus excitabis?)

PRECES ANTE MISSAM.

Machinator et Rector istius universi, Pater omnipotens! laudamus te, qui coelum et terram ex nihilo formasti. Miramur opera digitorum tuorum, solem, lunam et stellas, quae tu fundasti. Adoramus te, potentissime rerum omnium Artifex, qui tot bestias terrae, pecora campi, volucres coeli et pisces maris procreasti. Omnia, quaecunque voluisti, nullo negotio, nutu solo fecisti in coelo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Quidquid deinceps efficere volueris: tantum verbulo nutuve opus est, et fit absque mora, quidquid jusseris. Agnoscimus utique, Deus omnipotens, infinitum Majestati tuae cultum et honorem deberi. Sed agnoscimus simul ac confitemur, infinitum hunc cultum a nulla mera creatura tibi posse praestari. Ne tamen nostro desimus officio, humiliter offerimus tibi sacrificium, ab unigenito Filio tuo institutum.

Immolamus tibi, Pater aeterne, praestantissimum istud holocaustum in contestationem supremi tui dominatus in universas creaturas; nec non in gratiarum

actionem pro beneficiis, quae de immensa largitate tua hactenus in nos profecta sunt. Suscipe hanc hostiam in satisfactionem delictorum nostrorum; et per infinita illius merita succurre nobis in bonitate tua, ne pereamus in malitia nostra. Supplicamus tibi, bone Pater, ut infirmos nos homines in via recta dirigas, et opera manuum tuarum ne despicias. Eadem illa caritas tua, quae fuit in hominibus creandis, etiam maneat in creatis. Clementer respice, Pater, imagines tuas misere lapsas, quas Unigenitus tuus sanguine proprio lavit ac reparavit.

„Omnipotens aeterne Deus! Rex omnium regum, qui ipse saecularem magistratum instituisti, eique gladium ad supplicium malefactorum et ad innocentium defensionem commisisti: te supplices oramus, ut omnes principes et rectores saeculares in vias tuas dirigere digneris, ut in pacata gubernatione perseverent, bella ac seditiones a nobis avertant, et omnia ad communem tranquillitatem et justitiam conducentia inquirant. Largire ipsis divinam tuam benedictionem. Redde ac conserva eos in bono stabiles, in adversitate hilares, in sollicitudine circumspectos, in tentatione victores, in prosperitate constantes, et denique in negotiis omnibus prudentes, fortes et felices: ut eorum administratio cedat in reipublicae pacem et tranquillitatem, in defensionem totius religionis christianae, praecipue vero ad sanctissimi nominis tui honorem et gloriam“ [1].

„Memento etiam, Domine Deus, piorum regum nostrorum. Apprehende arma et scutum et exurge in auxilium eorum. Subjice illis hostes omnes et adversarios, ut tranquillam vitam agamus in omni humilitate:

[1] Petr. Canisi.

quia tu salutis refugium et potestas auxiliatrix victoriaeque dispensator erga omnes, qui te invocant et sperant in te" [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Potentissime Fili Dei! Fili David! Rex regum et Domine dominantium, qui per inauditum aliquando miraculum didrachma solvisti: suppliciter adoro te Deum Salvatorem meum. Veneror et demiror inenarrabilem magnitudinem et excellentiam tuam. Magis autem admiror ineffabilem beneficentiam ac caritatem tuam, qua sanctissimum eucharistiae sacramentum instituisti. Omnium vero maxime demiror inexhaustam misericordiam tuam, qua me ad altaris tui ministerium assumsisti, mihique toties teipsum (non sine magno miraculo) comedendum dedisti. Talium admiratione prodigiorum attonitus haereo, et quid ultra dicam, nescio. Domine Jesu! Tantam exhibere tibi cupio venerationem, quantam tibi ab omnibus creaturis exhiberi posse nosti. Laudent te omnes Angeli et sancti tui; magnificent te omnes filii hominum; collaudent te omnes bestiae terrae, omnes volucres coeli et pisces maris, qui perambulant semitas maris. Sed laetor inde, quod Dominus adeo magnus es et laudabilis nimis, ut omnium vires creaturarum in coelo et in terra minime sufficiant ad condigne glorificandum te.

Jesu omnipotens, qui plurima quondam miracula patrasti: da mihi, quaeso, spem atque fiduciam talem, quae me ad servitium tuum exstimulet. Dilectissime

---

[1] Ex Liturgia s. Jacobi Ap.

Jesu, qui tantae fuisti paupertatis, ut, unde tributa solveres, non habueris; qui per miraculum ex ore piscis solvisti, quod ex arca domestica solvere non potuisti: da mihi talem paupertatis amorem, ut, paucis contentus, superflua tribuam egentibus. Et quoniam in illo facto praeclarum obedientiae specimen nobis reliquisti: da mihi humilem obedientiae spiritum, ut exacte libenterque superiorum voluntati morem geram, nec unquam ab officio meo discedam. Fac, ut omnes ubique subditi legitimis suis magistratibus debitam praestent obedientiam, neque tributa conferre abnuant. Mitiga factiosorum animos hominum, qui seditiosa coquunt consilia turbasque movere nituntur. Praesta, Omnipotens, ut tota Ecclesia tranquillitate fruatur optatissima. Amen.

DOMINICA XV. POST PENTEC.

Luget s. mater Ecclesia de sacerdote malo, qui: 1) pios contristat; 2) infirmos scandalizat; 3) peccatores securos facit iisque praebet excusationem; 4) hostes Ecclesiae laetificat et multiplicat.

PRECES ANTE MISSAM.

Deus omnipotens, Pater misericordiarum, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat: ecce prostratum me hic ad thronum gratiae tuae. Intimo animi dolore fateor, me aliosque mei similes infirmos homines, vitiorum contagione depravatos, a jucunda gratiae vita corruisse in nefandam peccati mortem, quam pia mater Ecclesia non raro deflebat. Im-

mensae misericordiae tuae in acceptis referimus, tibique debitas habemus grates, quod animabus nostris vitam reddideris optatissimam. Et in gratiarum actionem pro tantis beneficiis offerimus tibi hodie sacrificium eucharisticum, enixe precantes, ut illud clementer acceptare digneris. Cum insuper eadem hostia sit propitiatoria pro peccatis nostris, offerimus eam divinae Majestati tuae in plenam expiationem scelerum nostrorum et in satisfactionem illius incuriae, qua tamdiu jacuimus in morte peccati vel loculo tepeditatis.

Et quoniam per hujus virtutem oblationis omne bonum impetrare possumus a te, dulcissime Pater, obsecramus infinitam bonitatem tuam, ut e loculo teporis ita nos surgere facias, ut deinceps in eundem non recidamus animi languorem, nec ultra negotiis nostris indormiamus. O Deus miserationum, qui non delectaris in perditione morientium, sed, ut mortui reviviscerent, dilectum Filium tuum in ligno crucis exspirare voluisti: consolare piam matrem Ecclesiam, quae nunc amarissime defiet infelicem sortem mortemque tot filiorum suorum, qui, omni abjecta salutis cura, non tantum aeternae mortis periculum adeunt, sed etiam matri suae flenti petulanter illudunt eamque crudeliter affligunt. Da matri huic alios filios morigeros pro his infelicibus filiis, qui sponte deseruerunt illam et ultro perdiderunt gratiae vitam. Reducito peccatores ad frugem, ad poenitentiam, ad vitam; eosque redivivos restitue piissimae matri, quae filiorum suorum aeternam beatitudinem omnibus votis exoptat.

Deus, ad cujus imperium mortui resurgunt, nos (quaesumus) nova vita donatos, ad piae matris Ecclesiae consolationem, aeternae vitae participes efficere digneris: ut, quae de suorum cor

tristatur spiritali morte filiorum, de eorum ad gratiam resurrectione laetetur [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Ad pedes tuos provolutus adoro te, suavissime Jesu, vitae mortisque Arbiter! Indubia fide credo, te Deum-Hominem in eucharistia realiter esse praesentem. O stupendum mysterium! Jesus in pectore meo! — Sanctus sanctorum in corde sordido! — *Propheta magnus* in parvo domicilio! — Deus immortalis in sinu hominis mortalis! — Si tuam in me benevolentiam expendo, Jesu dulcissime, summo stupore defigor atque silentio. — Ex ineffabili misericordia me semel ac iterum ad vitam gratiae revocasti. Alios peccatores innumeros ad mortem aeternam justo judicio condemnasti: mihi autem non solum pepercisti atque salutis subsidia large suppeditasti, sed insuper ipsissimam carnem tuam vivificam mihi dedisti manducandam.

Grato animo, Domine, recordor illius temporis, quo me negligentem atque peccantem (sicut illum defunctum adolescentem) ultro accessisti, ac cor meum tetigisti, clamans: *Surge! surge!* Gratia tua vicit animi mei duritiem, quae tacitis augescebat incrementis. Nisi tu accedens adjuvisses me, jam pridem habitaret apud inferos anima mea. Saepe vicinus eram morti corporis et animae. Nunc agnosco et malitiam meam et bonitatem tuam. Dilectio et patientia tua aeque mirabilis est, ac ingratitudo mea. Utinam assiduis lacrymis deflere possem iniquitates meas! —

---

[1] Missal. Bellovac.

„Domine Jesu Christe! Deus Salvator meus! concede mihi indigno famulo tuo compunctionem cordis, ut effundam cum dulcedine lacrymas in oratione pura, ut deleas chirographum iniquitatum mearum paucis lacrymis meis, ut extinguas mihi ob exiguum ploratum ignem aeternum. Si enim concesseris mihi, Domine, ut hic lugeam, ab igne ibi inextinguibili liberabis me. Et scio quidem, o longanimis Jesu, benigne Domine! scio, a me per singulos dies te exacerbari et provocari ad iracundiam: at longanimitas tua superat omnem nequitiam ingratitudinis meae. Si enim mater spreta a proprio filio ipsum despicere non potest, a propriis visceribus victa: quanto magis benignitas tua, Domine, ab infinitis tuis commota miserationibus, vincere potest malitiam meam!“ *S. Ephr.*

Jesu dilectissime, qui morte tua mihi vitam gratiae, *vitam aeternam* acquisivisti: fac me deinceps tibi soli vivere. Vitam equidem a matre mihi datam cum morte commutabo, reversurus in terrae pulverem: sed a te longe meliorem obtinebo vitam, videlicet immortalem in coelis. Posthac itaque totus tuus esse desidero. Tibi, Domine, vitam meam consecro, paratus pro gloria tua et animarum salute certare ac laborare, et eo quidem acrius, quo diutius in loculo desidiae jacueram. Porro, quandocunque me volueris ex hac vita evocare, nihil repugno, sed demisso animo totum me trado tibi, Domine, qui vitae pariter ac mortis potestatem habes. Cupio placere tibi, sive per vitam, sive per mortem, ut dicere valeam cum Apostolo tuo: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Amen.

FERIA II.

Ad parvulos diligenter catechizandos impellat te: 1) Amor Christi erga parvulos; 2) exemplum bonorum sacerdotum; 3) utilitas redundans, si feceris — damnum, si neglexeris; 4) merces tibi promissa.

PRECES ANTE MISSAM.

Fabricator mundi Deus, Pater omnipotens! tuus ego sacerdos omnium indignissimus volo nunc conficere atque suscipere sacramentum corporis et sanguinis Jesu Christi Filii tui. Grata mente offero tibi hoc sacrificium in debitam gratiarum actionem pro beneficiis, mihi et toti Ecclesiae tuae concessis; simulque in satisfactionem pro peccatis meis et alienis, praesertim in expiationem arrogantiae nostrae, qua ceteros infra nos despeximus et tuam in nos provocavimus iracundiam. Per hujus sacrificii virtutem obsecro te, sancte Pater, ut a nefario superbiae vitio nos liberare et in humilitate christiana fundare ac stabilire digneris. Omnes insuper intentiones, quas vel Unigenitus tuus sacramentum istud instituens, vel ullus sanctorum tuorum illud offerens sive accipiens sibi praefixerat, et quas ego praecipue juxta beneplacitum tuum habere possum et debeo, easdem habere cupio et in praesenti jam intendo ad honorem adorandi nominis tui. Memento NN.

Ad Christum. Suavissime Jesu, parvulorum amator humilium! mysteriis omnino stupendis catholica nos fides informat. Illa nocte, qua tradendus eras pro nobis sacrificandus in ara crucis, eucharistiae sacramentum instituisti. Ut perenne caritatis tuae memoriale

nobis relinqueres ac intimius te jungeres animabus nostris, abscondisti te sub speciebus panis et vini. Plane mirabilis est amor tuus, Domine, suavis, mitis et multum misericors! — Quid est homo, quod ita memor es ejus? aut filius hominis, quoniam ita visitas, ita nutris, ita magnificas eum? Pulvis, cinis, *vanitas* (Psal. 38.) *omnis homo vivens*, quin etiam multis repletus miseriis variisque laborans animi vitiis. Et dignum ducis, super hujuscemodi aperire oculos tuos, ad eum ingredi et mansionem apud eum facere? Vere bonus es Dominus et dives in omnes. O Jesu mitissime, qui discipulis tuis sinceram humilitatem commendaturus advocasti parvulum, eumque peramanter amplexatus es: me nunc ad altare progredientem redde parvulum humilitate, parvulum mansuetudine, parvulum innocentia morumque candore, ut etiam ego sacra percipiens mysteria similem experiar favorem, et dignus efficiar, qui dulcissimo complexu tuo recipiar, tenear, fovear. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Profundissima humilitate ac veneratione adoro te, Domine Jesu Christe, qui sordidam angustamque cordis mei domunculam intrare dignatus es. Ad talem visitationis tuae dignationem anima mea timorem abjicit, sperare ac respirare incipit, et incredibili perfusa gaudio, similiter atque sponsa tua, amore languens ait: *Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexatur me.* — Ubi sum? — O Deus cordis mei! quis dabit mihi, ut in hoc dulci complexu tuo moriar! — Domine! quid est homo, quoniam ita visitas ac complecteris eum? Vermis ego sum miserrimus, imo peccator inveteratus, plagis quam oculis tuis dignior. Spe

tamen et adverto, quod ames me, cum et ego jam incipiam ardentius amare te. Ita sane, diligo te jure merito, eoquod amatus sum a te sine ullo merito.

Jesu mitis et humilis corde! totum me trado tibi, qui teipsum mihi totum dedisti. Statutum est (testes mihi coelites sint): tibi soli, ut unico cordis mei dominatori, deinceps affixus haerebo. Nihil amplius juris in me competat huic mundo fallaci vel amori proprio. Exterminetur ex animo meo quaevis arrogantia vel ambitio. Coërceatur in me omnis iracundia, cohibeatur impatientia, frangatur omnis affectio prava, quo similior efficiar parvulis. Reclament licet ac obstrepant inimici mei domestici: fixum mihi tamen est, tibi servire cunctasque perrumpere difficultates obvias. Gloriam tuam defendere hominumque salutem curare, praecipuum mihi negotium erit. Vicisti enim, Amor mi! vicisti, amabilissime Jesu! victas amori tuo manus porrigo. Tu solus regnes atque triumphes in corde meo, nec ullus in eo locus sit vitiorum monstris.

Jesu humillime, qui olim Apostolos de primatu inter se disputantes et domum tuam ingressos interrogasti, dicens: *Quid in via tractabatis?* effice, precor, ut nunquam inter alios major esse cupiam, neque in via vitae meae clandestina tractem consilia de obtinendo ampliore honoris gradu. Scio, Domine, quam severum me judicium maneat, ubi migravero in domum aeternitatis meae. Obsecro te itaque, Judex aequissime! extingue in me desideria saecularia et nociva, quae mergunt hominem in interitum et perditionem. Repelle a me superbiae spiritum, quem odio habes; et da mihi veram animi demissionem atque modestiam, quae tibi summopere placet. Foras a saeculo projiciar, nihil moror; dummodo tu complectaris me sicut humilem

illam parvulum. Inter ulnas tuas, Domine, non timeo mundi vituperia, nec capto hominum encomia. Procul a me remove turbidos iracundiae motus, a parvulorum moribus abhorrentes. Tribue mihi singularem modestiam, ut instar illius parvuli humilis tibi placeam, et aliquando cum parvulis intrare merear in regnum coelorum. Amen.

FERIA III.

Sacerdos scandalosus est: 1) inimicus Dei, quem deberet honorare; 2) raptor animarum, quas deberet salvare; 3) crux Ecclesiae, quam deberet consolari.

PRECES ANTE MISSAM.

Humiliter adoro te, Domine Deus, Pater omnipotens, cujus faciem semper in coelis intuentur Angeli sancti, quorum plurimos ad nostram designasti custodiam. Sed quis ego, qui tecum audeo loqui? Si meam inspicio naturam, Angelis inferiorem agnosco me, sed non multo inferiorem: nam magnis dotibus ornasti hominem: ***Minuisti eum paulo minus ab Angelis.*** Ecclesia vero, quae me sacerdotio inauguravit, dicit tibi: ***Gloria et honore coronasti eum.*** Hoc certe cum Angelis commune habeo, ut, quemadmodum Angelis tuis mandasti de me, ut custodiant me, ita mihi sacerdoti tuo mandaveris de proximo meo, ut et verbo et exemplo perducam eum ad vitam aeternam. Sed quomodo satisfeci mandato huic? O misericordissime Pater! agnosco negligentiam et incuriam meam. Pro eo, ut aliis ad virtutem exemplo praelucerem, iisdem offensionem praebu

dignus, qui saxo ad collum alligato demergar in profundum maris. Et nunc aquae marinae loco bibam pretiosum Salvatoris mei sanguinem? Bibam utique, sed mixtum poenitentiae lacrymis. O si diu noctuque deflere possem omnes negligentias et iniquitates meas! Propono saltem in posterum ea vitare, quae proximis offendiculo esse possent. Juravi et statui, virtutum exemplo sarcire damna, per me forsan aliorum illata saluti. Nunc itaque fiducia plenus accedo altare tuum, in medio Angelorum oblaturus tibi hostiam sacram, quam ut benigne suscipias, obsecro, Pater aeterne, praesertim in satisfactionem tot scandalorum, quibus alter alterum offendimus et te ad iram provocavimus. Largire nobis auxilium tuum, ut deinceps et propriarum et alienarum animarum saluti sollicitius invigilemus. Memento etc.

Ad S. Angelum custodem. Angele mi custos, qui semper vides faciem Patris coelestis! eripuisti me hactenus ex innumeris tam corporis quam animae periculis, in quibus incauta versabatur adolescentia mea. Comitare me nunc adeuntem altare, ubi Jesus meus, zelator animarum nostrarum, offertur ac sumitur. Dirige ac confirma me progredientem ad aram, ne timore nimio perculsus regrediar. Intercessione tua mihi necessariam impetra fidem, spem, caritatem, animi puritatem, omniumque decorem virtutum, ut divinam hostiam decenter immolare, tandemque Dei faciem in coelo tecum intueri merear. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Benignissime Jesu, zelator animarum nostrarum, qui pretioso corpore et sanguine tuo nunc iterum ci-

basti animam meam immortalem; reverentia qua possum maxima laudo et glorifico te. Vere beatum me censeo, quia tantam inveni gratiam in oculis tuis, ut in me rursum ostenderes divitias infinitae bonitatis tuae. — Venite, audite, omnes Angeli! audite, omnes coelites et electi Dei! narrabo vobis, quanta fecerit Dominus animae meae. Erexit me de pulvere bonus Dominus et seipsum mihi dedit manducandum. O munificentia mirabilis! o caritas ineffabilis! — Grates tibi, Jesu suavissime, pro dulci hoc convivio et pro omnibus aliis beneficiis, quibus inde ab infantia me cumulasti; praecipue vero pro illa benignitate tua, qua mihi sanctum aliquem Angelum designasti, ut se comitem mihi jungeret ac custodiret me in omnibus viis meis. Est hoc certissimum tuae in me caritatis indicium.

Ne pro his beneficiis ingratum me tibi praebeam, bone Jesu, diligenter invigilabo saluti animarum immortalium, quas pretioso sanguine tuo redemisti. Nullam occasionem praetermittam, promovendi salutem alienam. Dixisti aliquando: *Vae mundo a scandalis!* Vae istud hodie praesertim mundo timendum, ubi scandala grassantur innumera. Tribue mihi hanc gratiam, Domine, ut vel unum scandalum impediam, vel unicum peccatum a proximo meo avertam, vel etiam unicam animam ab interitu vindicare valeam. Da nobis sacerdotibus indefessum animarum zelum et sancto nos ardore inflamma, ut quilibet nostrum in confinio mortis cum Elia (*3 Reg. 19.*) dicere vere possit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.*

„Sanctificetur a nobis et in nobis nomen tuum, Domine, quod ab aeterno sanctissimum est, ut, quidquid cogitamus vel intelligimus, quidquid loquimur vel operamur, totum ad sanctissimi nominis tui gloriam or

nemus. Mentis nostrae oculus incessanter ad te dirigatur. O quam delectabile, mentis intuitum nunquam amovere a te, o Sol justitiae! Domine, miserere animae meae, quam vanitas mundi hujus dissipare conatur. Domine Jesu! creatura tua sum, pretioso sanguine tuo redemta. Tu solus itaque regnes in corde meo: nam tu solus bonus, tu solus pulcher, solus amabilis, solus desiderabilis, Amator animarum! Tu solus me regas, solus me dirigas, o Zelator animarum! In te solo quiescat cor meum, tamquam in centro omnium animarum sanctarum." Amen. *S. Ansel.*

FERIA IV.

Audi sacerdotem damnatum, tibi clamantem: 1) Homo, sacerdos eram, sicut tu (quoad naturam, obligationes, gratias etc.); 2) cogitabam sicut tu (mortem non timendo, vilipendendo pecc., superaestimando meipsum etc.); 3) vivebam sicut tu (in pecc. quotidianis, tepiditate, propositis inefficacibus); 4) ergo, nisi te emendaveris, patieris sicut ego!

PRECES ANTE MISSAM.

Omnipotens sempiterne Deus! ad thronum immensae Majestatis et infinitae Misericordiae tuae provolutus humili corde fateor iniquitates meas, quibus te hactenus offenderam. Jam multis annis ineffabili clementia expectasti me ad poenitentiam: ego autem in eodem manui torpore. Saepe stabas ad ostium cordis mei et pulsabas tum minis et tribulationibus, tum beneficiis ac

consolationibus. At ego, surdus ad omnia, rebus meis indormiebam. Jure me pridem abjicere poteras in illam terribilem gehennam, ubi vermis impiorum non moritur et ignis non extinguitur. Nihilominus mihi pepercisti, poenitentiae tempus indulsisti, emendationis gratiam dedisti; neque delicta solum mihi benigne condonasti, sed et dignitate sacerdotali me decorasti. Nunc iterum me vocas ad dulcissimum altaris convivium, ut ibi comedam carnem Agni immaculati, Christi Filii tui, et bibam illius sanguinem pretiosissimum.

„Sed quomodo ad terribilem mensam tuam accedere praesumam ego, qui toties promerui a conspectu tuo projici in ignem aeternum, ad poenas intolerabiles? Quomodo Bonitas tua usque adeo miseretur mei, peccatoris sordidi, qui non misertus sum mei ipsius, multoties contemnendo misericordiam tuam? O caritas ineffabilis! Ad convivium tuum angelicum, ad epulum divinum admittis me miserum, quem merito semper aversari et sine fine punire posses. Nunquam depraedicare valeo infinitam clementiam tuam: nisi enim mihi pepercisses, jam diu plorarem illic, ubi lacrymae sunt otiosae et gemitus supervacanei; ubi planctus incessabilis et sine fine lamentatio.“ *S. Ephr.*

Spe jam atque fiducia plenus aram tuam adibo, sacrificaturus Agnum immaculatum, hostiam sanctam, in gratiarum actionem pro tot tantisque beneficiis, quibus et me et alios mei similes obruisti peccatores; nec non in plenam satisfactionem delictorum nostrorum, quibus ignis aeterni supplicia promeriti sumus. Pater misericordissime! per incruenti hujus sacrificii virtutem obsecramus te atque necessariam efflagitamus gratiam, ut de peccatis nostris sincere doleamus, castigationes tuas paternas animose suscipiamus, omnia salutis o-

stacula removeamus, ad frugem redeamus, sicque perpetuos gehennae dolores effugiamus. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Inexhausta bonitas tua, Domine Jesu, eo te compulit, ut ad divinam mensam tuam me admiseris ac corpus et sanguinem tuum mihi dederis in cibum et potum. O felicem me! Vere nunc audeo dicere: Cibus meus est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi; potus meus est sanguis Agni immaculati Christi. — O amor inexplicabilis! Debitas tibi gratias ago, Jesu suavissime, pro hac ineffabili beneficenta tua, qua me jam denuo sacrorum mysteriorum participem fecisti, me vilissimum hominem, me miserrimum peccatorem. Ignosce, quaeso, nimiae temeritati meae, qua tremendum altaris sacramentum offerre ac sumere praesumsi, deses ego famulus tuus, tot negligentiarum reus.

„Quis autem ineuntis aetatis meae flagitia numerare valeat? Criminum meorum in immensum prope auctus est numerus. Deus optime! indulge mihi, qui his quotidie deprecationibus ad te clamo: *Domine, tu es refugium meum.* Si tua me suscipere misericordia renuit, perii miser. Infernus en intuetur, ut cruciet me, quamquam toties calicem salutaris acceperim. Ne, quaeso, concremer, Domine, quando ignei flammarum vortices infrement ad vindictam. Tria sunt, Domine, quae valde metuo: videlicet ardor ignis, qui nunquam extinguitur; carceris terror, qui nunquam tollitur; diurnitas illius vermis, qui nunquam moritur. Oro, ne me absorbeat incendium illud horribile, sed ejus flammas corpus et sanguis tuus a me procul avertat.“ *S. Ephraem.*

Tua mihi benevolentia spem magnam affert, Domine

Jesu, qui tamdiu mihi peccanti pepercisti. Alios peccatores innumeros a facie tua projecisti in carcerem inferorum, et clausa est janua: mihi patet aula coelestis, viam illuc ostendis, euntem me juvas, aberrantem me revocas, tergiversantem trahis, reluctantem impellis et urges. In gehenna impii manes famem patiuntur ut canes: ego panem Angelorum manduco. — Illi jam undique circumfunduntur igne furoris tui: ego autem undique cingor igne amoris tui. — Aeternitas ignea pars illorum perpetua: tu pars mea, Deus, in aeternum. — Omni virium contentione conabor effugere ignem illum inextinguibilem, quem minatus es impiis. Alium eligo ignem aeternum, nempe divini amoris tui. In aeterno tuae caritatis igne semper ardere desidero; in hoc amoris incendio conflagrare cupio. Dulcissime Jesu! effice (precor) ut aeternitatem assidue prae oculis habeam; ut diu noctuque mente volvam atque revolvam ingens perennium saeculorum volumen: quo facilius praesentis saeculi vanitates respuam, et dignos poenitentiae fructus faciam. Amen.

FERIA V.

Cura animarum opus maxime meritorium: 1) Gloriae et voluntati Dei maxime consentaneum; 2) hominibus utilissimum; 3) exercitium magnarum virtutum (caritatis, zeli, patientiae etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Conditor coeli et terrae, Pater omnipotens, qui nos ad imaginem tuam creasti, et misere lapsos clementer

reparasti per incarnationem et acerbissimam mortem Unigeniti tui; Pater amantissime, qui jam multorum delinquentium atque poenitentium misertus es: te suppliciter obsecramus, ut et nobis famulis tuis criminum veniam misericorditer indulgeas. Fatemur iniquitates ac culpas nostras, quibus in dies offendimus immensam bonitatem tuam. Obtestamur et obsecramus te, Pater misericordiarum, per illum amorem aeternum, quo dilectum Filium tuum in hunc mundum misisti, ***non ut animas perderet, sed salvaret:*** propitius esto nobis peccatoribus. Ne permittas nos aeternum perire propter insipientias nostras. Sumus utique creaturae tuae, opera manuum tuarum, servi tui, quin imo filii tui adoptivi, quos ut ab interitu liberaret, Unigenitus tuus innumera fecit, divina docuit, mira patravit, indigna pertulit.

Respice, sancte Pater, in faciem Christi tui, Salvatoris nostri patientissimi, quem tibi hodie in altari offerimus, eoquod ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Hunc carissimum Filium tuum hodie facimus advocatum et mediatorem nostrum, quem pro nobis peccatoribus deprecantem non potes non audire. Ecce, praesentamus tibi, Pater, hujus Redemtoris nostri vulnera, dolores, sanguinem effusum et amarissimam mortem. Imo ipsissimum Unigenitum tuum offerimus in expiationem et abolitionem criminum nostrorum. Da nobis per infinita merita ejusdem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, ut, quemadmodum ***ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem*** pro nobis in cruce moriturus, ita et nos obfirmemus animos nostros ad toleranda quaevis incommoda pro nominis tui gloria et animarum salute. Fac, ut animose fortiterque casibus adversis obviam eamus, et in ista rerum ac temporum acerbitate, in hoc certamine positi, vertamus tergum ad

res inanes et infimas, faciem vero ad coelestem Jerusalem, ad supernam patriam. Per merita hujus sacrificii da nobis spiritum Christi tui, nempe spiritum mansuetudinis et patientiae, spiritum humilitatis ac commiserationis, ut aliorum aeternae saluti pro modulo nostro serviamus ac consulamus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Millies salve, Domine Jesu Christe! salve, dulcissime Hospes animae meae! — Sis millies milliesque benedictus, o Deus Salvator meus! — Admiror hanc clementiam tuam, qua rursum invisere dignatus es hominem vilissimum, servum ignavum, peccatorem ingratum. — Si majestatis tuae magnitudinem, si judiciorum tuorum abyssum, si noxarum mearum multitudinem attente considero, jure paveo ac contremisco. Si autem ineffabilem misericordiam tuam mecum expendo, mox animum resumo et ad spem redeo. Bonus es Dominus, qui in hunc mundum venisti, *non animas perdere, sed salvare.* Eo te compulit amor tuus, ut pro nostra salute non modo sanguinem tuum in cruce profuderis, sed omnibus etiam ubique dispersis fidelibus praeparaveris convivium dulce, convivium commune, semper in Ecclesia tua celebrandum. Singularem mihi peccatori misericordiam tribuisti. Nisi tua haec infinita bonitas inhibuisset vindictam tuam, dudum ignis de coelo descendisset ac consumsisset me. Quotidie delinquentem me toleras, aberrantem revocas, prolabentem sublevas, torpentem excitas, laborantem adjuvas, languentem recreas, et in quacunque necessitate fluctuantem gubernas atque sustentas.

„Domine Jesu! quantum a me es amandus, laud

dus et glorificandus! Tibi debeo omne quod possum, omne quod habeo, omne quod sum. Da mihi (precor) ut tibi de bonis et donis tuis serviam atque debitas tibi laudes rependam pro tantis misericordiae tuae beneficiis. Non enim aliunde possum tibi servire, nisi de tuo munere. Da mihi, ut semper diligam te, quantum valeo et quantum debeo. Fac, me huic mundo penitus mori ac omnium rerum transeuntium oblivisci prae magnitudine amoris tui, usque adeo, ut de temporalibus nec lugeam, nec gaudeam; ut nec saeculi blanditiis corrumpar, nec adversis concutiar. Fac, o Amator hominum, ut amore tui deponam gravissimam rerum terrenarum sarcinam. Bone Jesu! accende me totum igne amoris tui, ut diligam te ex toto corde meo, habens te semper in animo, semper in ore, semper et ubique prae oculis." *S. Laur. Just.*

Domine Jesu, qui discipulorum ardorem intempestivum redarguisti; qui non venisti animas perdere sed salvare: te vehementer obsecro, ne sinas in aeternum me perire; sed effice potius, ut, antequam moriar, pro peccatis tibi cumulate satisfaciam. Da etiam, ut, quotiescunque proximi cujusdam peccatum audiero, non ignem desuper evocem, sed opem tuam pro illius emendatione implorem; ut propriae memor imbecillitatis non arroganter illum arguam, sed amice moneam. Fac, ut odio habeam peccatum, non peccatorem; nec derelinquam errantem, sed benevole reducam ad frugem. Sit mihi erga reum commiseratio vehemens, et erga reatum correctio prudens. Absit ut odio culpae laedam jura naturae humanae, quae vult in viam mansuete reduci, non ultra modum affligi. Fac, ut aliud nec cupiam nec optem, quam ut omnes ac singuli mecum salventur. Amen.

FERIA VI.

1) Imitare Christum — secus nec salvaberis, nec salvabis alios; 2) ut imiteris, confer et assimilare cura cogitationes tuas, cupiditates, locutionem, habitum externum, modum conversandi et exequendi sacras functiones cum cogitationibus .... etc. Christi.

PRECES ANTE MISSAM.

Pudore suffusus ego peccator hodie rursum appareo coram Majestate tua formidabili, Pater omnipotens, aeterne Deus. — Vix tantum mihi sumo, ut accedam altare tuum ad immolandum coelestem hostiam; non enim me gessi pro dignitate vocationis meae. Saepius equidem mecum constitui tibique promisi, magno semper animo sequi dilectum Filium tuum, insigne specimen vitae activae. Sed heu! quantopere discrepant inculti mores mei ab innocentissima illius vita! — Jesus Christus, Unigenitus tuus, dum in terris visus ac cum hominibus conversatus est, tanta rerum inopia laborare voluit, ut nequidem habuerit, ubi caput reclinaret: ego autem inexcusabili commoditatum aviditate laboro. Ille propter homines libentissime peragravit regiones multas: ego propter alios aegre pedem elevo. Totus ille laboriosus: totus ego desidiosus. — Jesus ubivis immortalium quaesivit animarum salutem: ego vel propriam negligo. — Ille mitis et humilis corde: ego morosus atque proclivis ad iram. — Jesus humiliavit semetipsum: insolenter ego meipsum effero. — Ipse pro crudelibus inimicis oravit: ego vel amicis succenseo. — Filius tuus factus est obediens usque ad mortem: ego pro lubitu fraudem legi facio, vel immunitatem expeto.

Proh! quam longe mores mei disjuncti sunt

exemplis Unigeniti tui, Pater amantissime! Quo diutius inspicio speculum illud, eo magis erubesco. Quid ergo faciam? — num ideo desperatione torpeam? — Absit, absit! Ferrum utcunque rubiginosum expurgari potest. Etiam ego per viam purgativam me magis magisque purificare conabor. Quo altius me hactenus exaltavi per arrogantiam, eo profundius inclinabo me per animi modestiam. — Ut avaritiam e corde radicitus evellam, rebus fugacibus nuntium mittam, et de superfluis sublevabo pauperum inopiam. — Ut frenum injiciam meis cupiditatibus, affligam me jejuniis, vigiliis atque laboribus. — Ne deinceps a bene coeptis deficiam, aratoris instar anteriora prospiciam.

Haec omnia quo facilius praestare valeam, o Pater aeterne, da mihi (quaeso) cibum fortissimum, panem meum quotidianum, panem vitae aeternae. Liceat mihi nunc iterum adire sacram mensam et accipere corpus et sanguinem Redemtoris mei. Emunda cor et animum meum ab omni vitio, ab omni affectione prava, quo dignius accipiam hanc vitae alimoniam. Per efficaciam hujus sacrificii da nobis omnibus, ut haec infima despiciamus et tantummodo superna ac coelestia quaeramus. Fac, ut omnes una mecum Ecclesiae ministri et sacerdotes sequantur unigenitum Filium tuum tamquam illustre specimen vitae activae. Concede nobis omnibus donum perseverantiae finalis, quo aptiores simus obtinendo regno coelorum. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Luculenter agnosco singularem tuam erga me benevolentiam, o Jesu mi suavissime! Immensae dilectioni tuae satis non erat, quod omnem pro me sanguinem

tuum in cruce profuderis, ibique posueris vitam: voluisti quoque pro infinita misericordia tua mihi deferre sacerdotii honorem, ut tali praeditus dignitate servirem tibi omnibus diebus vitae meae. Plurima quotidie mihi tribuis beneficia, tam corporalia quam spiritualia. Quotiescunque voluero, facultatem mihi concedis accedendi sacrosanctum altare tuum, ibique me reficis sanctissimo corpore et sanguine tuo. — Supplex adoro te, Fili Dei, tibique gratias ago pro tantis beneficiis, quibus indignum me cumulasti. O si respondendo essem infinitae beneficentiae tuae! Sed imbecillitas mea tibique mihique notissima est. Aliam interim non petis a me gratiarum actionem, nisi ut tuis inhaeream vestigiis et sequar te, insigne specimen vitae activae.

Domine Jesu! frequenter in aure cordis mei sonat amabilis illa vox tua: *Sequere me, sequere me!* — Ratum fixumque mihi est, deinceps adhaerere tibi tuisque pressius insistere vestigiis. Conabor imitari te magistrum meum humilem, pauperem, mansuetum, patientem et evangelizantem. Adesto piis conatibus meis, suavissime Jesu! Trahe me post te, si tergiversari voluero. Fac, ut abjiciam inanes saecularium negotiorum curas et dimittam *mortuos sepelire mortuos suos.* — Conforta me, bone Jesu, ac continenter exstimula me, ut diligenter obeam munia mea, et omnes horas, curas omnes ac cogitationes referam ad promovendam nominis tui gloriam et animarum salutem. — Et quia (prout dixisti) *nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei:* largire mihi donum perseverantiae finalis, ut, quae retro sunt, obliviscar; ad ea vero, quae sunt anteriora, extendam meipsum, et ad destinatum perveniam, ad brevium supernae vocationis.

Jesu, Fili Dei, qui semper ac constanter obsecutus es voluntati Patris tui, factus obediens usque ad mortem crucis: da mihi similem animi firmitatem, ne unquam in via virtutis langueam vel labori meo succumbam, sed ut assidue permaneam in eodem piorum consiliorum tenore. Tu non modo secundum durationem naturae tuae divinae existis aeternus, sed in ipsa etiam aeternitate tua perseveras immutabilis, semper idem, semper tui similis, semper aequalis ac constans, ita ut nulla contingere variatio possit in tuis perfectionibus. Apud te, Domine, ***non est transmutatio*** (Jac. 1.) ***nec vicissitudinis obumbratio.*** Quemadmodum eras potens, bonus, sapiens, justus, sanctus et misericors ante omnia saecula: sic permanebis aeque potens, aeque bonus, aeque sapiens, aeque justus, aeque sanctus in omnia saecula. Da mihi meisque conservis, o Jesu perfectissime, ut semper stabiles in bono perseveremus, atque tuam immutabilitatem quomodocunque sequendo et imitando, veneremur aeternitatem tuam; ut tandem ejusdem beatae aeternitatis tuae consortium aliquod assequi mereamur, atque de aeterna et immutabili perfectione tua sine fine laetemur in coelis. Amen.

SABBATO.

Meditatio quotidiana sacerdoti: 1) possibilis; 2) conveniens; 3) dulcis et utilis; 4) moraliter necessaria.

PRECES ANTE MISSAM.

Eousque progressa est tua erga me bonitas, amantissime Jesu, ut ingratum me peccatorem adnumeraveris

sacerdotibus tuis. Tribuisti mihi singularem hanc gratiam et facultatem, saepissime tecum agendi, tecum loquendi, tecum familiarius conversandi, de te meditandi, tibique firmius adhaerendi. O sortem beatam! o partem optimam! — Domine Jesu! intrasti aliquando castellum et domum Marthae ac Mariae, non ut teipsum reficeres cibo, sed ut duas illas sorores salutari tuo pasceres verbo. En ego te, Verbum Dei Patris, non solum audire, sed etiam manducare desidero. Paratum cor meum, ut hospitio recipiam te benignissimum Salvatorem, quem religiosae illae sorores incredibili gaudio et amore excipiebant in domum suam. Etiam mihi cordi es, bone Jesu! ideoque nunc cupio te mecum habere.

Persaepe quidem ad iracundiam provocavi te, Domine, turpes admittendo culpas atque negligentias, et proinde non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Attamen notus est tibi dolor meus acerbissimus, quo discrucior ob admissa peccata. Utinam me hactenus ab omni culpa liberum integrumque servassem! Intime doleo, quod offenderim te Dominum infinite bonum, infinite clementem et amabilem. Sed ipsa haec infinita bonitas tua spem mihi praebet atque fiduciam, quod projeceris post tergum tuum omnia peccata mea. Optatam spero veniam; nec anxius haesito, qualiter excipiam te hodie in domum meam, aut quid dicam tibi propius advenienti; nam ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Tibi jam patet intimus animi mei recessus, et optime nosti, quam miser, quam inops et pauper ego sim. Idcirco tibimet ipse praepara decentem in corde meo habitationem, et opus illud omnino perfice, quod tam misericorditer inchoasti mecum: talis enim esse desidero, qualem me volueris esse.

Jesu jucundissime! Jesu delectabilis! evelle jam ex animo meo cunctas rerum temporalium curas, quibus hucusque nimis implicatus eram. Libera me nunc ab omni mentis evagatione, quo majore cum decentia te hospitio recipiam, et ex amicabili praesentia tua novo caritatis augmento potiar. Da, precor, ut te panem coelestem hodie reverenter accipiam, velut ultimum peregrinationis meae viaticum. Aperi simul aures meas, o Verbum plenum gratiae et veritatis, ut, postquam in altaris sacramento te hospitaliter excepero cum Martha, intelligenter audiam verbum tuum cum Maria. Per merita hujus sacrificii adesto probis amatoribus vitae contemplativae. Illorum etiam miserere fidei domesticorum, quorum mihi salus aeterna curae et angori est. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Delector ista familiari praesentia tua, Domine Jesu Christe! Ingenti perfusus gaudio veneror et adoro te, magistrum divinum, aeternum Patris Verbum, a quo nunc animus meus suaviter recreatur, mirifice pascitur, omnino satiatur. Jamjam mihi paululum gustandum praebes, Domine, de illa jucunditate dulcissima, quam aliquando Martha et Maria (sorores illae piissimae) senserunt, excipientes te in domum suam. Grates tibi habeo maximas, o bone Jesu, pro magna hac benignitate tua, qua personaliter intrare dignatus es sordidum et pro immensitate tua nimis angustum cordis mei domicilium, ut tuis me donis et bonis impleas.

Amantissime Jesu! te diligo ex toto corde meo. Mille mortes subire praeopto, quam ut amori perverso locum in corde meo concedam. Tibi soli totum me

consecro et tui solius amorem anhelo, qui solus animam meam sanctificat et sine fastidio satiat. Supplex igitur a te, Salvator mundi, caritatis augmentum efflagito. — Parum hucusque (fateor) amavi te, dum nec vitae activae, nec contemplativae amatorem me gessi vel exhibui. Et hoc est, quod eo me nunc impellit, ut aeque dolenter, ac olim Martha, conquerar et ore libero dicam: *Domine! non est tibi curae,* quod taliter rebus externis ac caducis adhaeream? Bone Jesu! *non est tibi curae,* quod in hac temporum iniquitate tam negligens, tam frigidus sacerdos sim?

Accende, quaeso, clementissime Salvator, accende cor meum igne caritatis tuae. Fac, ut divinarum rerum contemplatione volitem usque ad locum habitationis gloriae tuae. Libera mentem meam a molesto terrenarum cogitationum tumultu, quo facilius coelestia meditari valeam. Fac etiam me (piorum adinstar religiosorum) *mortem quotidie ante oculos suspectam habere,* ut eo cautius declinem mundi pericula, quo plura video mundanorum naufragia. Ne sinas me turbari erga plurima, sed tuam mihi tribue gratiam, ut abjectis curis temporalibus unice tractem illud *unum necessarium* negotium animae meae, negotium aeternitatis, negotium salutis propriae et alienae.

O Jesu dilectissime! cupio quidem ex animo, imitari Mariam ad pedes tuos sedentem et vitam agere contemplativam, quam approbasti. Nihilominus tamen, si jubear imitari Martham et in vita activa domesticas habere curas, fiat voluntas tua. In qua vocatione vocatus sum, in illa permanebo. Domine! guberna me, *ne quid nimis.* Fac, ut tali circumspectione cuncta negotia tractem, ne faciendo unum omittam alterum. Da, ut necessarios Marthae labores cum amoeno Mariae oti

sic connectam, ut inter ipsa negotia saepius ad pedes tuos redeam et te mihi loquentem audiam. Praesta, divine Magister, ut assidue tecum maneam et omnia verba tua libenter excipiam. Unice noverim vocem tuam; et penitus surdescam ad inanem aurearum catenarum strepitum, quo delectatur hoc saeculum. Fac, ut, quemadmodum deliciae tuae sunt esse cum filiis hominum, ita deliciae meae sint esse ac conversari tecum, o Fili Dei! Qui vivis.

DOMINICA XVI. POST PENTECOST.

Deus saepe humiliat sacerdotes superbos: 1) non benedicendo eorum laboribus; 2) subjiciendo eos variis tentationibus; 3) permittendo eos cadere in peccata ignominiosa.

PRECES ANTE MISSAM.

Grande mihi convivium adornasti, liberalissime Pater, aeterne Deus, qui tempore rato humilias superbos. Parasti in conspectu meo mensam, cui adsistunt Angeli ministrantes. Valde quidem mihi arridet tanta benignitas tua, sed terret me malitia mea. Tremendum altare tuum adire metuo, utpote virtutum ornamentis vacuus et vitiorum monstris plenus. Si hominem innocentem, si justum et sanctum oportet *in novissimo loco* recumbere: quonam ego peccator omnium sceleratissimus recumbere debeo? ubinam me recollocem? quo me subducam vel abscondam? Non licet mihi, tamquam abortivo, primarium honoris occupare locum inter fideles

servos tuos: ego enim minimus sum servorum tuorum, minimus hominum, ne dignus quidem vocari homo, quia libere vixi brutorum more. Tantum itaque mihi non arrogo, ut adjungam me piis sacerdotibus, aut Angelis aram tuam cingentibus: nam indignum me confiteor, quem in numero creaturarum tuarum habeas. O Creator omnipotens! tenebricosissimam ostende mihi latebram, in quam me conjiciam. Redde me penitus invisibilem, aut dele me de numero mortalium.

Sed audire jam videor paternam vocem tuam, dicentem mihi: *Amice! ascende superius; accede mensam meam, conscende fidenter altare meum, comede carnem incarnati Verbi mei et bibe sanguinem ejus.* — Bone Pater! aliud nihil possum, quam mirari et obstupescere. Obtemperabo huic voci tuae, quae me peramanter invitat, imo jubet, ut ascendam ad altare tuum et offeram missae sacrificum pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis. Cum omni fiducia nunc adibo paratum mihi convivium, ut comedam panem vivum, qui de coelo descendit. Fac, o Deus, ut digne comedam illum.

„Pater! rogo te per incomprehensibilem misericordiam tuam, ut nunquam in me superbiae pestem dominium vel locum habere patiaris. Obtestor te per venerandam humilitatem Unigeniti tui (*quem in ara tibi nunc immolabo*) ut repellas a me servo tuo omnem animi fastum et arrogantiam, omnem ostentationem et insolentiam, omnem inanis gloriae appetitum, omnem contentionem et inobedientiam, omnem vitiosam simulationem. Nullum unquam elati animi signum in me appareat. Prosterne sub pedibus famuli tui spiritum elationis et iracundiae. Nunquam meipsum efferam de donis misericordiae tuae; nunquam alios despiciam, nun-

quam alicui me praeponam, nunquam me aliquid esse existimem.“ *Blosi.*

Clementissime Pater, qui mortalium arrogantiam aversaris! libera me meosque omnes a spiritu superbiae, ne vanos ambiamus honores, nec efficiamur inanis gloriae cupidi. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Te decet laus, tibique soli debetur omnis honor. Per hujus virtutem oblationis effice nos vere modestos et humiles in terris, ut aliquando mereamur a te exaltari in coelis. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Quid hoc, amantissime Jesu? ergone tu vere nunc in corde meo? — in corde tam abjecto, vitiorum sordibus pleno? — Deus meus et Omnia! quo te permovit infinita caritas tua? — Nihil in praecordiis meis vides, quod purissimis oculis divinae Majestatis tuae placere possit. Ipsemet exhorresco, si cor meum, squalidum hoc improbitatis domicilium, inspicio atque perlustro. Quid demum fieret, si cunctos animi mei recessus perspectos haberem ac cognitos? Nisi tua me solaretur immensa misericordia, Domine, spem amitterem, et (nescio quo) me subriperem.

Bone Jesu! tibi nota est illa superbiae hydropisis, quae latet in corde meo. Oculis tuis lucidissimis omnino patet arrongantia mea intolerabilis. Erubesco tumorem meum. Hydropicus superbia intumescens, aegrotus superbiens, mendicus magnifice circumspiciens, quam mirabile ac miserabile monstrum! — Grates tibi, Domine! satis intelligo, quantum offendaris ambitione ac superbia hominum. Innumeris hactenus exemplis confirmatum est illud tuum effatum: ***Quia omnis, qui***

se exaltat, humiliabitur. Memoria teneo gravissimas superbiae poenas, quas et Angelorum et hominum plurimi jamjam dederunt. Ideo summa posthac cura declinabo mentis elationem, utpote malorum omnium fontem.

Sed aeque scio, dilectissime Jesu, quod absque gratia tua non valeam e corde meo superbiae vitium exstirpare. Morbi vim sentio, hydropisin foedam agnosco: medicinam nescio. Facilius utique robustam quercum ex humo radicitus evellere possem, quam e corde meo eradicare superbiam innatam. Tu solus, omnipotens Amor mi! tu solus huic malo mederi vales. Te proin obtestor, o Salus infirmorum! libera me nunc a lethali cordis hydropisi. Sana hunc inanem mentis tumorem, quo tamdiu laboravi. Purifica me totum ab ista lue pestifera, tibi perquam odiosa. Fac, ut non ambulem in magnis, neque in mirabilibus super me, sed ut de me humiliter sentiam. Deprime caput meum nimis erectum: frange spiritum meum arrogantem. Pone me jam in terris, ubicunque volueris. Si vel ultimum mihi assignaveris locum, minime repugno. Libenter in orbis angulo vitam ago absconditam, dummodo post obitum meum ad aulae tuae coelestis convivium aeternum admittar, et audiam ex ore tuo: *Amice, ascende superius.* Amen.

FERIA II.

Humilitas: 1) gratiam allicit — conservat — auget; 2) virtutes praecedit — gignit — fulcit — consummat; 3) aeternam gloriam assecurat — mensurat — auget.

PRECES ANTE MISSAM.

Universi hujus Auctor et Rector, Deus fortis et potens, sancte Pater, qui arrogantes aversaris spiritus, et humiles amas animas: clementer respice nos servos tuos humiles, Christianos catholicos, qui firma fide verissimum illud amplectimur Unigeniti tui effatum: *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.* Satis agnoscimus graves superbiae poenas et eximia humilitatis praemia. Ad summam gloriae celsitudinem Angelos bonos et humiles extulit infinita misericordia tua; malos autem atque superbos spiritus in ignem aeternum dejecit divina justitia tua. Veneramur hanc terribilem justitiam, quae superbos humiliat; laudamus amabilem tuam misericordiam, quae humiles exaltat.

Pater omnipotens! in signum humillimae nostrae subjectionis in tuum supremum dominium offerimus tibi hanc immaculatam hostiam in altari tuo, debitas agentes gratias pro omnibus beneficiis tuis, maxime pro paterna providentia tua, qua servos tuos humiles exaltare consuevisti suo tempore. Suscipe hoc sacrificium in plenam satisfactionem criminum nostrorum; et qui peccantibus Angelis non pepercisti, parce nobis famulis tuis. Dimitte nobis peccata, quorum fere omnium origo et initium erat superbia. Bone Deus! miserere nostri per merita Unigeniti tui, qui stupendam exhibuit humilitatem in verbis, in operibus, in contumeliis, in opprobriis, in passione, in cruce, in morte. Da, quaesumus, ut ejusdem exempla sequamur. Largire nobis sincerae humilitatis gratiam, ut tuam unice quaeramus gloriam. Doce nos ea, quae sunt verae humilitatis: nempe non nostram quaerere laudem ac gloriam, sed tuam; non nosmet-

ipsos extollere, non inflari, non intumescere, non oblectari hominum encomiis, nec inaniter gloriari de talentis et donis beneficentiae tuae; sed tibi semper in humilitate subjectos manere, quo firmius semper cum bonis Angelis et justis in servitio tuo persistamus. Fac, ut humiliationes quascunque libenter acceptemus, quo citius ad veram humilitatem provehamur. Confirma nos, Deus, in veritate et gratia tua, ut animos submittamus et nostri ipsorum despicientia placeamus tibi. Memento N.

PRECES POST MISSAM.

Submissó animo tibi debitum praesto homagium ac cultum adorationis, o Jesu, Fili Dei, Salvator amantissime, qui nunc corporaliter habitas in pectore meo. Pedibus tuis advolutus atque pudore suffusus sincere fateor, me prorsus indignum esse dulci hac visitatione tua. Laudo et depraedico singularem tuam in me benevolentiam. — Valde quidem admiror infimam demissionem et humilitatem tuam, qua dignatus es nasci in stabulo, collocari in praesepio, deportari in exilium, fatigari labore manuum, baptizari cum peccatoribus. — Majore tamen stupore me defigit humilis amor tuus, dum in ultima coena ad abluendos etiam Judae proditoris pedes teipsum inclinasti, et ibi sanctissimum eucharistiae sacramentum instituisti, quod et ego (licet indignus) hodie celebravi atque percepi. — Summam autem et maximam admirationem mihi movet illa profundissima humilitas tua, qua ob peccata mea vinculis oneratus, colaphis caesus, sputis deformatus, flagris dilaceratus, spinis coronatus, contumeliis vexatus, cum sceleratis reputatus, crucis patibulo affixus, et tandem inclinato ca-

pite mortuus es. — Et te ipsissimum habeo nunc in ulnis animae meae. O felix ego!! —

Quid tibi retribuam, bone Jesu, pro tanta humilitate ac caritate tua, qua saluti meae sic consulere atque servire dignatus es? — Aliud ego nec valeo nec scio, nisi grata mente (quoad vixero) tuis semper insistere vestigiis, et in aeternitate beata (qua me potiturum spero) perpetuas tibi dicere laudes. Ideo pro viribus imitari conabor humilem caritatem tuam, cujus tam miranda nobis exempla dedisti. Succurre mihi gratiae tuae praesidio, mitissime Jesu! Confirma hoc, Deus, quod operatus es in me. Et, ne superbia sensim intumescam aut insolentius efferam me, saepe mihi ob oculos pone multiplicem miseriam et imbecillitatem meam. Ducito me per viam humiliationis ad virtutem humilitatis.

„Domine Jesu! da cordi meo poenitentiam, spiritui meo compunctionem, oculis lacrymarum fontem. Extingue in me desideria inutilia ac nociva, et accende in me ignem amoris tui. Aufer a me spiritum superbiae, et concede mihi spiritum humilitatis. O Salvator meus! amove a me vitium iracundiae, et tribue mihi scutum patientiae. Da mihi fidem solidam, spem firmam, caritatem continuam. Averte a me animi vanitatem, mentis inconstantiam, cordis evagationem et inanis gloriae appetitum.“ *S. Ansel.*

„Oro, Domine, ut, sicut bonos Angelos (non spiritui superbo sed tibi adhaerentes) confirmasti in gratia tua, ita et me inconcussa firmitate stabilire digneris in profundissima humilitate, adeo, ut cor meum nec velit nec possit unquam erigi per superbiam. Sim semper parvulus in oculis meis, vitam agens tibi per omnia placentem. Te offendere timeam, et Ecclesiae tuae praeceptis cum omni humilitate obediam, ut tibi subjectus

et obtemperans feliciter hujus peregrinationis iter conficiam. Amen.“ *Blosi.*

FERIA III.

Considera potestatis, quam habet sacerdos, applicandi fructum missae: 1) praestantiam magnam; 2) usum faciendum (quod parochianos, peccatores, defunctos etc.); 3) pericula cavenda (avaritia, negligentia etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

„Melliflue et omnibus deliciis plenissime Jesu Christe! quis enarrare sufficiat ineffabilem bonitatis tuae dulcedinem, quam nobis miseris hominibus eximia quadam ratione demonstrare voluisti in admirabili altaris sacramento, quod in ultima coena instituisti ad perennem tui memoriam? Praecelsum hoc sanctissimi corporis et sanguinis tui sacramentum, in testimonium mirificae tuae dilectionis et in pignus aeterni erga Ecclesiam tuam amoris, tamquam memoriale perpetuum reliquisti nobis, in quo semper recoleret populus tuus omnia pro nobis facta mirabilia opera simulque passionem tuam amarissimam, quam pro nobis pertulisti. Sciebas enim, Domine Jesu, quam faciles simus ad oblivionem beneficiorum tuorum. Ut igitur tantorum bonorum, quae nobis indignis exhibuisti, nulla unquam nos caperet oblivio, tale quoddam nobis memoriale voluisti relinquere, quod in nobis tui memoriam perpetuo conservaret, tuum nempe corpus sanctissimum et sanguinem immaculatum. Reliquisti nobis temetipsum, jam impassibilem et in ae-

ternum viventem, ut tuae passionis amaritudinem nunquam oblivisceremur, ac crudelissimae mortis tuae recordatio nunquam e cordibus nostris excederet. Sub panis et vini speciebus apud nos usque ad finem mundi permanere testamento aeterno disposuisti, ut tua ipsius praesentia nobis tui memoriam per singulos dies refricaret. Quis enim ex nobis (dummodo non lapidei fuerit cordis) oblivisci poterit vitam illam laboribus plenam, quam in carne nobiscum annos triginta tres peregisti? quis oblivisci poterit aerumnas ac contumelias, quas pro peccatis nostris libenter sustinuisti, vel mortem ignominiosam, cui pro vita nobis restituenda teipsum animo lubenti tradidisti? Haec omnia quis oblivisci poterit, cum etiamnum habeat te vere praesentem ante oculos, et quotidie liceat ei te contingere manibus et ore manducare, quem olim tanta pro se pertulisse credit?[a] *Titelman.*

Grato jam animo coenam sacram a te paratam adire cogito, suavissime Jesu! Ecce, pauper ego et debilis homo praedulcem illam accedo mensam, ubi manducabo te, ipsissimum Agnum Dei. Fac, ut digne comedam coelestem hunc cibum. Praepara cor meum ad celebrandum illud convivium, quod in tui memoriam adornasti. Adhaec oro te, divine Magister caritatis gratuitae: da mihi ceterisque fidelibus sincerum fraternitatis amorem, ut simus hospitales invicem, benigni, misericordes; ut afflictis in quacunque necessitate succurramus propter te, Domine Jesu, qui non venisti ministrari, sed ministrare. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Obedivi, Domine Jesu, voci tuae, me suaviter invitanti ad convivium tuum augustissimum. Accepi de mensa

tua cibum pretiosum, teipsum panem Angelorum. Pronus adoro te, divine Hospes animae meae! — Credo in te, Veritas aeterna! Spero in te, immensa Misericordia! — Amo te, summum Bonum! — Debitas tibi grates habeo pro stupenda liberalitate tua, qua me famulum tuum pauperem, debilem, claudum, caecum ac miserabilem admisisti ad coenam tuam magnam, ad sumendum sacrum corpus et sanguinem tuum.

„Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, propter inaestimabilem caritatem tuam, quae tantopere te adstringit miserrimo mortalium generi, ut relinquere ipsum non volueris in aeternum, etiamsi nunc ad Patris dexteram exaltatus sis. Ascendisti quidem in coelum: haud tamen abiisti a miserando humano genere. Discessurus enim pollicebaris dilectis tuis, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Complacuit tibi, Domine Jesu, ob infinitam divini cordis tui bonitatem, ut hic super terram aedificares tibi domum dignam ad inhabitandum, videlicet Ecclesiam tuam sanctam, in qua semper usque ad finem mundi firmus habitator permaneres. Ideo siquidem in terris visus et cum hominibus conversatus es, ideo tandem in cruce mortuus es, *ut filios Dei* (Joan. 11.) *qui erant dispersi, congregares in unum*, in unum aedificium, in unam domum, in unam sanctam Ecclesiam tuam; ut electos, quos praedestinaveras ad vitam et adoptionem filiorum Dei, a dispersione vitiorum et errorum per tuam mortem colligeres in unum, ex filiis dispersionis factos filios unitatis et pacis, ex filiis irae factos filios gratiae, ex filiis diaboli factos filios Dei.“ *Titelman. Hassel.*

O liberalissime Jesu, qui caritate gratuita te mihi hodie in cibum dedisti, effice, precor, ut, qui tam pre-

tiosa munera *gratis* accepi, *gratis* dare proximo de facultatibus meis non abnuam. Saepius in memoriam mihi revoca magnum illud praemium, quod *in resurrectione justorum* mihi dabis. Imo vero talem mihi tribue gratiam, ut omnino gratuita sit caritas mea, nec praemiorum mercedibus evocata. „Da mihi (quaeso) proximis exhibere opera misericordiae, compati afflictis, subvenire egenis, succurrere miseris, consolari moestos, recreare pauperes, neminem despicere, sed singulos honorare, bonos imitari, malos evitare, virtutes amplecti, vitia cavere, terrena calcare, coelestia desiderare. Ecce, Salvator meus! multa rogavi, qui nec pauca promerui. Fateor, ah fateor: non solum quae postulo, non debentur mihi dona, sed multa potius supplicia. Animant tamen me peccatores, qui, poenitudinis humilitate faucibus inimicorum erepti, sinu misericordiae tuae recipiuntur.“ *S. Ansel.*

Id unum adhuc a te peto, bone Jesu, ne unquam me permittas obstringi sacrilegio, vel indigne accedere divinam mensam tuam. Tandem in extrema valetudine mea debilem me conforta sacro viatico, ut ex hac lacrymarum valle transire merear ad aeternum illud convivium, quod in coelo parasti sanctis tuis. Amen.

FERIA IV.

Misericors Deus: 1) Convertere ergo peccator, Deus te exspectat — quaerit — suscipiet; 2) confide pusillanime, Deus te amavit — amat — amabit; sed 3) treme praesumtuose, qui speras veniam absque poenitentia — gratiam absque dispositione — coelum absque meritis.

PRECES ANTE MISSAM.

„Ad quem, o Jesu dulcissime, innumeris ego peccatis onustus confugiam, nisi ad te, fontem misericordiae? Itaque omnia mala mea, omnem ingratitudinem, sensualitatem, iracundiam, levitatem et omnem malitiam meam projicio in abyssum divinae tuae misericordiae, atque in sacratissima vulnera tua, quae accepisti salutis meae causa. Redemtor mitissime (*qui mulierem in adulterio deprehensam absolvisti*), oro te, ut omnia delicta mea pretioso sanguine tuo ita diluere velis, ut nulla apud te illorum memoria perseveret. O Jesu amabilis! o unicum Solatium meum! accedo nunc ad te pleno affectu et desiderio, te ferventissime amandi atque in cor meum recipiendi, ut unus tecum efficiar affectu, voluntate, amore. Jesu benignissime! tu es unica spes ac consolatio mea: et quantum me perturbant atque dejiciunt peccata mea, tantumdem me exhilarat et erigit immensa bonitas tua.“ *Blosi.*

„Divinam tuam erga homines bonitatem obstupescens Propheta (*Michaeas, c.* 7.) exclamavit: *Quis, Deus, similis tui, qui aufers iniquitatem?* Inenarrabili enim bonitate et sermonem omnem superante misericordia utens, Domine, non repetis ab hominibus poenas peccatis dignas: sed ubi castigatione adhibita exiguam animorum mutationem videris, dissimulas peccata hominum propter poenitentiam.“ *Theodoret.*

„Omnino propter magnam misericordiam, quae in te praedicatur, Domine Jesu, curro post te, audiens, quod pauperem non spernas et peccatorem non horreas. Enimvero non horruisti confitentem latronem, non peccatricem lacrymantem, non Chananaeam supplicantem, non mulierem in adulterio deprehensam, non se-

dentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non discipulorum persecutorem, nec ipsos crucifixores tuos." *S. Bernard.*

Talia dum intueor exempla bonitatis tuae, Domine! nihil amplius me retardare valet, quin ad te fontem misericordiae recurram. Multa quidem et magna admisi flagitia; sed dolenter omnia patefeci tuis sacerdotibus, quibus ligandi atque solvendi potestatem dedisti: et illi me criminum vinculis exsolverunt. Audire jam videor illud dulce verbum: *Nec ego te condemnabo.* Vadam igitur ad mensam tuam, o bone Jesu! Ibo fidenter ad sacrum altare, vehementer esuriens te panem vitae, sitiensque inexhaustum misericordiae fontem. *Ecce, Deus Salvator meus!* (Isai. 12.) *fiducialiter agam et non timebo.* Per istius virtutem sacrificii, quod tibi nunc offeram, miseris peccatoribus eam concede gratiam, ut absque cunctatione resipiscant et a pravis moribus se quantocius ad virtutis studium convertant, quo citius eorum nomina deleantur de libro mortis et transcribantur in librum vitae. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Fons misericordiae, Jesu Christe! suppliciter adoro te revera praesentem in corde meo. Stratus humi gratias ago tibi pro ingenti beneficio, quod iterum in templo tuo tribuisti mihi peccatori miserrimo. Humiliter a te veniam deprecor audaciae meae, qua mensam tuam purissimam accessi. Agnosco vitiosam temeritatem et inconsiderantiam meam, qua denuo tremendum altaris mysterium obtuli atque sumsi. Verumtamen adhuc in memoria habeo illam bonitatem magnam, illam admirabilem misericordiam, qua olim mulierem in adulterio

deprehensam absolvisti et in pace dimisisti. Spero itaque, bone Jesu, quod etiam mihi peccatori non tantum hodiernam audaciam, sed omnia quoque peccata mea condonaveris secundum multitudinem miserationum tuarum.

Jesu suavissime, Fons misericordiae! talem in te pono fiduciam, ut eam mortalium nemo mihi possit auferre. Sic confido in te, optime Salvator, ut aliunde nihil exspectem. Tua solummodo benevolentia nitor. Et quamvis saepius offenderim incomprehensam Majestatem tuam, nihilominus tamen ab immensa bonitate tua criminum meorum veniam ita spero, ut citius dubitarem de solis existentia, quam de tua misericordia, quae poenitentes omnes ac singulos in gratiam recipit. O bone Jesu! o Fons miserationum inexhauste! tantam modo fiduciam in te habeo, ut, si multo gravius peccassem, tamen non desperarem. Inclina te adhuc semel, o Jesu misericors! et, ubi deleveris iniquitates meas de libro mortis, scribe nomen meum in libro vitae.

„Domine, qui venisti in hunc mundum, peccatores salvos facere! rogo te per infinitam misericordiam tuam: emenda vitam meam, compone mores meos; tolle de me, quidquid mihi nocet tibique displicet. Da, quod nosti tibi placere et mihi prodesse. O dulcissime, benignissime, amabilissime Jesu! infunde (obsecro) multitudinem caritatis tuae pectori meo, ut nihil terrenum desiderem vel cogitem, sed te solum semper habeam in corde meo, semper in ore meo. Scribe digito tuo in pectore meo dulcissimam tui memoriam, nulla unquam oblivione delendam. Scribe in tabula cordis mei sanctissimam voluntatem tuam, ut omnia praecepta tua semper et ubique prae oculis habeam. Da mihi, bone Jesu, sanctum amorem tuum, qui me repleat, teneat totumque possideat.“ *S. Laur. Just.*

Utinam et evangelii tui veritatem, et meam erga te caritatem in terra scribere possem, non digito vel atramento, sed ipso sanguine meo ad ultimam usque guttam profuso! — Saltem ita me posthac geram (adjuvante gratia tua) ut etiam in coelo scribas nomen meum, quod jamjam in tuis manibus vulneratis descripsisti. O Jesu, Jesu! misericordiae Fons inexhauste! qui coram muliere peccatrice ad terram usque te inclinasti, tuoque digito bis in terra scripsisti, te submississime precor, ut, antequam modo discedas a me, scribas in corde meo haec et similia verba: *Fili mi, non est, quod timeas: nec ego te condemnabo; hic tecum ero protector tuus, ibi vero merces tua magna nimis.* Amen, amen, amen!!

FERIA V.

Nisi examen conscientiae quotidie instituas: 1) teipsum nunquam cognosces; 2) vitia tua non corriges; 3) solidam humilitatem non acquires; ideoque 4) vix aut ne vix quidem salvaberis; 5) (alios quoque ad hoc exercitium gravissimum aegre induces — difficulter eorum statum etc. cognosces — bene moderari eorum conscientias non poteris).

PRECES ANTE MISSAM.

Religionis nostrae mysterium hodie celebrantes adoramus te, Pater aeterne, Deus sancte et immense, qui lucem habitas inaccessibilem. Collaudamus incomprehensam omniscientiam tuam, qua omnia cognoscis praeterita, praesentia et futura, ita, ut nihil sive in coelo sive in terra lateat te. Offerimus tibi sanctissimum

missae sacrificium in gratiarum actionem pro illa benignitate tua, qua Filium tuum, unicam veritatis lucem, ad nos in terram misisti, eique multis modis testimonium perhibuisti. Per istius vim oblationis tribue nobis hanc gratiam, ut Unigenitum tuum, ipsissimam mundi lucem, sequamur, ne ambulemus in tenebris, sed ut habeamus lumen vitae. — Variis utique ludibriis fallax mundus oculos nostros ludificare ac hebetare nititur; cunctas enim rerum species adeo procul ostentat, ut appareant expetenda, quae reapse fugienda sunt; et appareant fugienda, quae sunt appetenda. Deus aeterne, Lux veritatis suavissima! has nebulas discute et dissipa, simulque sensus nostros illumina, ut noxia fugiamus, et quae nobis salutaria sunt, appetamus, atque te solum quaeramus fontem aeternae beatitudinis. Pater amantissime! collustra mentes nostras lumine tuo, et tribue nobis illarum notitiam rerum, quas ad salutem nostram profuturas esse praenoscis. Et quia satis multa sunt, quae cognitionem nostram effugiunt, nempe delicta occulta, peccata ignorantiae: ista clementer absterge, misericordissime Pater, ut decenti cordis puritate sacris operari mereamur. Per hujus virtutem sacrificii miserere omnium heterodoxorum ac infidelium, qui miserabiliter ambulant in tenebris et in umbra mortis. Aperi caecorum oculos ethnicorum, ut clare videant lumen vitae, Christumque firma fide sequentes salvi fiant. Memento etc.

Ad Christum. Lumen vitae, Lux mundi, Jesu Christe, cujus splendor ubique lucet in orbe terrarum! admitte me (precor) ad sacrosanctam mensam tuam, ut illic cor meum accendatur et illuminetur a te, qui solus hominum mentes illustrare vales. Sine te nihil est in me, nisi nox et caligo. Veni rursum in ulnas animae meae

reple me totum luce tua et dissipa tenebras ignorantiae meae. —

„Jesu Christe! rogo te, da mihi cordis contritionem, dum mysterium nostrae redemtionis recolo, dum sacro altari licet indignus adsisto, cupiens offerre ac sumere illud mirabile et coeleste sacrificium, omni reverentia et devotione dignum, quod tu, Domine Deus meus, instituisti et offeri praecepisti in commemorationem tuae caritatis, mortis scilicet pro salute nostra. Confirmetur mens mea inter tanta mysteria dulcedine praesentiae tuae. Sentiat te sibi adesse et laetetur coram te, o Ignis, qui semper luces! o Amor, qui semper ardes! dulcis Christe, bone Jesu, Lumen aeternum et indeficiens! Panis vitae, qui nos reficis, et in te non deficis; quotidie comederis et semper integer manes. Resplende mihi et accende me; illumina et sanctifica vas tuum, de malitia evacua, imple de gratia et plenum conserva: ut ad salutem animae meae manducem cibum carnis tuae, qualenus manducando te vivam de te, vivam per te, perveniam ad te, et requiescam in te. Qui vivis“ [1].

PRECES POST MISSAM.

Vix audeo levare mentis oculos ad te, Domine Jesu! Candor lucis aeternae! — Jure timeo, ne fulgor et gloria Majestatis tuae opprimat me. O Lumen immensum! Lumen immutabile! Lux mundi, quae non perstringis, sed illuminas oculos fidelium! ergone tu reipsa praesens in corde meo? — Utique, Amor mi! credo; et firmissime quidem credo, quod teipsum nunc amplector ulnis animae meae. Credo, quaecunque per Eo-

[1] Ex Manuali s. Aug.

clesiam tuam hominibus credenda proponis. In hac fide constanter ad mortem usque perseverabo. — Pronus adoro te, Jesu suavissime! vera Lux mundi hujus caliginosi! Tibi grates refero maximas pro singulari hac bonitate tua, qua rursum ad me venire tuoque sacro corpore et sanguine animam meam pascere dignatus es. Agnosco, Domine, quam beati sint, qui te lumen vitae sequuntur; sic pariter, quam infelices sint, qui te relicto ambulant in tenebris ignorantiae. Proinde mecum constitui, te sequi, tibi semper adhaerere. „Tu lux mundi, Domine! Tu lux filiorum lucis, in qua ambulant filii tui sine offensione; et sine qua omnes ambulant in tenebris, quia te lucem mundi non habent. Quo magis a te lumine vero quis elongatur, eo magis peccatorum involvitur tenebris; et quo magis est in tenebris, eo minus videt laqueos in via sua.“ *S. Aug.*

O Verbum omnipotens! tu dixisti in principio: *Fiat lux;* et facta est lux. Dic etiam intra me, sed dic efficaciter: *Fiat lux;* ut illustratus ego lumine tuo lucem a tenebris secernere valeam. Illumina mentis meae oculos, ne incidam in laqueos satanae, qui saepe *transfigurat se in Angelum lucis.* O mi Jesu! o Lux aeterna! illucesce mihi, quaeso, quo facilius possim discernere vera a falsis, aeterna a transitoriis, coelestia a terrenis, divina ab humanis, pretiosa a caducis. Rogo te, Lumen vitae, ut digneris irradiare animam meam, quo clarius videam omnia salutis pericula et remedia. Dirige gressus meos, *o Lux mundi*, ne unquam aberrem a virtutis tramite, sed ut animosius sequar te per dura et aspera. Perducito me ad diem aeternum illius patriae coelestis, ubi teipsum in lumine gloriae videndum praebes electis tuis. Peto et spero gratiam hanc ab infinita bonitate tua. Inter opacas saeculi praesenti

nebulas omnem in te pono fiduciam meam. Et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

„Rogo te, Lux veritatis, Christe Jesu, Germen benedicti Patris, Imago et Splendor substantiae ejus, qui sedes a dextris Majestatis ejus, incomprehensibilis Fili, investigabilis Christe, inscrutabilis Deus, Gloria et Gaudium diligentium te! Vita mea, Christe Jesu, salvum fac me peccatorem in regno tuo: et ne retribuas mihi secundum peccata mea, sed salvum me fac per gratiam tuam, et miserere mei secundum miserationes tuas, quoniam tu es Deus benedictus et laudabilis in saecula saeculorum. Amen.“ *S. Ephraem.*

FERIA VI.

Sacerdotis peccantis ingratitudo: 1) Obliviscitur tot tantorumque beneficiorum Dei; 2) rependit ea offensis; imo 3) abutitur eis ad offendendum benefactorem.

PRECES ANTE MISSAM.

Tantopere diligebas genus humanum, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut unigenitum Filium tuum pro hominibus redimendis in terram ad subeundam mortem crucis mittere dignatus sis. Te Deum ineffabilem adoro, laudo et invoco, sciens, te summam esse Bonitatem atque sempiternam electorum Beatitudinem. Et cum misericors sis super omnia, quid aliud es, quam ipsissima Misericordia? — Quid autem ego, nisi mera miseria et inopia? — Clementer itaque respice me, Deus

misericors! en ego coram te nunc compareo calamitosus atque miserabilis. Serpens ille antiquus suis me venenatis morsibus infecit ita, ut corruptionis virus penetraverit usque in animam meam. Necdum adversarius iste cessat insidiari mihi, ut me depravare omnique spe salutis orbare possit. — Quo confugiam in his angustiis, nisi ad te, benignissime Pater? Aspice miseriam et afflictionem meam; atque pro magna misericordia tua succurre mihi famulo tuo, ne corruptelarum illecebris transversum agar. Illa mihi bonitate subveni, qua sic dilexisti mundum, ut Unigenitum tuum tradideris in mortem crucis. Ablue me a peccatis meis in sanguine dilecti Filii tui, qui pro me peccatore pependit in ligno ac crudelem oppetiit mortem.

„Specta, gloriose Genitor, gratissimae Prolis tuae lacerata membra: et memorare benignus, quae mea substantia. Conspice Dei-Hominis poenas: et releva conditi hominis miserias. Vide Redemtoris supplicia: et dimitte redemti delicta. Intuere, Pater, Filium tuum dilectum, amore mei extensum in cruce. Cerne manus ejus innocuas, manantes sanguine: et remitte placatus scelera, quae patraverunt manus meae. Considera Filii tui amabile pectus crudeli perfossum cuspide: et renova me fonte illo sacrosancto, quem inde fluxisse credo. Vide, Pater, immaculatos ejus pedes, diris confixos clavis: et perfice gressus meos in semitis tuis. Fac me odio habere omnem viam iniquitatis: *viam iniquitatis amove a me;* facque me viam veritatis eligere. Oro te, Rex saeculorum, per hunc Redemtorem meum: fac me currere viam mandatorum tuorum.“ *S. Ansel.*

Pater amantissime! per virtutem incruenti hujus sacrificii, quod oblaturus sum hodie, da mihi et omnibus proximis meis, ut, quae placent tibi, faciamus semp

imitantes exemplar Unigeniti tui, qui humiliavit semetipsum, tibi factus obediens usque ad mortem crucis. Effice per gratiam tuam, misericors Pater, ut inter casus adversos obtemperemus tibi, tamquam filii morigeri. Miserere nostri per ignominiosam illam passionis humilitatem, quam Unigenitus tuus pro nobis sponte suscepit. Fac, ut isthac aetate, qua tot vitia grassantur in mundo, ex sanctae religionis nostrae praescripto vivamus in sanctitate et justitia; ne forte moriamur in peccato, sed ut post exactum vitae nostrae curriculum inveniamur inter paucos electos, quos suprema Majestas tua in aula coelesti congregabit praemioque felicitatis aeternae remunerabit. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Edendum mihi hodie dedisti, Jesu Christe, sacrosanctum corpus tuum, quod olim exaltatum et oblatum est in ara crucis pro humani generis salute. Maxima tuae caritatis admiratione captus adoro te, debitasque bonitati tuae grates habeo et habebo in perpetuum. Laudo aeternumque laudabo te dilectissimum Dei Filium, qui me rursum admisisti ad divinam mensam tuam, et coelesti pabulo recreasti languentem animam meam.

„Adoro te, Domine Jesu, et benedico tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum. Gratias ago tibi, Salvator mundi, quoniam dilexisti nos et lavisti nos a peccatis nostris in sanguine tuo, quem in ara crucis pro nostra salute fudisti. Dignus es, Domine Jesu, Agnus Dei, qui occisus es, accipere honorem et gloriam, quoniam fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes. Ave, Salus mundi, Verbum Patris, Hostia

sancta, Caro viva, Deitas perfecta, verus Homo! Ave, Rex noster, ave Redemtor noster! ave, Mediator et Advocatus noster! Te enim Pater dedit nobis propitiatorem in remissionem delictorum nostrorum. Tu es Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Tu hostia expiationis, victima holocausti, destructor simultatis, reconciliator dissidentium, illuminator sedentium in umbra mortis, omnium malorum dissipator et omnium bonorum largitor." *Titelman. Hassel.*

Jesu clementissime, qui testatus es de teipso, dicens: ***Ego, quae placita sunt Patri meo, facio semper;*** ostende mihi, quaeso, quo me provehere debeat exemplar tuum. Age mecum in omni re pro beneplacito tuo. Subjice tibi voluntatem meam; nihil enim melius obtingere mihi posse fateor, quam tuae me conformare voluntati, quae semper justa, semper sancta est. Si fortasse non expediat mihi, ut tibi serviam in pace, perturba quietem atque serenitatem dierum meorum. Ad crucem me trahe, Domine, si renuam morem gerere. Nuspiam alibi securus ambulo, nisi inter manus tuas. Perducito me ad coelestem patriam, in quacunque via placuerit tibi. Servitio tuo me devoveo. Bonitati tuae me committo. Sapientiae tuae me trado gubernandum. Fortitudini tuae penitus innitor. Misericordiae tuae firmiter adhaereo, et in sinu providentiae tuae suaviter requiesco. Nolo de illorum esse numero impiorum, qui suo viventes arbitratu despiciunt illas terribiles minas, quas olim in Judaeos iterato jactasti: ***Moriemini in peccatis vestris.***

„Proh miseram hominum conditionem, quorum mores dum ad disciplinae normam perpendo, tantam in eis corruptelam, depravationem et insaniam reperio, ut ipsi non ad beatitudinis praemium, sed ad inferorum

supplicia nati esse videantur. Quapropter mirari desino, si mors iisdem terroris tantum afferat, ut nihil supra. Tu, Domine Jesu, qui mortis habes potestatem, nos famulos tuos ex impuris aeternae mortis faucibus eripe. Salutiferum tuae crucis vexillum ad aeternitatem nos omnes comitetur, ut tua spe freti placide ex hac vita decedamus. Illud vero memorabile tui amoris pignus, tuum scilicet corpus et sanguis, quo toties refecti sumus, tunc in ipso mortis articulo nos ita fulciat, ut, te duce in tuto positi, tibi Patrique tuo et Spiritui sancto gratum animum profiteamur. Amen." *S. Ephr.*

SABBATO.

Morienti sacerdoti bono causa est laetitiae: 1) id, quod deserit (miseriae — periculum peccandi — exilium); 2) quod secum habet (gratia — merita — sacramenta Ecclesiae — preces animarum, quas adjuvit, salvavit); 3) quod exspectat (judex propitiatus — retributio aeterna).

PRECES ANTE MISSAM.

Pater omnipotens, aeterne Deus, cujus in nutu atque voluntate salutis nostrae cardo vertitur! hodie tibi offerimus sanctissimum novae legis sacrificium, gratias agentes pro certa spe futuri aliquando felicis de hoc mundo transitus et secuturae glorificationis, quam ab aeterno jam decretam ac praefinitam esse pie confidimus. Inveniamus, bone Pater, gratiam in conspectu tuo, ut, quod viribus nostris obtinere non possumus, per merita

Jesu Christi Filii tui et per intercessionem omnium sanctorum tuorum impetrare nos facias. Quia vero peccata nostra remoram faciunt, quo minus actiones nostrae pro coelesti gloria sint meritoriae, nobis illa clementer indulgeas. Ignosce nobis sacerdotibus tuis, quod hucusque nec fideles nec satis prudentes fuerimus dispensatores mysteriorum tuorum; et effice, quaesumus, ut saltem in posterum majore sollicitudine ministerium nostrum honorificemus. Praecinge lumbos nostros cingulo mortificationis ac continentiae, ut domitas habeamus cupiditates. Da nobis praeterea lucernas ardentes fidei ac caritatis, ut inter hujus saeculi tenebras secure pergamus viam salutis, et exemplo ad virtutem praeluceamus aliis. Credentibus singulis eam tribue gratiam, misericors Deus, ut quotidie parati sint ad emigrandum ex hac vita ad beatam immortalitatem. Da lethali morbo correptis, ut eucharistiae sacramentum, dulce viaticum morientium, mature, nec indigne, percipiant et intrepide mortis horam exspectent.

„Domine Deus, qui nos creasti et in hanc vitam protulisti; qui nobis viam ad salutem ostendisti et benigne mysteria coelestia revelasti; quique nos huic mysterio praefecisti in virtute sanctissimi Spiritus tui: placeat tibi, Domine Deus, ut simus ministri novi testamenti ac sacrificii immaculatorum mysteriorum tuorum; et admitte nos accedentes ad sanctum tuum altare secundum multitudinem misericordiae tuae: ut digni simus, qui offeramus tibi munera et sacrificium pro nobis et pro peccatis, quae populus per ignorantiam admisit. Da nobis, Domine, ut tibi cum omni metu ac pura conscientia hoc sacrificium incruentum offeramus. O Deus! respice in nos, et nostrum hoc rationale obsequium intuere. Fac, ut oblatio nostra grata et acce

tabilis sit per Spiritum sanctum sanctificata, in propitiationem peccatorum nostrorum et in requiem animarum eorum, qui ante nos dormierunt: ut et nos abjecti peccatores et indigni servi tui, digni tamen habiti, qui ministremus sancto altari tuo, mercedem accipiamus fidelium et prudentium dispensatorum, gratiamque inveniamus et misericordiam in die illa tremenda retributionis tuae justae" [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Summo gaudio dulcique solatio plena est anima mea, Domine Jesu, quia te rursum mecum habeo. Ingenti laetitia exultat spiritus meus in te Deo Salvatore meo. — Nunc, amabilissime Domine! nunc dimitte servum tuum in pace, dum te possideo in pectore meo. Quis mihi dabit, o Deus cordis mei, ut in amplexu tuo, in osculo pacis jam moriar? — O amoris mysterium! o res mirabilis! manducavit Dominum pauper servus et humilis! — Quo pacto dignas tibi referre potero grates, bone Jesu, pro singulari beneficentia tua, quam mihi hactenus exhibuisti et deinceps exhibebis? — Magna sunt et inaestimabilia, quae mihi jam tribuisti: sed longe majora et plura sunt, quae in futurum mihi promisisti. Dum enim mihi servo tuo, in terra lugenti, tam pretiosa dona quotidie ministras: quanta et qualia erunt illa bona, quae fideli servo tuo in coelesti patria ministrabis? —

Diligo te, amantissime Jesu! et tui solius amore detestor omnia peccata mea. Vah me servum ingratum, qui tali Domino tam negligenter servio!! Heu mihi! ut

[1] Ex Liturgia s. Jacobi Apost.

quid vivo? quare tamdiu vivo, qui tam male vivo? Ideo nempe diutius me vivere sinis, Domine, ut majore cura studeam me parare ad mortem. Qua hora non puto, ex hac vita vocabis me ad tribunal tuum. Redde me tibi fidelem ac prudentem servum, qui praeparat se ad aeternitatis ingressum et securus exspectat adventum Domini sui. Effice, precor, ut horam mortis finemque peregrinationis meae jugiter prae oculis habeam: et qui me docuisti pie sancteque vivere, doce me pariter pie sancteque mori.

„Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ultimo die vitae tuae in cruce pendens ideo septem illa verba dixisti, ut illa semper in memoria habeamus: rogo te per virtutem illorum septem verborum, ut indulgeas mihi, quidquid peccavi per septem vitia capitalia, scilicet per superbiam, avaritiam, luxuriam, invidiam, gulam, iram et acediam. Domine Jesu, qui moriens in cruce dixisti: *Pater, ignosce crucifigentibus me!* fac, ut et ego ex amore tui parcam omnibus mihi mala facientibus. — Dixisti Matri tuae: *Mulier, ecce filius tuus!* deinde discipulo: *Ecce Mater tua!* fac, ut Matri tuae me societ amor tuus et caritas vera. — Dixisti pio latroni: *Hodie mecum eris in paradiso;* fac me semper ita vivere, ut id ipsum mihi dicas in hora mortis meae. — Et sicut in cruce dixisti: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* fac me dicere in tempore tribulationis: Domine, parce mihi misero; rege me, Rex meus et Deus meus, qui tuo sanguine me redemisti. — Et qui dixisti: *Sitio,* scilicet salutem animarum; fac, ut et ego sitiam te fontem aquae viventis, et toto pectore quaeram aliorum salutem. — Et sicut dixisti: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* fac, ut et ego in hora mort

meae libere possim tibi dicere: Domine Jesu, in manus tuas commendo spiritum meum; recipe me venientem ad te, qui jam constituisti finem vitae meae. — In cruce tandem dixisti: *Consummatum est*, quod significabat, dolores, quos pro nobis susceperas, jam esse finitos; fac, ut tunc egrediens anima mea audire mereatur illam dulcissimam vocem tuam: *Veni, anima dilecta! quia jam decrevi consummare aerumnas tuas; veni, ut mecum ascendas epulari, jucundari ac commorari cum electis meis per infinita saecula saeculorum.* Amen, amen.“ *Beda Venerab.*

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Dilectio proximi est: 1) praecipuum Christi mandatum; 2) verum Christiani indicium; 3) sanctis sacerdotibus proprium; 4) amoris erga Deum signum — probatio — mensura; 5) fons multarum gratiarum — virtutum — meritorum.

PRECES ANTE MISSAM.

Bonorum omnium Largitor, aeterne Deus, qui es Bonum summum ac essentiale, Bonum infinito amore dignissimum: hodie tibi offerimus infiniti valoris sacrificium, in agnitionem supremi tui in nos dominii et in contestationem nostrae subjectionis. Gratias simul agimus tibi, Domine Deus, pro communicata nobis notitia tuae bonitatis amabilissimae; nec non pro universis beneficiis ab amore tuo in nos profectis, quibus ad tuum nos amorem allicis. Maximi jam beneficii loco id debe-

remus habere, si vel liceret tantum offerre tibi amorem nostrum: nunc autem non modo permittis, ut amemus te, sed jubes etiam; quin, nisi diligamus te, minaris insuper aeternitatis ignitae supplicia. Exinde satis intelligimus, quantopere cupias a nobis diligi.

Suscipe, Deus amabilissime, hoc sacrificium in expiationem et satisfactionem omnium offensarum, quas ingrati nos homines summae bonitati tuae hactenus irrogavimus. Propitiare nobis, clementissime Deus, quod neque te, neque proximos nostros (prout oportuisset) dilexerimus, sed multis potius injuriis et te et proximos offenderimus. Per infinita hujus sacrificii merita rogamus te, Domine Deus, ut in cordibus nostris perpetuum tuae caritatis ignem accendas. Largire nobis omnibus ardentem et tui et proximorum dilectionem. Fac, o Ens amabilissimum, ut diligenter exequamur illa duo mandata, in quibus universa lex pendet et Prophetae. Istud amoris sacramentum, quod a nobis hodie celebrabitur, augeat in nobis caritatem, ut super omnia diligamus te, proximos autem propter te.

Domine Deus! auxiliare, quaesumus, amicis et inimicis nostris. Propitius esto malevolis hostibus nostris, novatoribus irreligiosis, qui nos Romano-catholicos odio habent variisque vexationibus exagitant. Miserere hominum illorum barbarorum, qui nec te nec proximos amant. Omnium corda sunt in manu tua, Creator omnipotens! Universos peccatores ad te trahe funiculis caritatis tuae: nec enim ad te venire poterunt, nisi caritas tua traxerit illos. Da principibus et magistratibus christianis amorem justitiae, subditorum curam, et in Ecclesia tuenda constantiam. Benignis intuere oculis omnes miseros, tentatos, afflictos, aegrotos, et in quibuscunque periculis aut angustiis positos. Sicut oculi servorum in

manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad te, Domine Deus, donec miserearis nostri. Fac, ut in amore tui proximorumque crescamus in dies, et tandem in eo beate moriamur. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Habeo nunc in pectore meo Jesum, Filium Dei unigenitum, omni amore dignissimum. — O mi Jesu! teipsum — ego — mecum nunc fero in praecordiis meis. Te totum ac integrum, te Deum-Hominem in angusto cordis mei habitaculo veneror atque reipsa possideo. Quae conventio tanti Domini ad talem famulum? Obstupescite, coeli coelorum! admiramini singulare hoc amoris divini prodigium: Dominus bonus amat servum negligentem, et Fons infinitae bonitatis sese demisit in hanc speluncam iniquitatis. Ita sane: pulcherrimus coeli Machinator vult diligi a me foedo mundi purgamento. — „Quid tu mihi es, Domine Deus? vel quid tibi sum ego, ut amari te jubeas a me? et, nisi faciam, irascaris mihi et miniteris ingentes miserias? An forte parva est miseria, si non amem te?“ *S. Aug.*

O mi Jesu! o Deus cordis mei! nihil in terris melius, quam diligere te, nihilque miserius, quam non diligere te. — Cur itaque non amem te, o Jesu amantissime? Tu es Salvator meus, qui me semper amas; qui me specialiter amas; qui me sine fine amabis. Tu es Dominus infinite bonus et amabilis, infinite perfectus et sanctus, infinite justus atque beatus; qui etiam me vis esse perfectum et sanctum, justum atque beatum. Ideo revera de me optime fuisti meritus. Et ego (heu!) quam parum, quam frigide redamavi te!! Imo (quod pejus est) eo progressus sum audaciae, ut te saepius

offenderim et ad iracundiam provocaverim. Parum aberat, quin omnino perirem. Dudum me punire poteras, et pepercisti mihi, quoniam erga me semper longanimis ac clemens, semper bonus atque misericors eras.

„Quoties jam propemodum me absorbuerat ille draco tartareus? sed tu, Domine, ab ore ejus extraxisti me. Quoties ego peccavi? quoties ille jam paratus erat deglutire me? Sed tu, Domine Deus meus, defendisti me. Dum mandata tua infringebam, stabat ille paratus, ut me raperet ad infernum: sed tu prohibebas. Te offendebam ego, et tu defendebas me. Haec mihi, Domine, beneficia conferebas: et ego miser non agnoscebam. Si me tunc mors occupasset, infernus animam meam suscepisset et perpetuo damnatus fuissem. Sed tua misericordia praeveniebat me, eripiens me de morte corporis et de morte animae. Gratias ago tibi, licet impares beneficiis tuis. Totum me tibi offero, quoniam totum me liberasti, ut totum me possideres. Diligam te igitur, o Domine Deus meus! Jussisti in lege tua, ut diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea, totis viribus meis, et etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis et momentis, quibus fruor misericordiae tuae bonis. Omni momento me tibi obligas; dum omni momento nova mihi beneficia praestas. Sicut ergo nullum est temporis punctum in omni vita mea, quo tuis beneficiis non utor; ita nullum debet esse momentum, quo non diligam te ex omni fortitudine mea. Sed hoc praestare nequeo, nisi tu dederis mihi. Non enim est volentis, neque currentis, sed tui miserentis, ut diligam te. Tuum est, Domine, hoc donum, cujus est omne bonum. Jubes te diligi: da quod jubes, et jube quod vis.“ *S. Aug.*

Amabilissime Salvator! insere, quaeso, cordi meo

immutabilem tui et proximi dilectionem, utpote plenitudinem legis tuae. Oro te supplex ac obtestor, ut ipsam mihi prius vitam auferas, quam absque tui et proximorum amore me vivere sinas. Si cor meum inflammaveris igne caritatis tuae: nihil cogitabo nisi te, nihil desiderabo nisi te, non laborabo nisi pro te, non loquar nisi de te, non vivam nec respirabo nisi in te, Domine Deus meus! Qui vivis.

FERIA II.

Ut bene recites breviarium: 1) remove obstacula, locum et tempus selige opportunum; 2) animum praepara, intentionem elice, junge te tot sacerdotibus, imo Angelis et sanctis etc.; 3) saepius te collige; 4) nonnunquam meditationem institue de officii divini obligatione, praestantia, fine, modo illud persolvendi etc.

PRECES ANTE MISSAM.

Quotidie verum in Ecclesia tua sacrificium offerri voluisti, Jesu Christe, quia sempiternum habes sacerdotium. Quotidie secundum voluntatem tuam in templo peragitur oblatio munda, mysterium divinum. Et ad offerendum hoc sacrificium me quoque vocasti et dignitate sacerdotali decorasti. Sed, an ego peccator hodie rursus accedam altare tuum, o summe Sacerdos et Domine? Num iterum appropinquare ausim ad illud dulce convivium, cui adsistunt Angeli ministrantes? Domine! quid est homo, quia ita magnificas eum, ut liberrimus ei pateat accessus at tremenda tua mysteria, ad sancta sanctorum? Si majestatem, si altitudinem, si potentiam

et immensitatem tuam considero, Verbum Patris, totus expavesco ac contremisco. — Israëlitae quondam nimio pavore perterriti non ausi sunt ad montem Sinai propius accedere. Qua fronte jam ego indignus Ecclesiae minister, ego tot negligentiarum reus, praesumam adire thronum Majestatis tuae meisque manibus tractare sacramentum amoris tui? Qua confidentia ad aram immolabo et manducabo te summum sacerdotem et Dominum coeli et terrae? Enimvero tantum mihi non sumerem, nisi tua me animaret infinita bonitas, quae credentes pridem ad sacrum convivium invitavit, dicens: *Venite ad me omnes, et ego reficiam vos.* Ecce venio, benignissime Jesu, ut de mensa tua reficiatur esuriens anima mea. Adhaec alia vice dixisti: *Sinite parvulos venire ad me.* — Jam ecce, adsum, amantissime Domine! fiducialiter ad te venio, ut reddas me vere parvulum in oculis meis, vere parvulum humilitate ac mansuetudine. Amen.

Ad Patrem. Novi testamenti sacrificium offerimus tibi, Pater omnipotens, aeterne Deus, ad honorem adorandi nominis tui, et in agnitionem absolutissimi tui dominatus in omnes creaturas. Imploramus simul ineffabilem misericordiam tuam, ut hanc oblationem acceptare digneris in gratiarum actionem, maxime pro multiplici testimonio, quod de Christo, ceu summo sacerdote et Domino, perhibuerunt antiqui Prophetae, quos inter praecipuus cum psalmodia sua, in ecclesiis semper resonante, eminet David, Propheta regius ac Christi proavus. Largire nobis, augustissime Pater, ut beati Patriarchae, Prophetae ceterique justi legis antiquae, nunc in coelo regnantes, nostri in terris exilii memores, intercessione sua nos adjuvent ad obtinendam coelestis patriae felicitatem.

Misericordissime Pater! obsecramus te per Jesum Christum, summum sacerdotem et Dominum nostrum, ut nobis sacerdotibus omnes negligentias ac culpas condones, quas vel in celebratione missae sacrificii, vel in sacra hymnodia, vel in recitatione precum diurnarum admisimus. Respice, sancte Pater, in faciem Christi tui, qui sedet a dextris tuis, semper vivens ad interpellandum pro nobis, *de cetero exspectans* (Hebr. 10.) *donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.* Intuere, Pater, dilectum Filium tuum, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech; qui in diebus carnis suae preces supplicationesque cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia. Per infinita ejusdem merita tribue nobis omnibus, Christi nomen profitentibus, veniam peccatorum et augmentum omnium virtutum. Miserere Judaeorum aliorumque infidelium. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Genibus incurvatis animoque demisso te adoro, Jesu Christe, qui personaliter existis in corde meo. Supplex adoro et magnifico te, sedentem ad dexteram Patris, te summum sacerdotem et Dominum nostrum. Omni qua valeo reverentia et humilitate profundissima te veneror, unice Mediator et Advocate noster! Laudo et benedico te, praecipuum nostrae salutis auctorem, qui factus es omnibus obtemperantibus tibi causa salutis aeternae; qui sedes ad dexteram Patris, semper vivens ad interpellandum pro nobis. — Credo in te, Magister veracissime! — Spero in te, Sacerdos misericordissime! — Diligo te, Domine amabilissime! —

„Quem credam nobis Dominum obtingere posse tibi

similem, qui (sicut tu facis) improbos ac permolestos mores nostros tam patienter ferat? Omnem profecto admirationem vincit, quod, cum ante oculos tuos obversetur hominum iniquitas, non ideo tamen hunc mundum tua cura destituas. Ingens plane est tua in nos clementia, dilectio et longanimitas. Ecquis autem meritas tuae bonitati gratias agere valeat, quod pro nobis peccatoribus mortem subieris acerbissimam? Mortuus es Dominus innocens, ut nobis nocentibus servis tuis vitam adsereres. Vitae tuae nostram antetulisti vitam. Te nobis dedit Pater, eoquod aliquid te majus non haberet, quod nobis daret. Talem Patrem, qui te — te nobis donavit, quis satis laudare poterit?" *S. Ephr.*

„Tibi, Jesu Fili Dei, maximas debemus grates, quoniam ex obedientia Patris tui et desiderio salutis humanae libentissimo animo dira supplicia et probrosam crucis mortem suscepisti. Tu nobis factus es sacerdos, idem ipse hostia propitiationis et victima holocausti. Tu pro expiandis peccatis nostris ingressus es sancta, sed non sine sanguine; neque in sanguine alieno, ***neque per sanguinem hircorum aut vitulorum*** (Hebr. 9.) ***sed per proprium sanguinem*** introisti semel in sancta, aeterna redemtione inventa. Una enim oblatione in cruce consummasti in sempiternum sanctificatos: ut non opus sit per singulos dies pro expiandis delictis, quae quotidie committuntur, novam ac cruentam offerre victimam. Tu es ille sacerdos, qui per temetipsum ad propitiandum accedis Deum; et sacrificium facturus non aliam offers hostiam nisi teipsum, in oblationem acceptissimam Deo Patri et in odorem suavitatis. Neque tu, ceterorum more sacerdotum, sacrificium oblaturus adsistebas altari, sed pendebas in ara crucis, alligatus vinculis amoris; et dum in holocaustum cremabaris, o Jesu

non alius erat, qui portaret ignem et incenderet hostiam, sed teipsum interno igne totum inflammabas et comburebas. Igne videlicet amoris, quo semper ardebas, in ara crucis immolari voluisti. Tibi pro his omnibus aeterna debetur laus et gratiarum actio.“ *Titelman. Hassel.*

Jesu amantissime, qui es Dominus omnipotens, Dominus bonus et misericors, Dominus coeli et terrae: aperi caecorum oculos inimicorum tuorum, ut tandem errores suos abjiciant et cognoscant, quia nomen tibi Dominus, quia tu solus altissimus in omni terra. O Jesu dilectissime, qui es sacerdos in aeternum! da nobis fidelibus tuis, ut debita semper reverentia ac pietate rem sacram peragamus, missae sacrificio decenter adsistamus, ad divina haec mysteria nunquam indigne accedamus, et in fine vitae nostrae morientium sacramentis rite muniti demigremus ad immortalitatem beatam. Amen.

FERIA III.

Correctiones, quas adhibes, erunt sine fructu: 1) nisi ipse es probus et bonae famae; 2) nisi agis propter Deum (recta intentione) et cum Deo (orando); 3) nisi agis humiliter, prudenter et amanter.

PRECES ANTE MISSAM.

Oblaturus hodie sanctissimum missae sacrificium obsecro te, Domine Jesu Christe, ut ignoscas mihi vecordiam atque timiditatam, qua saepius omisi correctionem fraternam, a te maximopere commendatam. Ig-

naviae meae veniam ab infinita bonitate tua peto eoque confidentius spero, quo jam firmius mecum constitui, posthac istud praeceptum diligenter observare omnesque occasiones arripere lucrandi fratrem aberrantem. Adhaec praecepisti nobis, o Jesu mansuetissime, ut fratri nos offendenti non septies tantum ignoscamus, *sed usque septuagies septies.* Pro hoc mandato tuo, Domine, tibi grates habeo firmiterque propono, deinceps illud exacte servare. Singulis fratribus meis ex corde dimitto quasvis injurias mihi hactenus illatas et adhuc inferendas. Quodsi forte contigerit in posterum, ut etiam acerbioribus injuriis affligar a quodam fratrum meorum: nihilominus jam modo te deprecor, antequam id eveniat, ut dilecto huic fratri meo clementer ignoscas, mihi donum patientiae tribuas, et utrique veniam vitamque concedas aeternam.

„Domine Jesu Christe, Fili Dei viventis, Pastor et Agne, qui tollis peccatum mundi! remitte peccata nostra voluntaria et involuntaria, quae perpetravimus. Et si qui alii a mandatis tuis, ut homines carnem gestantes et hunc mundum inhabitantes, vel a diabolo seducti aberrarunt sive dicto sive facto: rogo et precor ineffabilem tuam benignitatem, ut ipsis omne delictum condones secundum bonitatem tuam. Age, Domine! exaudi orationem meam pro servis tuis et remitte, injuriarum immemor, omnia eorum errata. Libera eos ab aeterno supplicio, quoniam tu es Deus misericors“ [1].

Per vim et efficaciam istius sacrificii, Domine Jesu, largire nobis omnibus auxilium gratiae tuae, ut et correctionis fraternae modum a te praescriptum exacte servemus, et fratribus nostris sincere dimittamus toties,

[1] Ex Liturg. s. Jacobi Ap.

quoties in nos peccaverint. Scribe caritatis legem in cordibus nostris, ut, dilectione fraterna consentientes super terram, efficiamur digni, qui te semper hic et ibi habeamus in medio nostri. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Utut indignus sum loqui tecum, amantissime Jesu, Verbum incarnatum, silere tamen nequeo ad exhibitam mihi beneficentiam tuam, quae talis ac tanta est, ut omnem mihi metum adimat. Ideo pedibus tuis humiliter advolutus adoro te Deum Salvatorem meum. Laudo atque pro viribus magnifico singularem tuam clementiam, qua mihi famulo tuo cunctarum veniam noxarum et sacrosanctam vitae alimoniam dedisti, non modo septies, sed usque septuagies septies, imo et pluries. Pro eximia hac et inexhausta bonitate tua grates tibi habeo maximas, quandoquidem pares referre nunquam potero.

„Gratias ago tibi, Domine Jesu, pro inenarrabili clementia tua, qua potestatem rite poenitentes a peccatis absolvendi tradidisti Apostolis tuis, et in illis etiam cunctis sacerdotibus, illorum successoribus tuisque hac in parte vicariis, dum ipse discipulis tuis dixisti: *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Desperata foret salus peccatoris, nisi tu, Domine, hoc poenitentiae sacramentum instituisses: est enim unica naufragantium tabula, per quam mortis aeternae periculum evadere possunt, quicunque peccati naufragium fecerunt. Est hoc inexhaustae tuae miserationis evidens testimonium, quod non semel tantum, neque bis aut ter ad istud poenitentiae sacramentum nobis concedis reditum, *sed usque septuagies*

septies; sed toties, quoties peccatorem relabi contigerit, si de commissis in te offensis (ut opus est) ex animo doluerit, hoc poenitentiae sacramentum ad recipiendam animae vitam accedere poterit. Neque sacramentum istud nos unquam potest destituere, quamdiu vitae halitus permanserit in corpore. O bonitas! o misericordia![a] [1]

Jesu clementissime! conserva me meosque fratres universos in sinu Ecclesiae tuae catholicae, quia nuspiam alibi spes salutis esse potest. Fac nos semper ac constanter adhaerere Ecclesiae, veritatis magistrae, cui quisquis adversatur, tibi adversatur ac contradicit; a qua quisquis seipsum separat, te penitus amittit; a qua quisquis diversa contumaciter sentit, teipsum abnegat; et quisquis eandem non audierit, teste te *sicut ethnicus et publicanus* habendus est. Effice, quaeso, mitissime Salvator, ut diligenter observemus fraternae correctionis modum ac ordinem, a te nobis dictatum atque praestitutum. Amove a nobis omnibus ignaviam et timiditatem, quae plerumque facit, ut correctio fraterna praetermittatur. Da nobis animos impavidos ad exequendum istud praeceptum tuum, ne forte culpa nostra (quod absit) aeternum pereant immortales animae, quarum pro salute vitam in cruce posuisti. Talem in nobis fraternitatis amorem excita, ut toties, quoties in nos peccaverit frater noster, ex animo dimittamus ei, quo facilius tandem omnes illuc perveniamus, ubi justos omnes congregabis in unum, futurus semper in medio eorum. Qui vivis.

[1] Auctor recens sed anonymus.

FERIA IV.

Cognitio tui ipsius: 1) quantopere et cur tibi sit necessaria (ad deponenda peccata, vitanda pericula, acquirendas virtutes, moderandas conscientias); 2) cur tam difficilis (ob caecitatem ex peccato contractam, amorem proprium, adulationem); 3) quibus mediis comparetur (meditatione, lectione, examine conscientiae etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Majestas divina! Lux suavis et indeficiens, omnia perlustrans a summo coelorum usque ad ima terrarum! ecce, miseri nos ac caeci homines te suppliciter adoramus, captivantes intellectum nostrum in obsequium fidei. In signum nostrae subjectionis offerimus tibi dilectum Filium tuum, infiniti valoris hostiam. Suscipe, sancte Pater, eucharisticum hoc sacrificium in gratiarum actionem pro mirabili clementia tua, qua Splendorem gloriae tuae, unigenitum Filium tuum ad nos in terram misisti, ut ipse (velut sol oriens ex alto) veritatis lumine caecas illuminaret nationes, quae tamdiu sederant in errorum tenebris et in umbra mortis. Offerimus tibi, Pater, incruentam placationis victimam in expiationem omnium culparum, quas admisimus obcaecati pravis affectionibus ac cupiditatibus nostris. Divino tuo lumine rempublicam christianam dirige in via salutis aeternae. Misericorditer opitulare cunctis fidelibus, ne heterodoxorum erroribus involvantur. Propitius esto caecis cavillatoribus, qui non verentur rimari vel inficiari magna religionis nostrae mysteria. Vitiis ac cupiditatibus excaecatos homines illustra luce tua, omnesque servos tuos ducito per hujus saeculi tenebras ad lumen

aeternae gloriae tuae, ad supernam electorum patriam. Memento NN.

Ad Christum. Infirmus ego ac caecutiens homo ad te venio, Domine Jesu Christe, qui prope Jericho mendicum, oculis captum, ad te adduci jussisti. Magno certe gaudio solatioque perfundebatur ille caecus, cum ad te duceretur, ut visum reciperet. Pari me laetitia ac consolatione replet illa vox tua, qua me ceterosque famulos tuos ad te accersivisti, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* En, amantissime Salvator! adibo mensam tuam, ut accipiam immortalitatis epulum.

„Domine Jesu Christe! per hoc venerabile fidei mysterium tradis teipsum mihi, ut discam ex ejus suavitate cognoscere te, diligere te, laudare te. Aperi igitur, Amor melliflue! aperi mentis meae oculos, ut irradiatus fidei lumine merear videre te. Dilata, Domine, affectum meum ad digne suscipiendum te; ut, eruditus a te, quaeram te per te, ut requiescam in te omnium bonorum fonte. Tu, Domine Jesu, moerentium es consolator, peregrinantium comes, aberrantium via, protector humilium, fortitudo fidelium, spes poenitentium, merces justorum. Tu es salus mundi, triumphator inferni, dux ad patriam, beatorum gloria, sanctorum corona, Angelorum Dominus, supernae civitatis inextinguibile lumen. Tu es principium sine principio, tu candor lucis aeternae, speculum sine macula, splendor divinae majestatis, imago paternae bonitatis. Tu sapientiae thesaurus, aeternitatis abyssus, caritatis incendium, Verbum continens omnia, vita vivificans omnia, bonitas sustentans omnia.“ *S. Laur. Just.*

Ingenti nunc aviditate curro ad te, Domine Jevotis omnibus adsistere cupio divinae mensae tuae

ibi te lucem magnam digitis meis teneam atque praecordiis suscipiam. Ad instar illius caeci mendicabuli clamo ad te: *Jesu, Fili David, miserere mei!* Exorna cor meum omni virtutum decore, ut praecelsum ac venerabile hoc sacramentum et decenter offeram, et (quoad ejus fieri poterit) digne percipiam ad animae meae salutem aeternam. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Salve, dulcissime Jesu! Candor lucis aeternae! vix audeo respicere Majestatis tuae splendorem, quo perstringitur oculorum meorum acies. Supplex adoro te praesentem in corde meo. Realis haec praesentia tua, sicut ex una parte multum mihi trepidationis facit, ita ex altera parte laetificat animam meam. Recordor enim illius benignitatis tuae, qua olim mendico caeco, ad te perducto, visum illico restituisti. Haud absimile mihi beneficium exhibuisti. Laudo singularem tuam in me benevolentiam, qua me peccatorem miserrimum ad te revocasti, caecutientem sanasti, deviantem reduxisti; quin etiam esurientem me pretioso cibasti convivio, nempe sacramento corporis et sanguinis tui. Diligo te, bone Jesu! et amore tui vehementer doleo, quod toties offenderim te. Vae caecitati meae! vae tenebris meis, in quibus tamdiu jacebam et quasi caecus sedebam secus viam salutis aeternae!

Necdum omnia clare perspicio, quae pro vocationis meae officio perspicere deberem. Plane multa sunt, quae, licet aeternae saluti meae serviant, fugiunt tamen aciem mentis meae. Quapropter et ego cum illo mendicabulo caeco te fortiter inclamo: *Jesu, Fili David, miserere mei.* Magna quidem infidelium turba me

premit ac increpat, ut taceam; at eo magis clamo: *Miserere mei, Fili Dei! — o Fili Dei, miserere mei!* Fac, *ut videam* inania saeculi crepundia, voluptatum venena, honorum praecipitia, divitiarum pericula. *Domine! fac, ut videam* hostium meorum insidias, exitiosa mundi lenocinia, virtutis praestantiam, temporis pretium et gravissimum aevi sempiterni pondus. Illumina oculos meos, *ut videam* eximiam dignitatem et extremam indignitatem meam; *ut videam* meas praerogativas atque noxas, ut exinde discam me humiliare et emendare.

„O Domine Jesu! probe nosti, durum esse, quod me premit, passionum mearum jugum. Quemadmodum vinctus in antro subterraneo, aut captivus in tenebris sub ferro premente suspirat et liberationem anhelat: ita et anima mea in tenebroso passionum carcere captiva gemit, bene cognoscens, sine te, o Sol aeterne, lucem se videre non posse. Hi autem ipsi gemitus, quibus anima mea deplorat miseriam suam, tuae sunt bonitatis radii. Libera me igitur, Redemtor omnipotens! salvum me fac, o Salvator meus! Instar mancipii meum desidero liberatorem; instar mendici meum anhelo adjutorem; instar infirmi meum quaero medicum; velut caecus in tenebris collocatus a te peto lucem. Fac igitur, Domine, ut caecitas et infirmitas et miseria mea aliquando finiantur“ [1].

Jesu dilectissime, qui mendicum illum a caecitate liberasti, liberatumque permovisti, ut te sequeretur in via: similem mihi gratiam impertire. Te perenixe precor, ut augeas in me veritatis ac fidei lumen, ne sim ex illorum numero, qui tenebras suas diligunt; qui di-

[1] Palafox Cardinal.

centes, se esse sapientes ac illuminatos, in tenebris arroganter ambulant, et nesciunt, ubi corruant. O Lux admirabilis et delectabilis: noverim te, noverim me. Magis magisque revela oculos meos, ut, quae mihi sint agenda, videam, et tuis semper inhaeream vestigiis. Te quidem jamjam video, sed quasi *per speculum in aenigmate;* nunc agnosco te tantum *ex parte*, quia nemini mortalium in hac vita conceditur, ut te perfecte possit intueri et agnoscere. Fac igitur, ut ego denique liberatus de corpore mortis hujus introire merear in regnum coelorum, ubi electi tui vident te videntem omnia, et in te vident omnia. Qui vivis.

FERIA V.

Aeternus Deus et immutabilis; quare: 1) in ipso confide, non in hominibus etc.; 2) apud ipsum quaere felicitatem, non in rebus transitoriis; 3) ipsum time poenasque aeternas, non mala praetereuntia.

PRECES ANTE MISSAM.

„Potentissime, sapientissime, optime et altissime Deus! adoramus te et confitemur tibi, quoniam in omni perfectione tua longe superas et immenso intervallo post te relinquis universas creaturas, adeo, ut nihil alicubi reperiri queat, neque in coelo, neque in terra, quod tuae superexcellenti celsitudini vel ex parte minima comparari valeat. Et inter alias perfectiones tuas consideranda nobis sese praebet illa tua aeterna duratio, indeficiens aeternitas, qua sine principio ante omne principium et sine fine, tam in tua essentia, quam in

omni tua perfectione, semper idem perseveras, tuae durationis initium aeque nesciens atque terminum. *Priusquam montes fierent* (Psal. 89.) *aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus. Regnum tuum* (Ps. 144.) *regnum omnium saeculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem*" [1].

Sancte Pater, Antique dierum! offerimus adorandae Majestati tuae sacrificium altaris in gratiarum actionem pro beneficiis, quibus indignos nos famulos tuos assidue cumulas; nec non in satisfactionem delictorum nostrorum. Concede nobis, sempiterne Deus, ut, quae per coaeternum Filium tuum nobis revelasti, mysteria firmissime credamus, ut animorum demissionem praeferamus superbiae, et in simplicitate cordis ac sinceritate mentis altissima consiliorum tuorum arcana non perscrutemur, sed admiremur. Fac, optime Pater, ut verba tua non tantum audiamus corporeis auribus, sed illa potius excipiamus aure cordis nostri, atque sermonem aeterni Verbi tui constantissime servemus, quo certius obtineamus vitae sempiternae gaudia. Memento etc.

Ad Christum. Fili Dei sempiterne! Domine Jesu Christe! timeo rursus aram tuam adire, dum infinitam majestatem tuam meamque simul indignitatem intueor. Heu! quam ingens discrimen est inter sacerdotii sanctitatem et morum meorum levitatem! „*Tibi soli peccavi*, Domine, qui solus universis hominibus dicere potes: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Tu, bone Jesu, qui solus es sine peccato, tu solus me potes arguere de peccato. Tu solus, o Dominus meus et Deus meus, potes me de peccato meo absolvere vel damnar

[1] Titelman. Hassel.

Et si me condemnaveris, nemo poterit me absolvere, quia *tibi soli peccavi, et malum coram te feci.* Heu mihi, Domine! quia, dum malum coram te feci, meipsum (quem tu solus bonus bonum in baptismo feceras), malum feci. Nunc autem timor et tremor veniunt super me, quia non ignoro, quod malos male perdas: inter quos nec mihi parces, nisi placabilis fueris super malitia mea. Nimium audax fui, quia coram te feci, quod coram hominibus non fecissem. Sed ecce! nunc coram te de peccatis meis erubesco et doleo. Parce mihi, Deus meus, *ut justificeris in sermonibus tuis*, qui (*Ezech.* 33.) dixisti: *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.*" *Urban. III. P.*

„Credo, Domine Jesu, te verum esse Filium Dei, qui in hunc mundum venisti ad salvandos peccatores, quorum primus ego sum. Credo, quod in sacra mensa tua est immaculatum corpus tuum et pretiosus sanguis tuus. Te deprecor, Domine! miserere mei et remitte mihi delicta mea, in dictis et factis scienter vel ignoranter admissa. Dignare me citra judicium fieri participem mysteriorum tuorum, in remissionem peccatorum et in vitam aeternam. Amen." *S. Chrysost.*

PRECES POST MISSAM.

Adoro te, Domine Jesu Christe, sempiterne Fili Dei, qui teipsum mihi donasti et revera nunc in corde meo versari dignaris. Supplex adoro te, qui non solum eras, *antequam Abraham fieret*, sed ab aeterno ante omnem creaturam a Patre natus, eidem per omnia coaequalis es, secundum aeternam generationem tuam nec minor Patre neque posterior. Tu aeternus es Candor

Lucis aeternae, Lumen de Lumine, Verbum aeviternum, quod in principio erat apud Deum, et sine quo factum est nihil. — Haec omnia dum mecum attente considero, jure demiror hanc bonitatem tuam, qua teipsum mihi tribuisti in cibum animae meae. Pro dulci hoc vitae epulo debitas tibi grates habeo, bone Jesu, atque pro illo sermone, quo coram Judaeis aperte declarasti te sempiternum Dei Patris Filium. Utinam moribus meis semper glorificassem te Unigenitum Altissimi! Verum agnosco fateorque temeritatem meam, qua multoties inhonoravi te. Oro, ne a facie tua projicias me sperantem in te.

„Magna mihi consolatio est, Domine, in illo verbo tuo: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Nescit equidem homo, utrum amore vel odio dignus sit. Certitudinem utique non habemus; et hoc est, unde semper in timore et tremore humiliemur sub potenti manu tua, Domine! quoniam, quales sumus, nosse quidem possumus, saltem ex parte: sed quales futuri simus, id nosse penitus impossibile nobis est. Inter illa tamen, quae fiduciam mihi praestant et materiam spei, unum illud maximum est, quod dixisti: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*“ S. Bernard.

Domine Jesu! tu scis, quod Dei verba pronis accipiam auribus. Non verba hujus saeculi, neque sciolorum vaniloquia, sed tua verba libenter audio, scribo, praedico, loquor atque meditor; ideoque me *ex Deo*, seu de numero electorum esse spero. — Jesu, Fili Dei sempiterne, qui Judaeos te lapidare volentes reliquisti, te abscondisti et existi de templo: vehementer rogo te, ne coram mentis meae oculis abscondas te. Nam si absconderes te, o Lux vera! quid esset in me, nisi nox tenebricosa? Si absconderes te, o Veritas aeterna! quid

dominaretur in me, nisi mendacium? Si absconderes te, o unicum Gaudium meum! quid aliud mihi restaret, nisi moeror et dolor assiduus? Noli me miserum ita punire, sed obversare mihi semper ante oculos meos, quo alacrius tibi serviam.

Jesu omnipotens! in moderna hac rerum perturbatione, in tam funesta temporum caligine, qua tot hostes Ecclesiam tuam exagitant, adesto nobis Romano-catholicis, ut indubitata fide te verum Dei Filium confiteamur, adoremus atque veneremur. Et quia nobis mortalibus impossibile est, aeternam generationem tuam enarrare vel comprehendere, rogamus te, o Splendor aeternae gloriae! illucesce mentibus nostris, ut te in Patre et Patrem in te videamus; ut in fidei nostrae confessione semper ad mortem usque permanentes, et in omni opere bono fructificantes, digni tandem inveniamur introduci in apertam visionem aeternae claritatis et gloriae divinae, quae tibi cum Patre tuo et cum Spiritu sancto coaequalis est in saecula saeculorum. Amen.

FERIA VI.

1) Ita cura animam tuam, ut non negligas animas aliorum; 2) ita cura animas commissas, ut non negligas tuam; imo 3) cura animarum serviat tibi ad propriam sanctificationem, et cura propriae salutis fructuosam reddat pastoralem tuam sollicitudinem.

PRECES ANTE MISSAM.

Erubesco, Pater omnipotens, aeterne Deus, accedere thronum Majestatis tuae et tuum subire conspectum. Ad imaginem tuam creasti animam meam, eidemque

necessaria dedisti subsidia, ut tibi serviret vitamque consequeretur aeternam. Sed o me miserum! anima mea tum ob peccatum originale, tum ob culpas actuales obnoxia fuit aeternae morti. Et nisi misericorditer adjuvisses me, jam dudum habitaret in inferno anima mea. Tu mihi poenitentiae tribuisti gratiam efficacem, et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Quoniam mihi non erat possibile id praestare, quod tua a me postulabat justitia, nempe pro peccatis meis satisfacere coelumque condigno emere pretio: aperuisti, bone Pater, inexhaustum misericordiae tuae thesaurum, ut ex abundantia tua meam suppleres inopiam et haberem, unde tibi satisfacere possem. Ex investigabili bonitate coaequalem tibi Filium in hanc terram misisti, ut ipse naturam humanam assumeret, animam meam magno sanguinis sui pretio redimeret, eamque delictorum vinculis solutam ad coeleste regnum deduceret.

Video, Pater amantissime, quam carae et pretiosae tibi sint hominum animae. Nam ut beatae immortalitatis compotes fierent animae nostrae, proprio tuo Filio non pepercisti, sed eum morti crudelissimae tradidisti. Nullus aequior rerum aestimator est, ac tu, Pater aeterne! Impensum est tale pretium, ut anima humana jam Deum ipsum valere cernatur. Ignominiosum mortis genus subiit Unigenitus tuus, ut tibi et sibi acquireret animas nostras. In memoriam ejusdem passionis ac mortis offero tibi, Pater, hoc missae sacrificium, enixissime supplicans, ut ab omni peccandi periculo me custodire digneris, ne immortalis anima mea (Divinitatis tuae imago nobilissima) labem aliquam contrahat aeternumque pereat.

„Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter s

viatur: largire mihi indigno sacerdoti tuo, ut omnes cogitationes et affectiones meas ad te dirigam. Illumina cor meum gratia sancti Spiritus et ignitum mihi eloquium tribue, ut omni excussa negligentia officium meum bene prosequar, optatum praedicationis fructum efficaciter consequar, animarum mihi concreditarum salutem promoveam, in omnibus tibi placeam et per omnia te digne magnificem: quatenus et auditores mei per me in via virtutis ita proficiant, ut ego cum illis, et ipsi mecum exspectata et destinata laborum nostrorum aeterna praemia simul percipere mereamur" [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Redemtor mundi! Jesu misericors! te pronus adoro, laudo et pro viribus magnifico. Nullus dubito, quin teipsum vere praesentem in intimo pectore meo habeam atque possideam. Ingenti me gaudio replent illa verba: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo.* O mi Jesu! te veneror atque glorifico, non tantum ut hospitem, sed etiam ut proprietarium animae meae: tibi namque complacuit animam meam emere et ab interitu redimere pretio magno. Certe salus mea tibi multo sanguine stetit. Ex toto corde meo diligo te, Jesu, Fili Dei! tibique grates refero pro stupenda caritate tua, qua mihi dedisti vitam tuam in pretium, carnem tuam in edulium, sanguinem tuum in potum. Totus sum tuus, Domine! trado meipsum in manus tuas, paratus, tibi diligentius servire nihilque nisi ex voluntate tua facere. Recipe me, Salvator, in amantissimi cordis tui

[1] Osualdus Fischer.

sacrarium, ibique torpentem animam meam igne caritatis tuae magis ac magis accende. Ibidem me protege contra daemonum insidias. Inimici mei animam meam circumdederunt, ut auferant eam et ad interitum trahant secum. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi; neque permittas, ut praedae sim hostibus meis. Tuus sum ego, salvum me fac. Ad te pertineo, Domine, qui redemisti me. *Intende animae meae* (Psalm. 68.) *et libera eam*, quam adeo caram tibi semper habuisti, ut pro ejus salute non dubitaveris in durissimo crucis stipite suspendi et inclinato capite mori. O Redemtor amabilis! *Intende animae meae*, imo *tuae:* tua est enim anima mea, quam tibi emisti sanguinis tui pretio vere magno, et quotidie reficis sacrosancto altaris convivio.

„Dulcissime et benignissime Domine Jesu Christe, qui fons bonitatis es et misericordiae! oro te per flagella, per omnes plagas, quas pro me pertulisti, per spineam coronam, quam in capite tuo portasti: *miserere animae meae.* Oro te per amarissimam mortem tuam, quam in cruce passus es: *miserere animae meae*, quam veneno malitiae non parum infectam invenio. Fateor, dulcissime Jesu, coram te iniquitates meas, quas intus patitur anima mea miserrima. Quid faciam, o Domine Jesu, Redemtor et Amator hominum? Quo me vertam ego tantis circumdatus malis? O infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Dulcissime Jesu! miserere peccatricis animae meae. Intende miseriae ejus et libera eam; propter inimicos ejus eripe eam. Illumina oculos ejus, ne unquam obdormiat in morte, ne quando dicat inimicus meus: Praevalui adversus eam. Expugna impugnantes eam: apprehende arma et scutum et exurge in adjutoriu

ejus. Credo, Domine Jesu, quia, si scuto bonae voluntatis tuae defendas animam meam, quam creasti et redemisti, nullius jacula inimici, etsi foris ac intus saevire tentaverit, animam, quam defendis, ullo modo superare poterunt. Misericordissime Domine Jesu! sana animam meam multis malis obrutam, multis iniquitatibus maculatam. Sana et adjuva eam, a te creatam, a te redemtam, a te nutritam. Sustenta conatum ejus; conforta desiderium ejus. Concede ei, Domine, hoc spatium vitae, quamdiu in hoc mundo conversabitur, ita percurrere, ac cunctas iniquitates suas per ineffabilem misericordiam tuam sic emundare et per veram poenitentiam abstergere; ut tua largiente indulgentissima bonitate, ab omni labe vitiorum purgata et correcta, post mortem carnis ad te dulcissimum Creatorem et Redemtorem suum pervenire valeat, tuamque inenarrabilem gloriam cum omnibus sanctis tuis in aeterna felicitate possidere per infinita saecula. Amen.[a] *S. Anselm.*

SABBATO.

Magna sacerdotum dignitas; sunt enim: 1) in domo Dei spirituales columnae; 2) in corpore Ecclesiae oculi et manus; 3) in navi gubernatores; 4) in exercitu duces. Qualis ergo esse debes?

PRECES ANTE MISSAM.

Dulcissime Jesu! Domine Deus aeque terribilis ac desiderabilis! o Verbum aeternum, per quod omnia facta sunt! tibi debitum adorationis cultum tribuo dolensque confiteor, quod hucusque parum aestimaverim

multiplicia liberalitatis tuae beneficia. Cum nullum mihi prae aliis jus competeret, ut homo nascerer, cum neque tibi neque mundo huic necessarius essem: prae innumeris tamen aliis in fide salvifica natus sum et educatus in sinu Ecclesiae catholicae, cujus extra gremium nulla salus. Video nationes conterminas sectarum erroribus implicatas ac misere dementatas; fidei donum, aliis negatum, mihi concessum. O inaestimabilis gratia! o beneficium insigne! —

Sed ne hos quidem intra limites stetit tua in me beneficentia, Domine Jesu! Ut tibi quotidie proximus adstarem, intimis tuis ministris me pariter adnumerasti et supra commune vulgas me evexisti. Longe beatior est nunc conditio mea, quam illius olim erat hominis, cujus de corpore infernalem inquilinum exesse jubebas. Volebat ille comitem se tibi adjungere tuoque lateri semper adhaerere. Propterea te suppliciter obsecrabat, ut esset tecum. Rem grandem postulabat. Audisti precantem, sed non exaudisti nec admisisti. — Erga me autem, o quam bonus, quam benevolus fuisti, Domine Jesu! Nullis interpositis precibus meis, nullis omnino meritis meis in tuum me familiarem et domesticum assumsisti, ut (dum in vivis agam) ego tecum, et tu mecum esses. Ad altaris ministerium ex mera benevolentia tua me vocasti, quin imo (si rerum ordinem mecum reputo) compulisti etiam.

Agnosco, Domine, venerorque providentiam tuam, quae tam mirabiliter ad statum clericalem me perduxit. Verumtamen intime doleo, quod tantae gratiae congrua morum innocentia non responderim. Si cuidam alteri hujus honoris amplitudo fuisset delata, studiosius ille, quam ego, mores suos ad istius officii normam composuisset. Quid enim a me peractum hucusque? Pu

doletque meminisse. Remisso languidoque fui animo in sacris functionibus meis. — Sed deinceps non sic. Quod erratum est, emendabo, Domine! Ad frugem redibo melioremque vitae rationem inchoabo.

Unde vero mihi necessarias ad id vires hauriam? Bene mihi per te provisum est, o bone Jesu! Parasti in conspectu meo mensam, ubi vires meas reficiam. Timeo quidem accedere propius, quia Deus terribilis es. Sed, cum aeque sciam, quod Dominus sis suavis atque desiderabilis, avide revertor ad divina mysteria tua. Sicut olim magna turba trans fretum te exspectavit ingentique gaudio excepit: ita et ego te rursum hospitio recipere cupio. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Domine, qui es fons vitae. Cupide progrediar ad aram, ut te complectar, o Jesu desiderabilis! — Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Habes, quod desiderasti, anima mea! possides nunc Amorem tuum; vere habes, quem anhelasti; tenes, quem unice diligis. Lauda, anima mea, Dominum infinite bonum, Filium Dei summe desiderabilem et amabilem! — Ignosce mihi, Jesu, talem hilaritatis excessum, et aequi bonique consule hoc gaudium meum, quod ex amicabili praesentia tua nunc capio. Exultat spiritus meus in te, qui ab aeterno dilexisti me. — Quis me fortunatior homo? — Amor meus diligit me; Amor meus in ulnis animae meae. — O mi Jesu! o Deus cordis mei! cur in amplexu tuo non emorior? Quidni lacrymas saltem effundo ante pedes tuos? — Amabilissime Jesu qui caritate perpetua prae millenis hominibus me complexus es: te semper redamabo ex totis viribus meis.

Tu es Deus immensus, adeoque sine mensura diligendus. Ecquis non diligat te, Redemtor amantissime, qui propter nos homines tam magna fecisti, tam multa pertulisti? Suavis insuper et dulcis est amor tuus.

„Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te! Solet aliquando, quod absconditur, diligentius investigari, et inventum ardentius amari. Amor tuus non est transitorius, sed aeternus. Qui te diligunt, non tepescunt, sed magis exardescunt amore ac desiderio tui. Memoria tui super mel dulcis, et meditatio de te plusquam esca suavissima. Tecum loqui, plena est refectio; te nosse, perfecta consolatio; tibi semper adhaerere, vita aeterna; a te separari, mors perpetua. Tu es fons vitae his, qui te sitiunt; tu esca indeficiens his, qui te esuriunt; tu gloria te quaerentibus; tu gaudium invenientibus. Vox tua suscitat mortuos; aspectus tuus curat aegros; verbum tuum fugat daemones; lux tua omnem discutit caliginem; visitatio tua cunctam repellit tristitiam. Nulla tecum indigentia; nulla tecum molestia. Ubi tu, ibi nullus est dolor, nulla difficultas; ibi nec tenebrae, nec terror gehennae; procul illinc abest labor senectutis, taedium aegritudinis et timor mortis.“ *S. Ansel.*

Jesu dulcissime! pace ac consolatione tua reple animum meum, qui tot inter rerum perturbationes saepe tristissimis vexatur curis. Accende cor meum inextinguibili caritatis igne, ut totus ardeam in dilectionis tuae dulcedine. Fac, o Deus summe desiderabilis et amabilis, ut tui amore plenus deponam grave pondus inutilium desideriorum molestamque sarcinam rerum humanarum, quae multum hactenus aggravarunt animam meam. Da, precor, ut praeter te nihil quaeram, nihil cupiam. Audi me, suavissime Jesu! ac clementer exaudi me. Qu'

hodie satiasti desiderium meum, effice praeterea, quod omnibus votis exopto, nempe ut te videam facie ad faciem in coelis. Amen.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Paralyticus imago sacerdotis tepidi: 1) non surgit — elevando cor suum ad Deum, in oratione etc.; 2) non graditur — in via perfectionis; 3) non laborat — in vinea Domini.

PRECES ANTE MISSAM.

Sancte Pater, aeterne Deus! altaris sacrificium offerimus tibi, gratias agentes pro benignitate tua, qua nos dignos fecisti in partem sortis sanctorum, eripiens nos de potestate tenebrarum et transferens in regnum Filii dilectionis tuae, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Per infinita ejusdem merita esto placabilis super malitia nostra; quae licet oppido magna sit, haud tamen abjicimus spem nostram, sed imploramus misericordiam tuam. Illustra faciem tuam super servos tuos et miserere nobis. Inclina corda nostra ad te, ut alacriter ambulemus in via virtutis, tibi per omnia placentes et in omni opere bono fructificantes. Bone Pater, qui dilecto Filio tuo dedisti potestatem, in terra dimittendi peccata: remitte nobis iniquitates nostras et averte iram tuam a nobis. *Offerentes tibi hostiam propitiationis misericordia tua nos praeveniat; et admirabili bonitate, qua nos fecisti, ignosce peccantibus: ut opera manuum*

tuarum, Unigeniti tui sanguine redemta, non patiaris interire [1]. Memento etc.

Ad Christum. Misericordissime Jesu, qui aliquando paralytici peccatoris misertus, eundem filii nomine appellasti et ab animae corporisque morbo liberasti: en, miser ego et miserabilis homo, periculosa peccati paralysi languens, ad te venio, ad te suspirans oculos meos dirigo. Sana me turpi tepiditatis vitio laborantem, et ab omnibus culpis ac negligentiis me clementer emunda, ne indigne tractem mysteria tua.

„Domine Jesu Christe, Deus noster, summam habens potestatem in terra dimittendi peccata, utpote summe bonus et benevolus erga homines: omnia mihi delicta remitte, quae scienter aut ignoranter admisi; atque dignare me, ut citra condemnationem particeps efficiar divini sacramenti, non in supplicium, non in accessionem criminum, sed in purificationem, in sanctificationem, in pignus vitae aeternae, in expulsionem adversariorum, in abolitionem multitudinis delictorum meorum. Tu enim es Deus infinitae misericordiae“ [2].

Audire jam mihi videor in aure cordis mei vocem tuam, Domine, dicentem mihi: *Confide, fili! remittuntur tibi peccata tua; ne timeas: faciam in te misericordiam, et tu comedes panem in mensa mea semper.* — Quis ego sum servus tuus, Domine, quoniam adeo benigne me respicis? Quis ego sum, ut talem mihi praestes benevolentiam? Laetatus sum in his, quae dixisti mihi: in domum tuam ibo, Domine! fiducialiter adibo mensam tuam divinam, ut teipsum panem vivum comedam, ut calicem salutis accipiam, quo

[1] Missal. Bellovac. [2] S. Joan. Damascen. lib. orat. veterum Graecorum.

facilius in arcta via progredi atque migrare valeam in domum aeternitatis meae. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Beneficentiam tuam, quam mihi servo tuo continenter exhibes, amantissime Jesu, satis admirari nequeo. Si mecum expendam, quis tu, quis ego: non possum non obstupescere singularem tuam in me caritatem. Humiliter adoro te, Domine Jesu, omnipotens animarum Medice, qui nunc corporaliter habitas in corde meo, non ut me damnes aut punias, sed ut novo me tibi devincias beneficio. O quam misericors semper erga me peccatorem miserrimum fuisti! Propter aeternam salutem meam non solum humanae mortalitatis aerumnas sponte suscepisti mortemque crucis subiisti; nec tantum in Ecclesiae tuae gremio me liberaliter educari literisque humanioribus institui fecisti; sed a multis etiam periculis integrum me conservasti. Cum aberrarem, reduxisti me; cum peccarem, tolerasti me; cum vacillarem, roborasti me; cum caderem, erexisti me; cum lugerem, recreasti me; cum esurirem, convivio sacro cibasti me.

Haec et innumera alia mihi beneficia tribuisti, Domine Jesu, de quibus omnino dulce mihi est semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, semperque laudare et amare te. Utinam millena mihi forent corda, quibus te continuo diligere possem! O mi Jesu! quid faciam ad testandum tibi amorem meum? Tua confortatus ope divina strenue certabo adversus inimicorum meorum incursus. Necessarium vero auxilium eo confidentius a te spero et expeto, quo plura cernuntur infinitae misericordiae tuae prodigia. Inveterata quidem est acedia

mea, qua ceu paralysi hucusque laboravi oppressusque jacui. Sed istius etiam vitii veniam ac curationem a te spero. *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo.* Nullus sane desperationi locus est; nec animo cado, sciens, quod misericordia tua limitibus careat.

Paralytico illi, quem in lecto jacentem offerebant tibi, Domine, dixisti: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* O verba consolatoria! — En, et ego in te credo, in te spero, te diligo. Num a facie tua me projicies, o Jesu, qui paralytici peccatoris misertus es? — Tantum abest, ut afflictum me diutius in miseria mea jacere patiaris, ut amice potius mihi subvenias et dicas: *Confide, fili, dimissa sunt tibi peccata tua: surge jam et vade in domum tuam.* Surgam itaque solatio plenus et ibo domum ad labores meos, quibus exantlatis tandem me suscipies in domum tuam, in aulam coelestem. Amen.

FERIA II.

1) Facile sacerdotes mittuntur in purgatorium (propter defectuum multitudinem — tepiditatis frequentiam — poenitentiae negligentiam); et tamen 2) durissima est poena purgatorii pro sacerdote (recordatio praeteriti — passio praesens — suspensio gloriae futurae).

PRECES ANTE MISSAM.

Quo mea me perduxit inconsiderantia? — O Pater amantissime, Deus misericors! agnosco fateorque contumaciam et ingratitudinem meam. Necessaria mihi

largitus es vitae spiritualis subsidia: sed ego, velut arbor arida, nullos protuli fructus bonos. Imo saepius offendi te, qui tot donis ornasti me. Dolor me cruciat acerbissimus, qui lacrymis non minuitur, sed augetur. Ah! quid egi miser? Offendi Numen amabilissimum, Ens immensum, Bonum summum. — Tu nosti, bone Deus, Pater omniscie! quanto poenitentiae luctu jam occupetur animus meus. En! advolutus throno misericordiae tuae peto veniam criminum meorum. Ignosce servo tuo poenitenti. Miserere mei secundum multitudinem miserationum tuarum.

„Creator totius creaturae! dignare me indignum famulum tuum indumento justitiae induere, ut pura mente ante conspectum tuum adsistere merear. Dignare me mundare, lavare, exornare ac benigne suscipere, ut in sanctorum tuorum merear exultatione laetari, ut emundatus ab omnibus peccatorum sordibus consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum: meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriae conscientiae gravat" [1].

Deus longanimis et multum misericors, qui nos miserrimos et ingratos peccatores tamdiu hactenus ad poenitentiam exspectasti: concede, quaesumus, ut in vicem nostrae gratitudinis pro hac longanimitate tua, simulque in satisfactionem pro peccatis nostris, hostiam tibi gratissimam offeramus. Per infinita Unigeniti tui merita fac nos impetrare, ut morum emendationem non ultra differamus, sed absque mora meliorem vitae rationem incipiamus, festinantes tecum nos reconciliare per fructus dignos poenitentiae, ne forsan intempestiva morte praeoccupati et bonis operibus vacui, velut ar-

[1] Ex Missa latina, saec. VII.

bores infructuosae mittamur in ignem aeternum. Et quia nostra pertinacia tuam offendit patientiam, cordis nostri duritiem tua gratia sic corrige, sic frange, ut admissa flagitia defleamus, et deflenda non amplius admittamus. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Officii mei est, amantissime Jesu, tibi gratias agere pro eximia bonitate tua, qua mihi prae mille aliis hominibus ad aram tuam hodie accessum praebuisti tuique fecisti copiam. Sed quas dignas ego — tibi grates rependere vel laudes dicere potero. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Vix audeo sordidus ego peccator oculos meos ad te levare. O magne Deus! pudore simul et timore magno afficior, dum et terribilem majestatem tuam, et abominabilem foeditatem meam intueor. Nisi tua me animaret immensa misericordia, Domine Jesu, esset profecto, cur animo caderem, tibi loqui desinerem, et in angulo quodam meipsum assidue deplorarem. At cum sciam, te Salvatorem esse infinite bonum, confidenter effundo in conspectu tuo orationem meam, et tribulationem meam ante te pronuntio.

„Fateor, Domine Jesu, quod hactenus fuerim arbor infructuosa, ideoque damnabilis. Taedet animam meam vitae meae, quam operibus bonis vacuam, malis vero plenam invenio. Quid ergo restat mihi misero peccatori, nisi ut posthac per totam vitam meam deplorem totam vitam meam? — *Omnis arbor* (Matth. 7.) *quae non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Heu fulmen terribile! Agnosco enim me lignum aridum aeternis flammis dignissimum. Sola infelicis aeternitatis recordatio mihi jam satis esse de-

bet ad luctum assidue continuandum. Vae mihi, qui Omnipotentis iram in me provocavi! Angustiae me premunt undique. Supra Judex iratus, infra horrendum inferni chaos; intus remordens conscientia, foris pugnae difficiles; a dextris atque sinistris pericula quam plurima. Num ista non sufficiant ad juges lacrymas diu noctuque sorbendas?" *S. Anselm.*

„Turpissimam ingrati animi culpam admisi, Jesu liberalissime! Quo pacto dinumerare potero dona gratiae tuae in me collata, quae miser ego contemsi per socordiam meam? Innumeris me cumulasti muneribus; sed infelix ego contraria tibi rependi. Verum tu, Domine! tu longanimitatis pelagus, tu miserationum abyssus, ne permittas, ut tamquam infructuosa ficulnea exscindar; neque festines me immaturum e vita evellere." *S. Ephraem.*

Dimitte me et hoc anno, bone Jesu! usquedum poenitentiae operibus satisfecerim justitiae tuae. Noli me imparatum evocare ad tribunal tuum, mecumque patienter age. Memorare, quae mea substantia, et miserere mei, dum tempus est miserendi. Obsecro te, Domine! propitius esto mihi peccatori. Cor mundum crea in me, Deus! et, ne corruptelarum illecebris succumbam, confige timore tuo carnes meas. Imo totum me igne amoris tui succende, ita, ut eodem ad extremum usque vitae halitum ardeam, et tandem absoluto spiritali certamine, confecto vitae cursu, et peractis omnibus vocationis ac poenitentiae laboribus, velut frugifera ficulnea transferri merear in paradisum voluptatis aeternae. Amen.

FERIA III.

Etiam justus: 1) cadit (ex infirmitate — negligentia — seductione); 2) surgit (cito — cum dolore — animo tamen quieto); 3) pro futuro satisfacit — cavet — orat.

PRECES ANTE MISSAM.

Lux mundi! Jesu Christe, qui mendicum a nativitate caecum oculorum acie mirabiliter instruxisti! en et ego caecus immundusque peccator aditum ad te quaero, ut aeque magnum a te beneficium accipiam. Immota fide credo, quod in altaris sacramento velut in nube delitescas, Sol justitiae! quo facilius oculi nostri ferre queant immensae Majestatis tuae splendorem. Vadam igitur ad aram tuam, ubi te non tantum immolabo, sed etiam manducabo. Utinam animum meum ab omni scelerum macula rite lavassem lacrymis! utinam salutari poenitentiae lavacro diluissem universas conscientiae sordes ad te digne recipiendum in corde meo! Domine Jesu! amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

„Et quoniam mihi liberrimus ad thronum clementiae tuae patet aditus, praesta, Domine, ut ulcera mea videam, eisque salutarem poenitentiae medelam afferam. Interim vero, dum misericordiae dies mihi conceduntur, pro salute mea excubandum est. *Venit nox* (sicut nos admones) *quando nemo potest operari.* Ratum ergo fixumque est, circumfusam vitiorum caliginem perrumpere et ad solem festinare. Enimvero tamdiu errasse me pudet, dolensque revertor ad te. Fraude diaboli circumventus insanire coepi, abdomini servire

inerti torpescere otio. Attamen, si tribus ille me modis decepit, tribus item enitar, ejusdem evadere laqueos: caritate nimirum, quae torpentes accendit; spe, quae iniquos ad justitiam allicit; et fide, quae proposita veritate, quasi porrecta manu, sustinet labantes et infirmos corroborat." *S. Ephr.*

Benignissime Jesu! per dolorosam mortem tuam, quam hodie recolimus ad altare tuum, obsecramus te, ut digneris illuminare mentes nostras ad agnoscendam divinam voluntatem tuam. Aperi oculos nostros, o Lux mundi! quo facilius discernamus verum a falso; ne forsan a bonis apparentibus, a vanis saeculi gaudiis, vel a corruptelarum illecebris nos fascinari patiamur: sed ut potius sinceras illas verasque cupiamus delicias ac consolationes, quas servis tuis impertiri assoles. Miserere infelicium heterodoxorum, eisque fidei donum largire, ut errorum suorum caligine depulsa contumaciam suam exuant, et agnoscentes suam caecitatem, ad lucem veritatis illico redeant. Da nobis omnibus, ut in lumine fidei constanter et alacriter ambulemus, donec tandem ad incomprehensibile lumen aeternae gloriae feliciter pertingamus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Devotione qua possum maxima veneror et adoro te, Domine Jesu Christe, qui longe praestantiori me beneficio nuno affecisti, quam mendicum illum a nativitate caecum, cui visum misericorditer tribuisti. Illum enim nondum sanatum a te dimisisti, dicens: *Vade;* me autem ad te propius accedere jussisti, ut reficeres me, laboribus oneratum. — Illum ablegasti ad natatoriam Siloë, ubi se lavaret undis et lutum abstergeret ab oculis:

me autem admisisti ad divinam mensam tuam, ut ibi nutrirem me pretioso corporis et sanguinis tui convivio. — Ille, cum accepta videndi facultate rediret, non inveniebat te, neque sciebat, ubi esses: sed ego plane scio, te nunc corporaliter habitare in pectore meo. O stupendum amoris miraculum! —

Quid retribuam tibi, Domine, pro singulari hoc beneficio, quod denuo mihi praestitisti? Talis est donorum tuorum excellentia, ut debitis tibi gratiis rependendis sim impar. Non habeo nisi cor unum ad te redamandum. Ideo semper amabo te, et diligenter observabo me ab iniquitate mea, qua pluries hactenus offendi te. Firmissime constitui mecum, amore tui quaevis ardua peragere, quaevis dura perpeti. — Quid autem miser ego caecusque homuncio possum, nisi tu mihi mentis oculos aperias? O mi bone Jesu! nisi tu mihi subvenias, nisi dexteram tuam mihi porrigas, in nimia caligine ac caecitate mea vacillabo, titubabo, peribo.

„Domine Jesu, lumen indeficiens! illumina tenebras meas, ut te solem justitiae clarius videam, ardentius diligam, et in te solum obtutus meos defigam. Adjuva me, Domine Jesu, quia infirmus sum; et propitius esto mihi misero, quia peccavi nimis. Oriatur lux tua cogitationibus meis, ut radiis tuis exhilarentur; quia tu es sol, complens omnia luce tua. Obsecro, Domine, ut omnes maculae vitae meae tuo sanguine deleantur, et corpore tuo abstergantur occultae labes cogitationum mearum.“ *S. Ephr.*

Praesta, misericordissime Salvator, ut abstinentiis, vigiliis, lacrymis aliisque poenitentiae laboribus praeterita piacula mea diluere contendam, *donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Fac me constanter operari, dum lumen vitae habeo, ne tenebrae

mortis imparatum me comprehendant. — O Jesu, lux mundi! vide periculum animarum multarum, quae fraude serpentis antiqui et impiorum machinatione novos quotidie errores imbibunt. Miserere caecorum istorum, ne pereant. Da, bone Jesu, ut, simul ac aliquam contraxerimus noxam, mox ad natatoriam poenitentiae recurramus, ibique conscientias nostras abluamus ab omni reatus macula. Fac nos ita vivere, ita mori, ut tuis adnumerari mereamur electis, quibus aeterna in coelo felicitate frui concedis. Qui vivis.

FERIA IV.

Si contumeliis afficeris, Jesum imitans: 1) noli irasci vel par pari reddere; 2) aut tace aut (si falso accusaris) simpliciter explica veritatem; 3) cetera remitte Deo. (Sic possidebis animam tuam, nonnunquam etiam aliorum.)

PRECES ANTE MISSAM.

Honoramus et debito adorationis cultu veneramur te, Pater omnipotens, aeterne Deus! Offerimus tibi missae sacrificium, maxime pro impetranda gratia tua, qua nobis opus est ad tolerandas tot impiorum injurias. Nosti, quam atrociter affligantur fideles ab heterodoxis. Improbi veritatis osores omni vexationis genere premunt amicos tuos. In his angustiis atque pressuris, quo confugiamus, non habemus, nisi teipsum, Patrem nostrum optimum, cujus providentia gubernat omnia. Sub paternae castigationis tuae virga humiliter inclinati rogamus te, ut Ecclesiae tuae subvenias in hac calamitate,

ne sancta haec mater nostra paganorum crudelitate diutius laceretur.

„Oramus te, Domine Deus, ne nos unquam patiaris ab Ecclesiae unitate deviare. Custodi nos ab impiis, qui sanctorum Apostolorum ac Patrum Ecclesiae doctrinam evertere conantur. Respice, clementissime Deus, o unicum Christianismi afflictissimi perfugium! respice (te obtestamur) oculis infinitae misericordiae tuae pusillum hunc gregem catholicum, quem multis hactenus in periculis conservasti. Illumina tenebras cordium nostrorum, ut unanimi consensu communique doloris sensu peccata nostra, tamquam causam omnis miseriae et calamitatis, humiliter agnoscamus, vera cordis contritione confiteamur, et dignis poenitentiae fructibus castigemus et expiemus, nosque tibi, o fortissime Liberator, oblationem sanctam et vivam offeramus, quae tibi in unione passionis et mortis Filii tui sic accepta sit, ut in gratiam a te recepti, et forti brachio tuo, quo jam saepius populum tuum e manibus inimicorum tuorum fortiter eruisti, contra hostium nostrorum iram defensi atque protecti maneamus“ [1].

Domine Deus, qui conteris bella ab initio: erige brachium tuum sicut ab initio, et allide virtutem illorum in virtute tua; cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua et dejicere gladio suo cornu altaris tui [2]. Pater omnipotens! extingue principum christianorum odia dissidiaque, ne forsan inde schismata vel scandala oriantur in Ecclesia tua. Largire nobis sacerdotibus talem animorum magnitudinem, ut hostium injurias fortiter per-

[1] Ex Manuali Joan. Suicardi Ep. Mogunt.
[2] Judith. 9.

feramus, neque vereamur edicere veritatem. Miserere paganorum et Judaeorum, qui hucusque blasphemabant Christum tuum. Fac, ut Ecclesia tua de multiplicato filiorum grege laetetur. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Consolator animi mei! Jesu delectabilis! ingenti me gaudio complet jucundissima haec praesentia tua. Domine! vix meipsum prae laetitia capio, dum specialem tuam erga me benevolentiam considero. Ubinam satis verborum inveniam, quibus tibi debitas persolvam grates pro coelesti hoc epulo, quo me refecisti? — Mendicus ille accepta videndi facultate cum a Judaeis interrogaretur: *Quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* respóndit: *Propheta est.* — Quid dicam ego de te, bone Jesu, qui aperuisti mentis meae oculos et parasti in conspectu meo mensam, ubi multoties accipio divinae tuae affluentiam largitatis? Quod credo, dico: Tu es Unigenitus Altissimi, Verbum caro factum, Salvator mundi, Homo-Deus. Pro hac assertione paratus sum mortis supplicium subire vitamque cum sanguine profundere.

Bone Jesu, qui per summum nefas a Judaeis blasphematus et *homo peccator* appellatus es: quo pacto conqueri potero, si forsan ab invidis hominibus ut peccator traducar ego, qui revera talis sum? — Tu Sanctus sanctorum, Patri coaequalis Filius, temetipsum exinanisti, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo. Peccatoris etiam nomen aequo animo pro me tulisti. — Doleo de superbia mea, qua renui pro tali peccatore haberi, qualis revera sum. Saltem in posterum imitari conabor humilitatem tuam. Non gravabor

audire peccator, sed esse. Da mihi gratiam efficacem, mitissime Redemtor, ut deinceps assidue *cultor Dei* maneam ejusque voluntatem faciam. Sat diu caecus fui peccator, et in illa mentis caecitate saepius inepta cogitavi, absurda blateravi, nefanda patravi.

„Sana me, Domine, et sanabor; tu solus es misericors medicus. Tuam ergo benignitatem obtestor: Illumina oculos mentis meae, ut tuam erga me beneficentiam melius agnoscam. Ecce, peccata mea affligunt me, et infirmitâtes meae coarctant me: tu autem infinite misericors es. O Domine Jesu, qui aperuisti oculos caeci: aperi quoque oculos mentis meae, ut eos semper in tuum decorem defixos habeam. Qui posuisti mari terminum: pone etiam terminum cordi meo per gratiam tuam, ut non declinet ad dexteram vel sinistram a pulchritudine tua. Qui aquam in solitudine praebuisti populo incredulo atque contradicenti: da mihi compunctionem et lacrymas oculis meis, ut plangam meipsum die ac nocte, cunctis diebus vitae meae, cum omni humilitate ac cordis puritate. Exaudi, Domine, orationem servi tui per intercessionem omnium sanctorum tuorum: Qui es Deus benedictus in saecula. Amen.“ *S. Ephraem.*

FERIA V.

Ut sacramenta digne administres: 1) magnam de eis concipe aestimationem, meditare necessitatem, dignitatem etc.; 2) bene addisce doctrinam de sacramentis eorumque ceremonias etc.; 3) cura, ut sis in statu gratiae; 4) orationem praeparatoriam semper praemitte

PRECES ANTE MISSAM.

„Omnipotens Deus, Pater D. N. J. C, miserere nostri propter Filium tuum dilectum. Hunc tibi pro peccatis nostris suppliciter offerimus et devote praesentamus; nihil enim habemus nobilius aut pretiosius unigenito Filio tuo. Hunc ad tremendam Majestatem tuam dirigimus advocatum nostrum, eumque constituimus mediatorem inter te et nos miseros peccatores. Eundem adorandum Filium tuum mittimus intercessorem, per quem confidimus, omnium nos delictorum veniam impetrare posse. Quidquid enim ipse fecit aut passus est, omne id propter redemtionem nostram factum est. — Credimus, adorandum Filium tuum, a te missum in terras, humanam suscepisse naturam, in qua propter nos laboribus est fractus, sudoribus perfusus, jejuniis maceratus, vigiliis afflictus, itineribus fatigatus, opprobriis vexatus, et denique flagris dilaniatus ac in mortem traditus. — Haec est, o Pater, victima placationis et propitiatio pro peccatis nostris. Aspice Redemtorem, et ne despicias redemtos; ecce, Pater! unigenitus Filius tuus, pastor bonus, errabundas tibi restituit oviculas, quas ei quaerendas commisisti. Ecce! carissimus Natus tuus reconciliavit tibi creaturas, quae procul a te deviaverant. Reddit conspectui tuo servos, quos propria conscientia fecerat fugitivos. Parce nobis, Domine Deus, propter Filii tui dilecti intercessionem. Te offendere possumus per nos, sed placare te non valemus per nos. Filius tuus nostram assumsit humanitatem, ut nostram sanaret infirmitatem, ut nos tibi plene reconciliaret, ut se pro nobis offerret et ubique sacrificium laudis immolaret. — Ecce, Pater! hic tuus Unigenitus est unica
es et fiducia nostra. Si nos pro nostra (ut dignum

est,) abjicis iniquitate, clementer nos respice pro dilecti Filii tui caritate. Dum ipsius tibi patent sacra vulnera, tegantur et delitescant in eis nostra scelera. Et quoniam caro nostra te provocavit ad iracundiam, caro, quam induit Unigenitus tuus, flectat te ad misericordiam. Et sicut caro nostra seduxit nos ad culpam, ita caro Filii tui reducat nos ad veniam. Te igitur obsecramus, ut nos participes facias amarissimae passionis ac mortis, quam pro nobis sustinuit dilectus Filius tuus" [1].

Offerimus tibi, clementissime Pater, incruentum altaris sacrificium in memoriam ejusdem mortis Salvatoris nostri, supplicantes, ut omnium miserearis infidelium atque novatorum excaecatorum, qui jam evanuerunt in cogitationibus suis; qui, dicentes se esse sapientes ac illuminatos, stulti facti sunt. Gratiae tuae lumen impertire deplorandis hominibus illis, qui hucusque non solum negarunt adorandam Unigeniti tui divinitatem, sed etiam atheismi commenta rursum in orbem terrarum revehere conati sunt. Per hujus sacrificii virtutem oramus te, sancte Pater! conforta nos adversus impiorum machinationes et injurias, ne forte succumbamus eorum minis aut blanditiis. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Fili Dei vivi! Domine Jesu Christe! suppliciter adoro te Deum Salvatorem meum, quem omnes Angeli in coelis et omnes justi in terris adorant ac collaudant. Credo, Domine, te realiter adesse in altaris sacramento, et proin nunc in corde meo versari. Pronus igitur et

[1] Jo. Fab. in prec. christ.

omni reverentia cultum latriae, tibi tribuo debitumque homagium praesto. Caecus ille, cujus aperuisti oculos, summo certe repletus est gaudio, dum eidem interroganti, quis esset Dei Filius, aperte dixisti: *Qui loquitur tecum, ipse est.* Gratulor mihimetipsi, cui permissum est loqui Redemtori meo, Dei Filio, Verbo incarnato. O beatum me, quem infinita bonitas tua, Domine, novis in dies beneficiis cumulat et omnium bonorum affluentia ditat! Amore perpetuo me complexus es. Vitam in cruce pro me posuisti, tuumque mihi corpus et sanguinem in cibum et potum dedisti saepissime. Pro tot tantisque donis tuis utinam tibi debitum adorationis laudisque tributum solvendo essem! At infirmus ego vilisque homo quo pacto praestare id potero, quod vel ipsis Angelis impossibile est? Universae creaturae non sufficiunt ad te condigne laudandum. Ideo nec ego Majestatem tuam incircumscriptam (ut decet) magnificare possum, magne Deus! Omnis substantia mea tamquam nihilum ante te. Verumtamen, quia benigne respicis bonam voluntatem et humilitatem meam, ex intimo et toto corde meo te laudo atque glorifico.

O si hucusque semper (officii mei memor) rite honorassem et excellens ministerium meum, et amoris tui memoriale praecipuum!! Gemens ac dolens recordor injuriarum ac negligentiarum, quibus altaris sacramentum profanavi. O dolor, omni cuspide penetrabilior, transfigens intima cordis mei!! — Sed fixum animo sedet, deinceps omni tam corporis quam animi reverentia sacris operari et in hoc tremendo mysterio te summa pietate venerari. Jesu, Fili Dei! clementer respice hunc sacrum mentis meae ardorem, eumque non tantum ab inconstantiae vitio serva, sed etiam magis identidem inflamma. Miseriarum mearum abyssus abys-

sum invocat miserationum tuarum. Domine, qui protinus occurristi caeco illi sanato et de synagoga Judaeorum ejecto: da mihi talem animi constantiam, ne cum impiis societatem ineam, neque timeam displicere filiis tenebrarum, ut placeam coram te in lumine viventium. Amen.

FERIA VI.

Sacerdos passionem Domini saepe meditetur: 1) quo devotius celebret; 2) quo alacrius aerumnas subeat; 3) quo diligentius pro animabus laboret; 4) quo constantius in se et aliis peccata detestetur et persequatur.

PRECES ANTE MISSAM.

Grate veneramur et admiramur infinitam bonitatem tuam, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui unigenito Filio tuo hoc mandatum dedisti, ut veluti pastor bonus animam suam poneret pro nobis perditis ovibus. In unione illius caritatis et obedientiae, qua Filius tuus mandatum istud accepit atque seipsum in cruce sacrificavit, offerimus tibi, Pater, incruentum hoc altaris sacrificium, humillime precantes veniam peccatorum nostrorum et gratiam efficacem, ut tamquam oves morigerae boni Pastoris vocem libenter audiamus ejusque vestigiis insistamus. A rapacium incursione luporum tuere nos omnes, quos in peculiarem tibi populum elegisti.

„Respice, clementissime Pater, super familiam tuam, quam redemisti pretioso sanguine Filii tui D. N. J.

Illumina corda nostra, ut videamus et agnoscamus, quantum pretium dederis pro nobis peccatoribus, quantam caritatem habueris pro nobis servis tuis. Ut nos liberares a perditione, misisti Filium tuum in hunc mundum ad passionem. Ut nos revocares ad vitam, dedisti Filium tuum ad mortem. Et haec omnia fecisti ex sola bonitate tua, ut nos reduceres ad tuam caritatem. Tu ergo, bone Pater, qui operatus es in nobis tanta bona, excita corda nostra in amorem tuum, ut passionem et mortem Filii tui semper habeamus in mente. Auge in nobis amorem tuum, qui faciat nos huic saeculo mortuos et sepultos, ut vita nostra in te sit abscondita; ut te solum cogitemus, te solum diligamus. Respice, Domine Deus, super servos tuos, qui in angustiis et tentationibus positi sunt. Succurre nobis secundum magnam misericordiam tuam. Da nobis patientiam et in omni bono perseverantiam usque in finem" [1].

„Aspice, Domine Deus, Ecclesiam tuam sanctam. Vide, quantum a primo suo flore, quem ab initio ei nascenti contuleras, degeneraverit; et misericordia motus propter sanguinem Unigeniti tui restitue deperdita. Ad ordinem ea omnia reducito, quae limitem rectum egressa sunt. Pastores dignos verosque Christi tui vicarios fac praeesse populo tuo, quem ita pascant verbis et exemplis, ut simul cum ovibus pastores, et cum pastoribus oves tandem in ovile coelorum recipiantur in laetitia" [2].

„Misericors Deus ac Pater! te humiliter ex tota corde oramus, ut omnes eos, qui a christiana, catholica et unice vera fide recesserunt, aut alioquin errant opinionibus implicati falsis, paterne visites, gratiae tuae

[1] S. Coelestin. V. Pap. [2] Titelman. Hassel.

radiis corda ipsorum illustres, eosque reducas ad erroris sui cognitionem: ut sic reversi, christianam et unice veram catholicam fidem cum universa Ecclesia ad ipsorum salutem perpetuo retineant, ore profiteantur et operibus ipsis demonstrent: ut Filii tui vocem omnes audiamus et unanimiter sequamur; sicque fiat unum ovile et unus pastor" [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

„Quis ego sum, Domine Jesu Christe, quia toties dignaris intrare sub tectum meum? Satis tibi non erat, pro me dira pati et in cruce mori: sed insuper mihi praecepisti, ut teipsum comedam. O quam bene prospectum est errabundae oviculae tuae, cum teneat intra se bonum pastorem suum! Non amplius timeo lupos infernales neque monstra abyssi. Nunquam me deseres, o mi Pastor dulcissime, postquam mea viscera subiisti. Firmissime semper retinebo te mecum et non timebo mala, quoniam tu mecum es. De tot laqueis liberabis me ovem tuam, quam redemisti in ligno crucis et cibasti pretioso corpore et sanguine tuo." *S. Hieron.*

„Domine Jesu! quid tibi gratiarum, quid retributionis digne reddam ego, homo, pulvis et cinis? Quid enim pro mea salute facere debuisti, quod non fecisti? Teipsum totum a planta pedis usque ad verticem in aquas passionum demersisti, ut me totum de illis extraheres. Etiam animam tuam in mortem dedisti, ut animam meam perditam mihi redderes. Ita duplici debito me obligasti: nam pro eo, quod mihi dedisti, et pro eo, quod mea causa posuisti, debitor tibi sum. Et

[1] Joan. Fab. in prec. christian.

pro mea quidem vita a te mihi data, semel in creatione, semel in redemtione, non habeo, quod magis juste tibi reddam, quam ipsam vitam. Pro tua autem anima, quam pro me posuisti in cruce, Pastor bone, quid digne rependere possim, non invenio. Ut autem omne, quod mihi possibile est, tibi retribuam, mei muneris est. Diligendus mihi es toto corde, tota anima, tota mente, tota virtute. Et tua mihi sequenda vestigia, Pastor bone, qui mortuus es pro me." *S. Ansel.*

„O bone Jesu! fac me sentire vulnera tua: nimis saxeum est cor meum, nisi emolliatur sanguine tuo. O bone Pastor! ego sum ovis illa, quae periit, pro qua in cruce posuisti animam tuam. Ego sum misera tua ovicula; agnosce eam, et introducito me in vulnera tua. In passione tua conserva me; nam contra vitiorum morbos perfectissima medicina est tua passio. Hanc ergo mihi tribue, quia hanc diligo, hanc peto, hanc unice concupisco. Ipsa sola mihi sufficit. Passio tua, Domine, est vita mea, consolatio mea, gloria mea, suavitas mea. O bone Jesu! nihil a te peto in hac vita, nisi ut tecum crucifixus sim. Certe, dilectissime Jesu! nolo vivere, nisi tecum moriar. Aut erga da mihi mortem temporalem, aut in corde meo altius ac altius imprime mortem tuam." *S. Bonaventura.*

„Colluctatur equidem in me voluntas mea contra me et contra te, Domine! Sentio legem rebellem, repugnantem legi tuae sanctae. Infelicem me! quis me liberabit a me? Quis, nisi tu, Deus fortis, Dominator aeterne? quis, nisi tu, in cruce et per crucem victor gloriosissime? Quis, nisi tu, in poenis et per poenas de peccatis ac culpis nostris triumphans? Quis opem mihi ferat, nisi tua solius bonitas? Erue me, Domine, e vitiorum gurgite. Colloca me in lumine vitae. Eripe me

ab umbra mortis, in qua miser ambulo. Erravi, sicut ovis, quae periit. E nexibus evelle pauperculam errantem oviculam. Avelle me, bone Pastor, ab his pascuis venenatis, et transfer in montem coelestem. Amen." *Palafox Card.*

SABBATO.

Sacerdos ne implicet se negotiis saecularibus, quae 1) statum suum dedecent (cujus „pars est Dominus") et spiritum extinguunt clericalem; 2) propriae obsunt sanctificationi; 3) curam animarum non uno nomine impediunt; quamobrem 4) nonnulla etiam expresse ab Ecclesia ipsi interdicuntur.

PRECES ANTE MISSAM.

Sapientissime rerum omnium Opifex, Deus une in essentia et trine in personis! fecisti me quidem hominem rectum, ut oculis atque praecordiis sursum erectis suspiciam in coelum. Nihilominus, si considero dignitatis meae praestantiam et tuam in me benignitatem, qua miserum me hominem in sacerdotum ac civium supernorum societatem adscripsisti: vultum meum ad immensam Majestatem tuam erigere vix audeo, et altare tuum adire vereor, eoquod in tanto pretio a te habitus indigno meipsum modo despexi, deorsum inclinando cor meum ad res infimas. Peritura fortunae bona quaesivi in terris, nihili faciens aeterna praemia, quae mihi servantur in coelis. Similis eram illi mulierculae, infirmitatis spiritu ad terram inclinatae. Creasti me, Deus, ad civitatem supernam; at ego rerum mundanarum amore

usque adeo depressus ac curvatus sum, ac si non ad coelum, sed ad terram cum bestiis possidendam creatus essem. Sic adimpletum est in me, quod David dicit in libro Psalmorum: *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

Sed nunc, clementissime Deus, valde me poenitet insipientiae meae, qua plus amavi res terrenas, quam mansiones supernas. Illius virtute sacrificii, quod oblaturus sum hodie, condona mihi, Domine Deus, iniquam hanc optionem; et ignosce, quaeso, quod obtutum meum multo saepius ad vana converterim mundi crepundia, quam ad aeterna coeli tabernacula. Largire mihi per vim et efficaciam hujus oblationis, ut posthac animo *sursum* respicere possim. Nimis utique deorsum incurvatus sum, quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me. Libera me, Creator misericors, a gravissimo hoc criminum pondere, ut tuus ego sacerdos et Ecclesiae minister (qui laicos sub sacrificiis admoneo *sursum corda* habere) semper et ubique, praesertim adstans altari tuo, mentem meam et te *sursum* erigam.

Regnator omnium Deus, plasmator noster, qui es in coelis! en, nos in terris positi nunc ad te mittimus suspiria et desideria nostra, tuam implorantes misericordiam, ut animos affectusque nostros transferas ab humanis ad divina, a terrenis ad coelestia, a transitoriis ad aeterna. Consolare nos afflictos et erige jacentes, ne lamentemur nec conqueramur de bonorum temporalium jactura vel penuria. Per infinita hujus sacrificii merita fac, Optime Maxime, ut aequis semper animis prosequamur asperam peregrinationis nostrae viam, in qua gemimus; et frequenter respiciamus amoenissi-

mam illam patriam, quo pergimus. Doce nos haec infima flocci facere, superna vero ac aeterna bona quaerere. Doce nos terrestria domicilia contemnere, coelestem vero patriam et aulam tuam semper anhelare et patienter exspectare. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Tibi debitum adorationis cultum exhibeo, suavissime Jesu, qui jam denuo me refecisti sacrosancto corpore et sanguine tuo. Ardenti caritatis affectu te complector, o misericors animarum Medice! Singularem tuam erga me benevolentiam omni cordis contentione depraedico dignisque laudibus extollere cupio. Sed, dum ante conspectum tuum preces fundo, mens mea perturbatis cogitationibus huc illuc in terris circumfertur et nunquam in eodem statu permanet. Ideo humiliter a te peto veniam, quod te panem coelestem terrenus ego homo manducare sim ausus. — Domine Jesu, qui mulierem, infirmitatis spiritu deorsum inclinatam, impositis manibus tuis ita persanasti, ut in coelum suspicere posset: en, etiam ego sub onere corpusculi mei miser ingemisco. Plus decem et octo annos infirmitatis spiritu miserabiliter inclinatus et ad terram incurvatus incedo. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam* (Sap. 9.) *et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quis tali me pondere pressum erigere poterit? Tu, mi Jesu! ut solus animum meum attollere vales ad superna, ad coelestia, ad divina et aeterna.

Vehementer itaque precor infinitam bonitatem tuam, ut miserearis animae meae, eique dicas, quod inclinatae mulieri dixisti: *Dimissa es ab infirmitate tua.* Bor

Jesu! exaudi me: Deus meus, in auxilium meum respice. *Sursum* eleva mentem meam, mole negotiorum oppressam. Ad coelum erige desideria mea, ut, *quae sursum sunt*, quaeram; *quae sursum sunt*, sapiam, non quae super terram: ut, degustata supernae felicitatis suavitate, pigeat ultra cogitare saeculi vanitates. Animum meum ab his rebus infimis abstrahe ac cor meum *sursum* eleva, ne putrescat in terra. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia mundana et transitoria in contemtum et oblivionem. Erige *sursum* affectus meos ad coelestem patriam, neque dimittas eos vagari super terram. Da mihi, precor, amabilissime Redemtor, ut, simul ac calamitatibus aut tentationibus affligor, mox *sursum* respiciam ad victoriae coronam in coelo mihi repositam. Fac, ut, frequenter attollens *sursum* ad sidera vultum, illuc unice suspirem, ubi jam mihi paratam conspicio mansionem.

Scio, Domine Jesu, quod vita mea super terram peregrinatio sit ad coelestem patriam. Interim me concitas stimulis, ne fors itineris amoenitas retardet me, quo minus ad illam patriam recta contendam. Spinis me saepe compungis, ne viam prae patria diligam. Laudo mirabilem hanc tuam providentiam, qua me tam acriter urges in via salutis progredi. Id unum adhuc oro te, benignissime Salvator: ut, si volueris aggravare mihi pondus aerumnae, simul etiam augeas robur gratiae, ne meo succumbam oneri; sed ut animo forti cunctas istius peregrinationis molestias tamdiu sustineam, donec aliquando transire merear ab exilio ad patriam, a luctu ad gaudium, a certamine ad coronam, a labore ad mercedem et requiem aeternam. Amen.

DOMINICA XIX. POST PENTEC.

Gratia sanctificans nos facit: 1) vere magnos (filios Dei — participes div. naturae etc.); 2) vere divites (participes meritorum Christi — sanctorum — bonorum operum — status merendi etc.); 3) vere felices (hic pax et spes — illic corona aeterna).

PRECES ANTE MISSAM.

Convivium perquam magnum atque divinum nobis adornasti, bone Jesu, Rex regum! Etiam me vocas ad mensam tuam magnificam, ubi jam mihi *parata sunt omnia*, Deus meus et Omnia! — Ad dulcem hanc animarum sanctarum refectionem peramanter invitas me, quin etiam mihi comminaris, non habiturum me vitam aeternam, nisi manducavero carnem tuam, nisi bibero sanguinem tuum. O benignissime Jesu! o Rex meus et Deus meus! *Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram!* miserabilis ego homo, inops et pauper ego servus tuus, qua fronte nunc ausim divinum adire convivium regiumque sumere cibum?

„Domine Jesu! desiderat te quidem cor meum atque venerandi sacramenti tui gestit fieri particeps. Sitit ad te anima mea; cor meum et caro mea exultant in te, quin et ardor amoris ad tua sancta me velut impellit. Adhaec perbene novi, quantum medico indigeam ego, periculoso nec unico languore aegrotans. Novi praeterea, ditissimo hospite multum opus esse mihi, qui pauper et inops sum. Sed propter multitudinem ac foeditatem delictorum meorum erubesco comparere coram te, Rex tremendae majestatis! Jure timeo,

ne forte indignus accedens judicium mihi manducem et bibam; ne forte nimis sordidus ad te veniens indignitate mea te Deum meum inhonorem; timeo, ne forte gravissimam infinitae puritati tuae peccator ego impurus ignominiam inferam. Non enim in me video nuptialem illam vestem innocentiae ac caritatis, quae decet accumbentes mensae tuae regiae. Quamobrem non immerito timeo, ne fortasse me, praesumentem ad regale tuum convivium accedere sine veste nuptiali, jubeas amoveri a consortio fidelium tuorum et in tenebras projici sempiternas, ubi fletus et stridor dentium. Quid igitur faciam? — Illinc equidem mihi tuae voluntatis jussio necessitatem imponit, et tuae benitatis dulcedo praebet ausum, subministratque fiduciam mihi notissima tua erga miseros miseratio. Hinc autem me conscientia terret flagitiorum: imminens judicium tuum trepidare me facit, et condemnationis exemplum revocat me paratum accedere. — Verumtamen scio, quid faciam: promte surgam ex sordibus vitiorum, in quibus jacui, et humiliabo in conspectu tuo animam meam; scio enim, quod super omnia placare te possit humilis poenitentia. Sic abjecto timore confidenter introibo ad altare tuum, ibique te cibum meum sumam, qui renovas et laetificas juventutem meam" [1].

O mi Jesu! Rex regum et Domine dominantium! te precor, ut animam meam (sponsam tuam) regali meritorum tuorum ornatu vestias, eamque passionis ac mortis tuae purpura tegas, quo dignior reddatur accedere mensam tuam divinam et manducare cibum regium, panem Angelorum. Perceptio corporis tui, Domine Jesu, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in

[1] Titelman. Hassel.

judicium et condemnationem, sed prosit mihi ad augmentum omnium virtutum. „Indue me veste nuptiali, sancta caritate, ut diligam te Dominum Deum meum ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex totis viribus meis, tibique ita conjungar, ut nullo rerum eventu a te unquam separari possim. Elanguescat et prorsus pereat in me omnis inordinatus amor rerum transeuntium. Tu solus palato animae meae sapias; tu solus me laetifices; tu solus interiora mea possideas“ [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Unde hoc mihi, Domine Jesu, amabilis Sponse animae meae! unde hoc mihi, ut invenerim gratiam coram oculis tuis? Undenam mihi peccatori tanta dilectio tantae Majestatis, ut ad mensam regiam invitatus fuerim? — O Rex magne super omnem terram! gravi metu sollicitor, dum et infinitam dignitatem tuam et extremam miseriam meam aspicio. Fateor, me dignum esse, qui ligatis manibus et pedibus a conspectu tuo projiciar in tenebras exteriores, eoquod toties sanctuarium tuum intravi, *non habens vestem nuptialem.* — Bone Jesu! humiliter a te peto veniam temeritatis meae, qua nuno iterum accessi regale convivium tuum. Patientiam habe in me, et da mihi (quaeso) longius vitae spatium, ad culpas virtute corrigendas.

„Ne festines, Domine, me ex hac vita evocare. Noli me imparatum rapere; noli me hinc tollere non habentem vestem nuptialem: sed tamquam bonus et misericors Dominus hominumque amator miserere mei, et concede mihi tempus ad poenitentiam, neque statuas

[1] Ludov. Blosi.

nudam animam meam (miserandum infamiae spectaculum) ante terribile tribunal tuum." *S. Ephr.*

Beneficium hoc spero ab illa benevolentia tua, qua me hucusque complexus es. Immensa plane est tua in me caritas; nam etsi miser fuerim et inconstans ac claudicans in duas partes, nihilominus invitasti me, ut de mensa tua comederem teipsum panem vivum, quotiescunque voluero. O Amor mi suavissime! Jesu delectabilis! quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Tu es Deus cordis mei, tu rex et sponsus animae meae; tu pars mea Deus in aeternum. —

Ad nuptias tuas, Fili Dei, ad regnum coelorum *multi sunt vocati*, ob infinitam tuam bonitatem; *pauci vero electi*, ob propriam hominum malitiam. In tanta hominum multitudine pauci sunt, qui tibi serviunt. Plerique mortalium divino lumini tuo mentis oculos sponte claudunt, a vera fide alieni, nulla salutis cura tanguntur, et te flagitiis offendunt atrocissimis. Utinam *ad exitus viarum* ire, miserosque peccatores a vitiis ad frugem, ab erroribus ad veritatem reducere possem: libenter utique pro tua gloria et animarum salute totum me sacrificarem. Hanc voluntatem meam aequi bonique consule; et quod ego in votis habeo, tu perfice. Adesto nobis Romanocatholicis, ne capiamur impiorum machinis. Animas nostras (sponsas tuas) ab omni labe purga, easque virtutum ornamentis indue, ut tibi placeamus in hac vita, tandemque perveniamus ad illas coelestes nuptias, ubi nos immortalitatis stola decorabis et delectabis. Amen.

FERIA II.

Humiliare sacerdos, considerans: 1) quae promisisti; 2) quae commisisti; 3) quae omisisti.

PRECES ANTE MISSAM.

Minimus ergo servorum tuorum, Domine Deus meus, Creator omnipotens, humiliter adrepo ad thronum adorandae Majestatis tuae. Altare tuum adire cogito, ut ibi sacrificium missae peragam. Haud equidem me dignum agnosco, qui sanctuarium tuum ingrediar, utpote miserabilis homo, servus tuus inutilis, imo (quod admodum intolerabile) parum morigerus et ingratus peccator. — Attamen cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Venio igitur ad te, non meo, sed totius Ecclesiae nomine. Illustra faciem tuam super servum tuum humilem, quem ad altaris tui ministerium misericorditer assumsisti.

Clementer respice, Domine Deus, *sacrificium* istud *latreuticum*, quod nos servi tui fideles ad aram hodie offerimus, ut publice profiteamur supremum tuum in omnes creaturas dominium, et omnimodam nostram a te dependentiam. — Quatenus autem hoc *sacrificium* est *eucharisticum*, id tibi offerimus, bone Deus, in gratiarum actionem pro illa benignitate tua, qua nos homines in tuum assumsisti servitium, tuamque nobis voluntatem satis aperte revelasti, simulque necessaria ad eam perficiendam auxilia suppeditasti.

Quatenus hoc *sacrificium* est *propitiatorium*, id tibi offerimus in satisfactionem culparum omnium, quas admisimus in servitio tuo, Domine Deus! — Saepe

quidem promisimus tibi servire et diligenter exequi mandata tua; sed tantum abest, ut omnia, quae debuimus facere, fecerimus, ut multa potius indigna, quae non debuimus facere, fecerimus. Fatemur itaque, nos servos tuos non tantum inutiles esse, verum immorigeros etiam ac contumaces. Per infinita hujus sacrificii merita miserere nostri, Domine, et deprecabilis esto super servos tuos.

Quatenus denique hoc *sacrificium* est *impetratorium*, offerimus illud pro consequenda gratia tua, qua roborati cunctos labores nostros non solum humili corde suscipiamus, sed etiam indefesso studio perficiamus. Deus sancte, qui superbis resistis, humilibus autem das gratiam: fac nos superbiae spiritui fortiter resistere et in secunde rerum eventu nostros submittere animos. Assidue nobis ob oculos pone miseriam nostram, vilitatem nostram, innumeras negligentias nostras, ut exinde humiliemur in conspectu tuo. Concede nobis talem nostri ipsorum despicientiam, ut de naturae vel ingenii dotibus nunquam inepte gloriemur, nec de prospero negotiorum successu insolenter extollamur, sed humiliemus nos in omnibus, semper habentes in memoria, quod homines simus fragiles, plagis quam praemiis digniores. Humiles atque modestos effice hos omnes, maxime nos presbyteros, qui laboramus in verbo et doctrina; ut, cum fecerimus omnia, quae praecepta sunt nobis, sincere dicamus: *Servi inutiles sumus.* O liberalissime Deus, qui coronando merita nostra coronas dona tua: fac, ut, usque ad mortem in tuo servitio fideliter perseverantes, aeternam mereamur accipere mercedem. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Totus expavesco, Domine Jesu, Verbum aeternum, dum mecum attente considero immensam majestatem tuam, meamque simul indignitatem ac vilitatem. — Tu Dominus legifer noster, excelsus prae regibus terrae: ego autem miser peccator prae omnibus peccatoribus terrae. Jam pridem me servum tuum inutilem projicere potuisses a facie tua, Domine! et tamen nunc iterum in corde meo diversaris. — O caritatis ineffabile mysterium! o res mirabilis: manducavit Dominum pauper servus et humilis! — Tu praepotens Homo-Deus, qui servitio meo non indiges, mihi servire dignaris. Pretiosum corpus et sanguinem tuum inutili mihi servo tuo quotidie subministras in cibum et potum. Adnumerando me sacerdotibus tuis *bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine!* Grates tibi maximas habeo pro beneficiis, quibus me hactenus obruisti.

„Valde laborasti, Domine mi, in serviendo mihi. Justum profecto et aequum esset, ut saltem de cetero tu quiesceres, tuusque tibi servus vel ordine vicis suae quia nunc ad ipsum ventum est, servire inciperet. O quam magno pretio, Domine mi, tibi inutile meum emisti servitium, qui nec ministerio indiges Angelorum! Quam suavi et mira arte recuperasti tibi contumacem servum, humilitate tua confundens superbum et beneficiis obruens ingratum! Vicisti, Domine mi! vicisti rebellem. Ecce, do manus in vincula tua, bone Jesu, tuoque jugo suavissimo cervicem meam suppono. Dignare tantum, ut tibi serviam. Annue, ut pro te laborare pergam. Accipe me servum sempiternum, quamvis inutilem, nisi mecum sit et mecum laboret gratia tua.“ *Guerric.*

Necessariam itaque gratiam a te suppliciter effla-

gito, benignissime Jesu! Servus tuus sum ego; da mihi intellectum, ut sciam mandata tua. Doce me facere voluntatem tuam tibique semper ad nutum obedire. Largire mihi verae humilitatis spiritum, ut infirmitatem atque socordiam meam assidue prae oculis habeam, nec unquam me super alios insolenter efferam. De profundissima miseriarum mearum abysso abyssum invoco miserationum tuarum, ut tribuas mihi sedulitatem in labore, patientiam in calamitate, animique modestiam in prosperitate. Fac, ut plenius agnoscam, tibi haud opus esse tali servo, sed mihi opus esse tali Domino. O mi Jesu! sine te quid fieret de me? Praesta, quaeso, ut debita semper reverentia et devotione sanctissimum eucharistiae sacramentum accipiam, ut uberrimum laboris mei praemium aeternaeque remunerationis pignus certissimum. Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Magna me laborum moles premit ac contristat. Laetifica animam servi tui, quoniam tu, Domine, suavis et mitis et multae misericordiae omnibus invocantibus te. Qui vivis.

FERIA III.

Bona ecclesiastica: Considera 1) quanta obligatione ea possideamus; 2) quanto damno eis abutamur (ad avaritiam, luxum, ditandos propinquos etc.); 3) quanto merito bene ea impendamus (ad cultum divinum amplificandum, pauperes causasque pias sublevandos).

PRECES ANTE MISSAM.

Fateor, aeterne Deus, Pater misericordiarum, me dignum haud esse, qui progrediar ad altare tuum, eo-

quod innumeras admisi noxas. Ideo tamen non despero, tuorum memor verborum, quae per os Prophetae (*Ezech.* 33.) locutus es: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat.* Miser ego peccator ad te confugio, pauper ego et inops ad te clamo, ad te suspiro, qui me (vitiorum ulceribus plenum) elegisti sacerdotem. Apte mihi conveniunt illa Prophetae verba: *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui.* O Deus miserationibus dives! e coeno vitiorum erexisti me, et ex infimo gradu clementer evexisti me ad sublimem sacerdotii dignitatem. — Hodie igitur offero tibi missae sacrificium in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis, et in satisfactionem earum noxarum, quae tum a me, tum ab aliis peccatoribus admissae sunt. Dele iniquitates nostras, quibus te Patrem optimum offendimus, proximos laesimus eisque pravitatis exempla praebuimus. Condona nobis et culpas et poenas; imo radices etiam evelle fomitesque vitiorum nostrorum extingue. Emunda nos ab avaritiae sordibus, ut habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Animis nostris talem ingere commiserationis affectum, ut pauperum inopiam eleemosynis sublevemus et afflictis subveniamus. Miserere divitum epulonum iisque tribue gratiam, maturandi conversionem suam. Memento etc.

Ad Christum. „O altissime, potentissime, sapientissime, optime, suavissime Domine Jesu Christe! quis tu, et quis ego, ut te, Angelorum Dominum, praesumam manibus contrectare, ore manducare et corde suscipere? Sed ita nempe benignissimae tuae liberalitati visum est; sic infinitae dulcedini tuae complacuit; sic praecepisti nobis, dicens: *Accipite, et manducate:*

hoc est corpus meum. Tuis itaque praeceptis salutaribus confortatus audeo nunc ad magnificam et delicatissimam mensam tuam accedere et grato animo dona liberalitatis tuae percipere, ad tuae bonitatis gloriam et ad salutarem profectum animae, illorum inepis bonorum, quorum tu solus es largitor ditissimus." *Titelman.*

Jesu liberalissime, dives in omnes! adeo neminem fidelium excludis a mensa tua, ut omnes etiam jubeas venire ad te. Summa igitur aviditate propero ad splendidum illud epulum, cui adsistunt Angeli ministrantes. Fac me recte participare divitias bonitatis tuae. Orna me, Domine, decenti virtutum decore, et ex infinita meritorum tuorum abundantia succurre paupertati meae, ne indigne comedam Angelorum escam. „En, bone Jesu! infirmus sum et aeger: medicus es, sana mé. Nudus affligor frigore: dives es, indue me. Fame in hac solitudine pereo: cibus es, refice me. Siti laboro: potus es salutaris, inebria me. Amen." *S. Hieron.*

PRECES POST MISSAM.

Hospes liberalissime! Domine Jesu Christe! tua erga me beneficentia quotidie majorem mihi movet admirationem. Jam iterum admisisti me, servulum tuum pauperem, ad sacram mensam, ubi talem mihi cibum, talem dedisti potum, quem et homines in terris, et Angeli demirentur in coelis. — O quantum abhorres ab ille divite evangelico! Ille tabescentem ad ostium domus suae mendicum ne aspicere quidem, nedum adjuvare dignatus est: tu vero, mi Jesu dulcissime, dives in omnes, tu me pauperculum (tot vitiorum ulceribus undique plenum) benevole saturasti, non pane terreno, nec

communi potu, sed pane coelesti ac calice salutis aeternae.

Quibusnam itaque verbis, Domine Jesu, dignas tibi referam grates pro stupenda hac liberalitate, pro convivio tam magnifico? — Attamen non oris verba, sed cordis sensa respicis. Nosti, Jesu amabilissime, quantopere cupiam ex toto corde diligere te. Certe in amore tuo vivere ac mori desidero. Deus meus et Omnia! non mediocri laetitia ac consolatione recreor, mecum cogitans, te legitimum et absolutum esse cordis mei Dominum. A te solo gubernari et possideri exopto, Amor mi suavissime, qui summe liberalis es erga pauperes et dives in omnes. — Si forte cuncta mihi bona terrena volueris auferre; si tanta me virium imbecillitate, tanta rerum inopia vexare decreveris, ut illius imago fiam mendici Lazari: aequo id animo patiar et illud amici tui Job effatum iterabo: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est.* Scio, mi Jesu, quia melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. Quaenam vero peccatis meis debeantur supplicia, tibique mihique notum est.

Bone Jesu! fac me nunquam earum oblivisci gravium poenarum, quas promerui, ne forte sequar epulones divites aut inimicos crucis tuae, quorum finis interitus et quorum deus venter est. Fac, ut tibi Domino meo, non abdomini serviam. Da mihi, quaeso, temperantiae virtutem, ut, sicut in die, honeste ambulem, *non in comessationibus et ebrietatibus.* Altius altiusque cordi meo veritatem illam imprime, divites avaros incidere *in desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem.* — Jesu liberalissime, qui miserrimo mihi mendicabulo teipsum quotidie praebes in cibum: effice, precor, ut

etiam ego liberalis sim et misericors, ut (quoad tulerit facultas) afflictis opem manumque porrigam. Perducito me denique per medias istius vitae miserias ad regnum coelorum, quod servis tuis spiritu pauperibus promisisti. Qui vivis.

FERIA IV.

In prandio tuo noli oblivisci: 1) pietatis et gratitudinis; 2) temperantiae; 3) misericordiae.

PRECES ANTE MISSAM.

Amantissime Creator, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis! non sine magna admiratione recordor inexhaustae bonitatis tuae, qua me complecteris. Tanta hucusque mihi beneficia tribuisti, ut tuam erga me benevolentiam mirari satis haud valeam. Grato fateor animo, Domine Deus, quod indignus ego famulus tuus jam plurima receperim bona in vita mea. Laudo quoque curam ac providentiam tuam plus quam paternam, qua me saepius in aerumnas acerbiores incidere sinis, ut ne cum illo epulone divite sepeliar in inferno, sed cum Lazaro perpetuam assequar consolationem in coelo.

„Domine! non sum dignus consolatione tua. Juste mecum agis, quando me inopem et desolatum relinquis. Si enim adinstar maris lacrymas fundere possem, adhuc consolatione tua dignus non essem, quia graviter et saepe te offendi et in multis valde deliqui. Sed tu clemens et misericors Deus, qui non vis perire opera tua, ad ostendendum divitias bonitatis tuae in vasa misericordiae, etiam praeter omne proprium meritum dignaris con-

solari servum tuum supra humanum modum. Quid egi, Domine, ut mihi conferres aliquam coelestem consolationem? Ego nihil boni me egisse recolo, sed semper ad vitia pronum et ad emendationem pigrum fuisse. Quid merui pro peccatis meis, nisi infernum et ignem aeternum? In veritate confiteor, quoniam dignus sum omni ludibrio et comtemtu; nec decet me inter tuos devotos connumerari. Et licet hoc aegre audiam, tamen adversum me pro veritate peccata mea arguam, ut facilius misericordiam tuam merear impetrare" [1].

Benignissime Pater! omnem in te fiduciam meam colloco, quia misericordiam tuam assidue prae oculis habeo. Poenitenti mihi non modo peccata dimittis, sed etiam esurienti convivium adornasti lautissimum, ubi pane coeli pauperem me satias. O stupendam beneficentiam! Famem sitimque perpetuam merui: tu autem magnificam parasti in conspectu meo mensam; et calix meus inebrians quam praeclarus est!! — Confidenter itaque nunc altare tuum adibo panemque manducabo coelestem, ut inde novas hauriam vires ad obeunda vocationis meae negotia. Suscipe, Deus sancte, sacrificium istud, quod oblaturus sum, in expiationem delictorum nostrorum; et per infinita Jesu Christi merita concede nobis stabilem patientiam in adversis casibus, illucque nos perducito, ubi pro diebus, quibus nos humiliasti, laetabimur, et pro annis, quibus vidimus mala, perennia possidebimus bona. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Quam munificus es erga me, Domine Jesu Christe!

[1] Imit. Chr. l. III. c. 52.

Pauperi mihi servo tuo manducandum dedisti teipsum, panem vivum, panem coeli. O Judex tremendae majestatis! jam pridem me deturbare potuisses ad illum carcerem igneum, ubi per omnem aeternitatem impii manes famem patientur ut canes: et tamen iterum me dulcissimo cibasti epulo. — Infinitae quidem huic caritati tuae respondere teque redamare cupio; at in hoc saeculo multa sunt, quae cor meum ab amore tuo nituntur abstrahere. Ah, quandonam liberabis me de corpore mortis hujus, quo liberius et ardentius in loco quietis aeternae te diligere possim? Domine Jesu! cupio dissolvi et esse tecum in coelis, ut ibi te possideam absque metu amissionis.

„O ter et amplius beatos, qui recumbent cum Abraham in regno tuo coelesti, cujus nunquam est intermoritura suavitas! Sed o calamitatem maxime deplorandam illorum, qui, quam longissime a tantae beatitudinis jucunditate rejecti, luctuosissimum exilium pati omnem ultra aeternitatem cogentur, ubi magnis etiam clamoribus impetrare non poterunt ad sedandam sitim suam tantillum humoris, quantum adhaerere possit digito in fontem immissae manus. Miserum me! quantam malorum audio mihi imminere acerbitatem, si mihi ad regnum tuum aditus intercludatur! At contra felicem me, Domine, si impetrata scelerum meorum venia mihi liceat vitam in coelis agere ab omni periculo tutam et nullo dissolvendam aevo.“ *S. Ephraem.*

„Tu es, Domine, famelicorum satietas aeterna, danda esurientibus justitiam. Tu sempiterna es illorum consolatio, qui consolationes hujus mundi contemnunt. Nam qui hic consolantur, ibi indigni tua consolatione habentur: qui autem hic cruciantur, a te consolabuntur. Nemo potest in utroque saeculo consolari; nec potest quis hic et ibi gaudere: sed unum necesse est ut perdat,

qui alterum voluerit possidere. Haec ubi considero, Domine, consolator optime, in hac vita renuit consolari anima mea, ut digna habeatur aeternis consolationibus tuis.“ *S. Aug.*

Jesu clementissime! trahe me meosque proximos ad te unicum consolatorem nostrum, ut bona terrena despiciamus, ac coelestia quaeramus. Fac, ut in hoc saeculo magis eligamus affligi pauperes inter Lazaros, quam temporalem peccati habere jucunditatem divites inter epulones. Procul a nobis amove gulae vitium, quo facilius spiritui carnem subjiciamus. Da, precor, ut omnem in epulis ac vestimentis luxum evitemus, et quae superflua sunt, in pauperes erogemus. Succurre nobis, ut istius vitae miserias eo libentius sufferamus, quo propius adventamus ad domum aeternitatis nostrae.

„Imploramus clementiam tuam, o Jesu, generis humani Redemtor, ut horrendas gehennae januas a poenitentium te invocantium conspectu occludi jubeas. Misericordiae tuae rorem immitte adversus ignem nobis extrema quaeque minitantem. Neque sinas nos a te frustra aquae guttulam expostulare, sicut non ignoramus, illi, cui sepulchrum infernus est, diviti contigisse. Ne permittas, quibus coelestem gloriam sanguine tuo promeruisti, eos acerrimo flammarum incendio absorberi, ubi nulla vel quietis spes est relicta vel salutis. Da potius, ut tandem illorum adjungamur beatorum consortio, quorum patientiam aeterna consolatione remuneras. Qui vivis.“ *S. Ephr.*

FERIA V.

Indulgentias debes: 1) magni aestimare, quia sunt pretium sanguinis Christi — donatio piae matris Ecclesiae — magni debiti facilis solutio; 2) curare, ut ipse lucreris pro te et animabus purgatorii; 3) ad ea lucranda populum inducere instruendo — exhortando — occasiones praebendo etc.

PRECES ANTE MISSAM.

Immortalis Deus, justissime Pater! si mecum attente considero, quam procul absim ab illa vitae sanctimonia, qua sacerdotes tuos oportet nitescere, magno timore afficior, aditurus altare tuum. Ob piacula mea quotidiana merito timeo, ne rem sacram conficiendo reus fiam corporis et sanguinis D. N. J. C. — Nihilominus sciens, quod sis *miserator et misericors Dominus* (Psalm. 102.) *longanimis et multum misericors*, fiducialiter ad te confugio, et in conspectu tuo cordis mei gemitum effundo. Dolens confiteor et abominor iniquitates meas, quibus toties offendi te Patrem meum optimum. Animo contrito et poenitente veniam a te deprecor. Miserere mei, Deus, et propitius esto mihi peccatori!

Benignissime Pater! offero tibi hodie unacum missae sacrificio dolorem omnium poenitentium, qui unquam extiterunt, in supplementum exigui doloris mei. Enixe precor, ut acceptare digneris odium illud infinitum, quo tu ipse peccatum detestaris, in supplementum illius odii, quod ego in peccatum habere deberem. Amarissime deploro flagitia mea, quibus et iram tuam et acerrimam merui vindictam. Ecce me promtum ad tolerandos

hujus vitae cruciatus et dolores; paratum ad omnes injurias ac contumelias; paratissimum ad quaslibet animi vel corporis afflictiones, ad mortem peracerbam et ad diuturna purgatorii tormenta: dummodo tandem mitigetur divinae tuae rigor justitiae.

Offero tibi, clementissime Pater, omnia merita passionis ac mortis unigeniti Filii tui in plenam satisfactionem delictorum, quae vel a me, vel ab aliis fidei domesticis unquam admissa sunt. Per istius sacrificii virtutem adauge nobis fidem, ut absque haesitatione credamus omnia religionis nostrae mysteria. Heterodoxorum etiam miserere, qui nos in suas partes, in errorum tenebras, ad gehennae poenas secum trahere nituntur. Mitte viros apostolicos, quorum ope tot miseri homines a pestiferis haeresiarcharum opinionibus abducantur, *ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum*, ubi cruciantur increduli. Inclina corda nostra ad te, ut sine cunctatione poenitentiam agamus et aeternas gehennae poenas effugiamus. Largire nobis patientiae donum, ut finitis laboribus ad requiem aeternam transeamus. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Exhibuisti mihi denuo singularem munificentiam, Domine Jesu, dum esurientem animam meam ipsissimo cibasti sacro corpore tuo, sitientemque potasti sanguine tuo. Immota semper fide credo, te substantialiter adesse in eucharistiae sacramento. Cetera quoque fidei dogmata firmissime credo, paratus pro illorum attestatione vitam cum sanguine profundere. — O bone Jesu! te vere praesentem in corde meo suppléx adoro, tibique debitas habeo grates, tum pro mirabili bonitate

tua, qua me rursum ad sacram mensam tuam admisisti; tum pro gratuito fidei dono, quod mihi concessisti prae millenis hominibus, qui fidei lumine destituti sine fine cruciabuntur in loco tormentorum.

Nisi tua mihi subvenisset misericordia, Domine Jesu, non solum in omnem improbitatem, sed etiam in gehennam fuissem delapsus. Tibi soli, mi Redemtor, in acceptis refero, quod etiamnum inter vivos degam et inter justos spem salutis habeam. Ex toto corde diligo te, qui ab aeterno amasti me. Utinam ardentius te diligere possem! — Vehementer exopto, Salvator amabilissime, te coram in superna patria, in coelesti gloria videre, quo vehementiori caritatis affectu te diligere ac complecti possem. Te quidem nunc mecum habeo in ulnis animae meae: sed ob innumera vitae praesentis offendicula periclitor amittere te; periclitor excidere gratia et benevolentia tua; periclitor in aeternum perire ac separari a te. Hoc unum est, quod diu noctuque me cruciat.

Jesu misericordissime! adesto mihi tot inter pericula, et erue me ab omni peccandi occasione. Eripe animam meam de manu inimicorum meorum. *Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi* (Ps. 140.), *et a scandalis operantium iniquitatem.* Deliberatum equidem habeo, deinceps omnia vitare peccata et pericula: verumtamen probe scio, sine auxilio tuo me nihil posse nisi peccare. Ideo precor immensam bonitatem tuam, ut tuam mihi porrigas opem ad tentationes superandas. Conserva me posthac in amore tuo, ne rursum in eandam malitiam revolvar, unde tam misericorditer extraxisti me.

„Absit, Domine, ut iterum me sinas in idem relabi lutum. Fateor hac gratia me prorsus indignum, reum-

que me esse agnosco. Tua tamen gratia dignum me efficere, tibi decorum est, mihique ignoscere, meorumque delictorum veniam annuere. Vereor equidem, ne peccata mea mihi tamquam satellites ad tuum tribunal occurrant, meque ut reum magnae Majestati tuae sistant. Supplicanti parce, quaeso. Prohibe, ne mea me peccata in compedes igneos compingant et in horrendum illud ignis barathrum detrudant, ceteroquin non immeritum. Tesseram meam sanguinem tuum fero, telum formidabile gehennae ori, impiorum praeda saturando. Agni cruore perterrita mors olim ab Hebraeis fugit: magis utique tuum, Domine, pretiosum sanguinem gehenna timebit." *S. Ephraem.*

„Libet quandoque me ad infernum descendere viventem, ne contingat me illuc descendere morientem; ut videam, quid etiam ibi agatur. Sed dum in primo ejus limine scriptum invenio: *In inferno quis confitebitur tibi?* anathema ei dicens, inde refugio. Non contingat mihi, Domine, illuc descendere post mortem. Oculi mei semper ad domum tuam coelestem, ad civitatem Jerusalem, ubi te videbo facie ad faciem. Non recuso pati miserias hujus vitae, dummodo te aliquando videam; dummodo aliquando ex ore tuo audiam: *Intra in gaudium Domini tui.* Amen." *Guilhelm. Cluni.*

FERIA VI.

Ut libenter patiaris, respice: 1) infernum ~~et purgatorium~~ — multo minus pateris; 2) coelum — ad quod, nisi patiendo, non pervenies; 3) Christum — qui etiam pro te tanta et tam patienter tulit.

PRECES ANTE MISSAM.

Dignus es, Pater omnipotens, aeterne Deus, propter immensam divinae Majestatis tuae potentiam, sapientiam, bonitatem atque misericordiam, accipere ab omni creatura honorem et gloriam. En itaque, Pater omnipotens! ad aram hodie glorificabo nomen tuum, et immolabo tibi sacrificium incruentum in agnitionem supremi tui in nos dominii, nec non in gratiarum actionem pro singulis donis, quibus indignum me famulum tuum exornare dignatus es. Offero tibi sacrificium istud in unione divinae illius intentionis, qua Unigenitus tuus illud in ultima coena instituit et in cruce consummavit. Vix equidem mihi tantum sumo, ut hodie sacrificem multorum ego conscius criminum, pro quibus iram tuam timeo. Sed ecce, misericordissime Pater! offero tibi dilectum Filium tuum, qui mea causa *vir dolorum* factus et in cruce fuit mortuus.

„Pater aeterne! suscipe sacrificium Unigeniti tui, pro me in ara crucis immolati; et obliviscere injurias nequissimi servi tui. Nam multo plura ille tibi persolvit, quam sit debitum meum: quia, si scelera mea cum immensis meritis acerbissimae passionis ejus simul librare velis, isthaec infinite praeponderabunt. Quodnam enim tam grave scelus esse queat, quod tanta Christi humilitas, talis obedientia, tam invicta patientia et tam ineffabilis caritas expiare non possit? O Pater coelestis! en offero tibi hunc ipsum Redemtorem meum, Jesum Christum, in unione amoris illius, quo tu eundem dilectissimum Filium tuum in hunc mundum misisti, ut nos ab aeterna morte liberaret. Offero tibi poenas illas et angustias, tibi soli notas, quas ipse sustinuit, dum pro

nobis flagellatus, illusus, consputus, crucifixus et occisus est." *Blosi.*

Clementissime Pater! condona nobis culpas et parce populo tuo, quem Filius tuus in cruce redemit pretio sanguinis sui. Largire nobis gratiarum tuam, ut ejusdem Unigeniti tui vestigiis inhaereamus, eumque strenue sequamur ad injurias, ad opprobria, ad angustias, ad durissimam crucem. Da peccatoribus veniam, afflictis consolationem, aegris sanitatem, tentatis fortitudinem ac justis perseverantiam finalem. Memento NN.

Ad Christum. „Pulcherrime Jesu Christe! rogo te per illam sacratissimam effusionem pretiosi sanguinis tui, quo redemti sumus, da mihi cordis contritionem et lacrymarum fontem, praecipue dum mysterium nostrae redemtionis, manifestum misericordiae tuae opus, recolo et offero; dum sacro altari, licet indignus, adsisto, cupiens tibi offerre illud mirabile et coeleste sacrificium, quod tu, Domine Deus meus, Sacerdos immaculate, ipsus instituisti et offerri praecepisti in commemorationem tuae caritatis, mortis scilicet et passionis tuae, pro salute nostra et pro quotidiana nostrae fragilitatis reparatione. Confirmetur mens mea inter tanta mysteria dulcedine praesentiae tuae. Sentiat te sibi adesse, et laetetur coram te, o Ignis, qui semper luces, o Amor, qui semper ardes! Dulcis Christe! bone Jesu! Lumen aeternum et indeficiens! Panis vitae, qui nos reficis, et in te non deficis; qui quotidie comederis, et semper integer manes: resplende mihi et accende me. Illumina et sanctifica vas tuum, de omni malitia evacua, imple de gratia et plenum conserva, ut ad salutem animae meae manducem cibum carnis tuae, quatenus manducando te vivam de te, vivam per te, perveniam ad te et requiescam in te. Qui vivis." *S. Aug.*

PRECES POST MISSAM.

Nimiopere diligis me, suavissime Jesu, quia tam pretioso cibo, tam dulci potu jam denuo refecisti animam meam, negotiis ac aerumnis defessam. Immenso amori tuo satis non erat, te pro me factum fuisse virum dolorum et tandem in cruce exspirasse: sacrosancta insuper carne tua quotidie nutris me, quam olim in ara crucis obtulisti pro me. En nunc gratias tibi reddo maximas, Domine Jesu, pro summa hac caritate tua, qua me peccatorem ingratum ita pascis, ita foves, ita complecteris.

„Gratias ago tibi, Domine misericordissime, qui de coelo in terram descendisti, et factus es, quod non eras, homo similis mihi, sine omni tamen peccato. Passus es ab injustis pro injustis, ut et nos imitaremur humilitatem et patientiam tuam. Tu enim daemoniacus audivisti; ut facinorosus comprehensus, ligatus et ad judices raptatus es. Cum loquereris, alapam accepisti; et cum taceres, ad mortem condemnatus es. Postea flagellis caesus, spinis coronatus ac horrendis exceptus es ludibriis. Humeris tuis portasti crucem, eique affixus et in altum elevatus es, Dominus meus et Deus meus! — Quid ergo magnum facio, si et ego peccator isthaec patior, quae tu innocens tulisti pro me? Gratias ago tibi, Domine Jesu, dum injuste patior; cum autem juste, idipsum mihi in satisfactionem innumerabilium delictorum meorum esto. Quaeso, Domine, ne mihi unquam tentationes aut afflictiones supra vires evenire permittas, sed ad sustinenda quaevis adversa robur gratiae tuae mihi semper impertiri digneris.“ *Simeon Junior.*

Domine Jesu, qui gentibus es traditus ad acerbissima supplicia! hodieque te pagani cum Judaeis irri-

dent, conspuunt, illudunt et delictis enormibus rursum crucifigunt. O bone Jesu! Vir dolorum! cur non omnes injuriae ac indignitates istae super me solum effunduntur? Quis mihi tribuat, ut pro te hostibus tradar, pro te irridear, pro te conspuar, pro te odio habear, pro te crucifigar, pro te moriar? — Salvator amabilis, qui pendens in cruce non habuisti, ubi caput reclinares: accende me meosque proximos ardentissimo tui amore, ut omnes injurias ac calamitates secundum voluntatem tuam patienter feramus.

„Bone Jesu! per illam caritatem, quae te fecit pro peccatis nostris mortem crucis subire, te suppliciter oro, ut illa septem verba, quae de crucis cathedra nobis tradidisti, cordibus nostris tam alte infigas, ut nunquam nobis excidant, sed dignum semper fructum operentur in nobis. O Jesu amantissime, qui pendens e cruce pro crucifixoribus tuis Patrem exorasti: fac per gratiam tuam, ut neminem odio habeamus, sed omnes, etiam inimicos, sincere diligamus. — O Jesu benignissime, qui latronem in cruce poenitentem in gratiam recepisti: da nobis et delictorum veniam, et regni tui haereditatem, quam illi pollicitus es. — Mariam quoque, benedictam Matrem tuam, testamento nobis assigna, eamque nobis matrem constitue, sicut in cruce moriturus eandem Joanni discipulo in matrem assignasti. — Doce nos omnem afflictionis acerbitatem ad Patrem referre, sicut tu nobis exemplum praebuisti, dicens: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* — Fac insuper nos semper coelestia sitire, omniumque hominum salutem ardentissimo caritatis affectu tecum desiderare. — Hoc etiam nobis praesta, ut, priusquam e vita excedamus, confidenter ac in veritate nobis dicere liceat: *Consummatum est.* — Istud denique no-

bis concede, ut in suprema vitae hora spiritum nostrum in manus tuas commendemus. Obsecro te, ut tuis manibus, quas in cruce pro nobis expandisti, benigne suscipias animas nostras ad vitam aeternam. Amen" [1].

SABBATO.

„Angustior porta" pro sacerdotibus, quia 1) onera eorum majora; 2) pericula frequentiora; 3) peccata graviora.

PRECES ANTE MISSAM.

Lugemus, aeterne Deus, et deploramus innumera culpae originalis damna et mala gravissima. Valde dolemus, per primi parentis inobedientiam nos rectitudine atque justitia originali, nobili illo humani generis donativo, ceu ornamento gratissimo fuisse spoliatos, justo utique judicio tuo, Pater aequissime, sed nostro maximo damno. Justo (inquam) judicio tuo factum est, ut caro concupisceret adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. In poenam inobedientiae protoparentum nunc omnis homo rebellionem sentit carnem inter et spiritum. Hujusmodi tentationibus homines spirituales, qui secundum spiritum vivere tibique servire cupiunt, ita vexantur, ita fatigantur, ita cruciantur, ut interdum ignorent, vitam an mortem eligere malint. Ejusmodi ludos ludit nobis illa prima protoparentis nostri praevaricatio; tale negotium facessit nobis hodiedum illa prima inobedientia.

---

[1] Titelman. Hassel.

Tu, Domine Deus, qui vides omnia! tu certamina novisti famulorum tuorum. Tu proelia conspicis, quibus servi tui fideles per omnem vitam affliguntur, et quae superare nequeunt, nisi tuis corroborati auxiliis. Procedit ex hac radice, quod in sacra Genesi (c. 8.) dixisti: *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ex eadem radice proficiscitur, quod unigenitus Filius tuus, magister noster optimus, in sacro evangelio dixit: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi quaerent intrare, et non poterunt.* In haec itaque mala, in tales miserias praecipitavit nos primus parens carnis nostrae; et in tantis angustiis, bone Deus, universi pereamus necesse est, nisi tua nobis superabundanti bonitate succurras.

Ad te igitur confugimus, Pater misericordiarum, ad te fiducialiter convolamus, tuam imploraturi opem divinam. Hoc fine tibi super altari offerimus sacrificium illibatum, ut, quae perpetravimus, opera iniquitatis nobis benigne dimittas, et quo indigemus, auxilio tuo nobis subvenias. Ignorantiam et bene operandi difficultatem in nobis clementer sana, ut, quae agenda sunt, videamus, et quae agenda viderimus, alacriter agamus. Praesta, quaesumus, ut cum metu et tremore salutem nostram operemur, atque progredientes in angusta poenitentiae via contendamus intrare per angustam portam.

„O divina Bonitas! aeterna Caritas! tuum est in nobis operari. Quantumcunque tibi serviamus, totum tibi debetur. Quomodo facere aliquid boni possemus, nisi et gratia tua nos praeveniret, et tua nobis potentia succurreret? A te provenit nostrae salutis spes: a nobis contra provenit desperatio; et a propria nostra voluntate oritur defectio, qua transfugae fiamus. Nor

solum necesse est, ut tamdiu vocare pergas, donec nos excitaveris et attraxeris; sed insuper opus est, ut has tenebras dispellas, duritiem hanc emollias, hanoque rebellionem vincas et superes“ [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Confusio faciei meae cooperit me, Domine Jesu, dum hic amabilem Majestatem tuam et extremam indignitatem meam prae oculis habeo. Misericorditer admisisti me rursum ad aram tuam, me miserum peccatorem, me operarium iniquitatis, quem pridem a te discedere et a sanctuario tuo procul amandari oportuisset. Remitte mihi, precor, amantissime Jesu, hanc temeritatem meam, qua denuo sacrum altaris mysterium accessi et tam indigne tractavi. Hujus audaciae meae veniam et peto et spero ab interminabili tua misericordia; simulque tibi gratias ago pro magna liberalitate tua, qua nunc iterum mihi sacrosanctum corpus et sanguinem tuum dedisti in cibum et potum, ut resumto animi vigore per angustam portam in regnum coelorum intrare contendam.

„Domine Jesu Christe, qui per mortem tuam mundum vivificasti, adoro et veneror hoc sanctum corpus tuum, quod *pro multis* traditum est. Adoro pretiosum sanguinem tuum, qui *pro multis* effusus est in remissionem peccatorum. Deprecor clementiam tuam, misericordissime Jesu, per horum virtutem: fac etiam me unum ex *multis* illis. Absolve et libera me ab omni peccato et poena peccati.“ *S. Anselm.*

[1] Jo. Palafox Cardinal.

„Amator hominum, Jesu Christe! Deus meus! miserationibus tuis fretus supplico tibi, ne in die judicii statuas me a sinistris unacum hoedis, qui te exacerbarunt; neque dicas mihi: *Nescio te.* Sed secundum bonitatem tuam largire mihi fletum continuum, cordis compunctionem et animi demissionem. Purifica animam meam per vivificantium et immaculatorum sacramentorum tuorum perceptionem, ut templum fiat caritatis tuae. Nefandus equidem peccator sum, fateor. At semper ad januam tuam pulso, clamans, ut salvum me facias propter misericordiam tuam.“ *S. Ephr.*

Jesu mi suavissime! novo metu fluctuo, quoties salutis meae pericula cogito. *Nescit homo* (Eccl. 9.) *utrum amore an odio dignus sit.* Spero quidem, me jam esse in amore tuo; sed futura, quae latent adhuc, ingenti me pavore concutiunt. *Nescit homo finem suum.* Possum de novo peccare, — possum in peccato mori, — possum in aeternum perire; nondum positus sum extra teli jactum. — In tali metu, in tali periculo, in tanta incertitudine, quid aliud agendum mihi restat, nisi ut tuum implorem auxilium? — O bone Jesu! memento vulnerum tuorum, quae pro me sponte suscepisti; dolorum, quos pro me pertulisti; sanguinis tui pretiosi, quem in cruce pro me fudisti. Memento divinae patientiae tuae, qua tamdiu me peccantem sustinuisti; misericordiae tuae, qua me ad poenitentiam movisti; clementiae tuae, qua mihi veniam dedisti. Memento bonitatis tuae, qua me prae mille aliis hominibus ad sacerdotium vocasti; longanimitatis tuae, qua negligentias meas hucusque tolerasti; caritatis tuae, qua me semel ac iterum ad vitae sanctimoniam invitare dignatus es. Ah, miserere mei, Jesu dilectissime! et ita me conforta, ut valeam intrare per angustam portam. Hac

si clementer audieris deprecationem meam, in aeternum laudabo misericordiam tuam. Amen.

DOMINICA XX. POST PENTECOST.

Fidem debes: 1) exercere (eliciendo saepius actus fidei); 2) confiteri; 3) probare (in vita tua); 4) dilatare, pro ejus dilatatione orare, laborare etc. Quomodo hoc praestitisti adhuc? quomodo praestabis in posterum?

PRECES ANTE MISSAM.

Rex universorum, Deus omnipotens, qui verbo coelum et terram creasti, et etiam me in hoc mundo posuisti, ut te servitio meo pro viribus honorarem tandemque tecum in coelo sine fine regnarem: ante thronum divinae Majestatis tuae me prosterno, ut tibi debitum servitutis obsequium praestem. Infima cordis demissione profiteor et adoro te Dominum Deum meum, summum Bonum meumque finem ultimum, in quo solo vera consistit beatitudo mea. Et cum sine fide impossibile sit placere tibi, humiliter intellectum meum illis submitto veritatibus, quas in veteri novoque testamento hominibus revelasti. Credo, quod Ecclesia tua credit; et omne id rejicio, quod illa semper rejecit. Vivere ac mori cupio in illorum communione fidelium, qui Ecclesiam romano-catholicam agnoscunt matrem suam.

Pater aeterne! quamvis signa seu prodigia non videam, credo tamen, te rerum omnium Creatorem esse et omnia gubernare providentia paterna. Credo, Jesum Christum, Filium tibi coaequalem, ideo venisse in hunc mundum, ut suis nos praeceptis imbueret, doctrinis illu-

minaret, exemplis informaret, meritis ditaret, morte sua redimeret, gratia sanctificaret, et gloria coelesti sublimaret. Indubie credo, hominum animas esse immortales, atque pro sanctificandis eisdem a Christo Domino septem in Ecclesia sacramenta fuisse instituta. Nominatim credo, eundem Salvatorem in altaris sacramento realiter atque substantialiter adesse. Omnes istas veritates tam firma, tam secura et immota persuasione credo, ut prius de solis lumine, quam de aliquo fidei articulo dubitarem; nam et vaticiniis et miraculis *testimonia tua* (Psal. 92.) *credibilia facta sunt nimis.*

Tali fide, clementissime Pater, accedo altare tuum, missae sacrificium oblaturus in gratiarum actionem pro fidei dono et pro ceteris beneficiis, quibus nos servos tuos exornasti. Per hujus virtutem oblationis largire nobis hanc gratiam, ut in posterum ex fide vivamus proximisque nostris praeclara virtutum exempla praebeamus. Catholicos magistratus atque praepositos ita dirige, ut documento sint subditis. Adesto praesertim Ecclesiae ministris sacrisque curionibus, ut eximio pietatis exemplo populum tuum erudiant et factis potius quam verbis ad coelestem patriam perducant. Miserere omnium heterodoxorum. O Deus, Veritas et Lux sempiterna! Pater misericors, qui fidem constituisti salutis humanae principium et omnis justitiae fundamentum: illumina mentes nostras, ut Verbi tui monita sequendo reportemus finem fidei nostrae, salutem animarum. Memento.

PRECES POST MISSAM.

Gaudio perquam liquido me perfundit amicabilis haec praesentia tua, Domine Jesu, Salvator et Amator anima-

meae! Talem exinde consolationem habeo, qualem sentit aegrotus praesente medico. — Febricitantem illius reguli filium solo nutu sanasti et a morbo liberasti, absens absentem. Infirmam autem animam meam personaliter visitando consolaris, imo fame sitique laborantem recreas sanctissimo corpore et sanguine tuo. — Maximas tibi habeo grates, Jesu munifice, teque pronus adoro, qui tali me complecteris amore.

„Gratias ago tibi, vera Vita fidelium! Christe Redemtor! qui propter nos pauperes consolandos (quos tamquam peregrinos et orphanos in hoc exilio miserrimo reliquisti) per ministerium sacerdotum praesentem te sistis et imples omnem terram benedictione. Gratias ago tibi, Jesu Christe, qui manibus nostris non dedignaris attrectari ac consecrari in nostram salutem. Tibi Domino Deo nostro, magno et immenso, aeterno et excelso, gloria, laus et gratiarum actio nunc et in perpetuum! O inaestimabilis affectio caritatis tuae, Domine! Ut tuo nos indignos reconcilies Patri, quotidie teipsum exhibes victimam salutarem. Infinitam igitur clementiam tuam suppliciter exoro, ut hoc summae caritatis tuae sacramentum mihi sit contra delictorum vulnera medicamentum efficacissimum ac omnis virtutis incrementum. *Nic. Salicet.*

„O Deus ante saecula! exaudi me peccatorem hora ista, et ne recorderis in hac precatione mea praevaricationum mearum. In toto corde meo clamo ad te: Exaudi me, Domine Deus, spes omnium finium terrae! Complaceat tibi, Rex saeculorum, exaudire me, quoniam in dolore animae meae supplico tibi. Inclina aurem tuam ad preces meas et dimitte mihi, quaecunque commisi, flagitia. Quaero enim refugium, nec invenio nisi in bonitate tua infinita; neque in me pax est propter multi-

tudinem iniquitatum mearum. Audi, Domine Jesu, clamorem cordis mei. Respice moerorem animae meae, et acerbis me plagis sauciatum sanare festina. Tu enim solus occulta nosti curare vulnera, quae tibi soli patent tamquam occultorum cognitori perspicacissimo." *S. Ephr.*

Jesu Christe! da mihi, quaeso, patientiam in aerumnis et afflictionis meis, ne forsan incipiam murmurare contra dispositiones providentiae tuae. Fac, o Medice omnipotens, ut tam inconcussa nitescam fide, quali nitescere oportet sacerdotem tuum: ut fiam exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Per hujus virtutem mysterii, cujus me hodie participem fecisti, redde me ministrum tuum irreprehensibilem, pudicum, hospitalem, benignum, sobrium, modestum, justum, sanctum, continentem; ut potens sim, exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere. Rogo te denique, bone Jesu, ut et me et omnes proximos meos absoluto vitae cursu ad aeterna coeli gaudia admittas. Qui vivis.

FERIA II.

Ut fructus afferas sanctitatis sacerdotalis debes (magis quam laici): 1) radicatus esse in Christo per gratiam; 2) purgari per mortificationem; 3) aërem et lucem habere per orationem; 4) imbre perfundi compunctionis et tribulationum.

PRECES ANTE MISSAM.

Tibi, sancte Pater, aeterne Deus, immolamus hodierna die sacrificium laudis, immaculatam hostiam,

agnitionem supremi tu in nos dominii. Laudamus te Patrem omnipotentem, qui dedisti nobis ipsum Unigenitum tuum veluti *panem vivum* ad refectionem animarum nostrarum. Adoramus te, coelestis Agricola, qui dedisti nobis Filium tuum tanquam *vitem veram*, ut in altaris sacramento biberemus sanguinem uvae meracissimum. — In gratiarum actionem pro tantis beneficentiae tuae donis et datis offerimus acceptabile sacrificium, munus pretiosissimum. Gratias agimus tibi, bone Pater, pro stupenda liberalitate tua, qua dilectum Filium tuum ideo nobis dedisti, ut in ipso maneamus tanquam palmites in vite. Agimus tibi gratias, o coelestis Agricola, pro singulari cura paternae providentiae tuae, qua salutem aeternam in hominibus operaris, et omnem palmitem in vite vera fructificantem assidue purgas aerumnis, *ut fructum plus afferat.*

Attamen (proh dolor!) non semper respondimus huic curae tuae paternae. Plus, quam debueras, fecisti vineae tuae. Patienter exspectasti, ut faceremus uvas: et ecce labruscas; atque folia quidem multa, sed fructus oppido paucos. Fatemur intolerabilem negligentiam nostram, simulque veneramur immensam longanimitatem tuam, qua nobis hucusque pepercisti. De infinita hac clementia tua confidentes offerimus tibi hanc hostiam placationis in plenam satisfactionem omnium iniquitatum et negligentiarum nostrarum. — Pater providentissime, qui clarificaris in hoc, ut fructum plurimum afferamus et efficiamur discipuli diligentes Christi tui: purga nos tamquam palmites eidem viti verae insitos. Ab insano vanitatis amore purifica nos per dura et aspera, quo foecundiores reddamur in operibus justitiae. Hic ure, hic seca, hic castiga, dummodo parcas nobis in aeternitate. Effice, quaesumus, o coelestis Agricola, ut sem-

per in Christo maneamus velut palmites in vite vera. Da nobis patientiam in his diebus putationis ac persecutionis, quo uberiores bonorum operum fructus afferamus. Opitulare fidelibus Christianis, ne transversum agantur illorum exemplis, qui a recta fide desciverunt. Miserere istorum infelicium, ut resipiscentes ad Ecclesiae sinum revertantur, ac Christo viti verae iterum inserantur. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Prae admiratione et laetitia vix me capio, Deus, Salvator meus, amabilissime Jesu! — O felix hora, qua *vitis vera* tam arcte conjungitur cum palmite suo! — O Amor mi! dixisti aliquando discipulis tuis: *Manete in me, et ego in vobis.* Quam inaestimabilis dignatio! quam beata mansio! — Tu in me, o Jesu! et ego in te. — Quanta felicitas! quam dulcis consolatio! — O Verbum immensum! in te nunc absorptus obliviscor rerum humanarum; obliviscor mei ipsius. — O bone Jesu! quid dicam modo? Gratias ago tibi pro coelesti hoc convivio, quo me denuo refecisti, ut novas inde vires hauriat anima mea. Cupio, Domine, deinceps semper adhaerere tibi: nihil enim magis timeo, quam separari a te, o *Vitis vera!* — Conserva me meosque proximos in fide et caritate mutua, ut tibi constanter adhaereamus et tamquam palmites frugiferi maneamus in te, velut in *viti vera.*

„O Jesu bone! fac nos agnoscere beneficium redemtionis nostrae. Fac nos intelligere magnum istud tuae caritatis opus. Imprime cordibus nostris indelebilem amarissimae passionis tuae memoriam, ut tanto beneficio nunquam inveniamur ingrati. O bone Jesu! ne

patiaris sanguinem tuum pretiosum in nobis perire suoque fructu privari, quem in cruce pro omnium salute fudisti. Non enim corruptibilibus auro vel argento redemisti nos, sed proprio tuo sanguine, pretio utique magno nimis. Ne sinas, benignissime Salvator, tantos labores tuos, quos nostra causa pertulisti, fieri irritos. Et tale pretium ne permittas in vanum fuisse expensum; sed impleatur in nobis fructus passionis tuae. Labor tuus in nobis proficiat. Mors tua in nobis vitam operetur, et ingentes tui cruciatus afferant nobis laetitiam sempiternam. O Jesu dulcissime! quoties sanguinem tuum conculcavimus? quoties nostrae hoc redemtionis pretium despeximus et in terram projecimus? Conculcamus enim et, quantum est ex nobis, in terram projicimus sanguinem tuum, quotiescunque peccata nostra, jam semel tuo sanguine expiata, per pravae voluntatis consensum iteramus. O quam indigna res est talis contemtus et nimium lamentabilis despectio! Auri vel argenti minutias nemo patitur sciens ac volens in terram decidere, sed omni servantur diligentia, ne forsan elabantur et pereant: tuum autem sanguinem indignissime calcamus! Parce nobis, Domine! parce miseris, parce praevaricatoribus. Trahe nos post te, ut, quod fuimus, esse desinamus; ut, qui hactenus sanguinis tui fuimus calcatores, amodo cultores ejus efficiamur." *Titelman.*

Succurre nobis, o Jesu suavissime, qui tuis dixisti Apostolis: *Sine me nihil potestis facere.* Agnoscimus ac confitemur imbecillitatem nostram, quae talis et tanta est, ut sine te nihil agere possimus, quod ad vitam conducat aeternam. Tuo igitur auxilio nobis semper adesto. Et quia non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam: effice, precor, ut aerum-

nas nostras patienter feramus, quo plenius exinde purgati tandem aliquando transferri mereamur in paradisum coelestem. Amen.

FERIA III.

Sacerdos, ut diligat proximum, habet: 1) majorem obligationem; 2) plures occasiones; 3) plura media, quam laici.

PRECES ANTE MISSAM.

„*Jam non dicam vos servos: vos amici mei estis.* Haec tua verba sunt, Domine Jesu! verba infinito tuo amore dignissima; verba, aeque tibi gloriosa, ac nobis jucunda; verba, quibus suprema tua Majestas non utitur, quando cum Angelis loquitur. Angeli enim a te vocantur nuntii vel legati, a Prophetis autem et Apostolis appellantur ministri ac famuli tui. Neque permittis Angelos sacrificium offerre ad altare tuum, aut tecum familiarius loqui. — Quis igitur ego sum, Domine Jesu, ut me amicum tuum nominare digneris? Ergone ego amicus tuus? Quaenam proportio inter te et me? Et tamen aliqua debet esse inter amicos proportio. Quaenam gratitudo mea? Et tamen inter amicos debet esse gratitudo. Heu! tot in me peccata! tot flagitia! haeccine sunt argumenta, quibus tibi hactenus amorem meum demonstravi? — Ah, intelligo, Domine Jesu! non ideo me vocas amicum tuum, quia ego diligo te, sed quia tu diligis me, licet omnium indignissimum. Hodie iterum mihi te dare vis: et

adorando hoc sacramento tu ipse, velut amicus intimus, omnia mihi esse vis. Non renuis me pascere, me fovere, me audire, me sanare, me nutrire“ [1].

„Ecce, ego ad te venio, Domine, ut bene mihi sit ex munere tuo, et laetificer in convivio sancto tuo, quod parasti in dulcedine tua pauperi, Deus...Nam haec est una principalis fidelis animae consolatio, quamdiu peregrinatur a te in mortali corpore, ut saepius te, dilectum suum, devota suscipiat mente...O beata anima, quae te Dominum Deum suum meretur devote suscipere et in tui susceptione spirituali gaudio repleri! O quam magnum suscipit Dominum! quam dilectum inducit hospitem! quam jucundum recipit socium! quam fidelem acceptat amicum! quam speciosum et nobilem amplectitur sponsum, prae omnibus dilectis et super omnia desiderabilia amandum!“ [2]

Diligo te, Jesu amabilissime, summoque desiderio nunc ad divinam mensam tuam festino. Propter te quoque diligo proximos meos, quia hoc est praeceptum tuum, ut diligamus invicem. Et, antequam offero munus ad altare tuum, ex animo singulis fratribus ignosco, qui me qualibet injuria laeserunt vel contristarunt. Esto (quaeso) propitius, non tantum amicis, sed etiam hostibus meis. Auxiliare benefactoribus atque domesticis meis et omnibus, quorum de salute me sollicitum esse oportet. Fac eos christianis splendescere virtutibus, ut de bona sua conversatione tibi placeant. O Jesu, dilectionis sincerae Praeceptor! obsecro te, ut in his temporum angustiis subvenias romano Pontifici, catholicis episcopis, regibus, principibus, magistratibus et universo populo tuo christiano. Memento etc.

---

[1] Anonymus recens. [2] Imit. C. l. 4. c. 3.

PRECES POST MISSAM.

Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. — Jesu melliflue! Amice amantissime! pro me peccatore nefario non solum in dura cruce mortuus es, sed iterum etiam iterumque mihi teipsum apponis in cibum et potum. Vere nunc intimus es amicus meus, qui non horruisti subire intima cordis mei penetralia. O mi Salvator adorande! quo diutius hanc caritatem tuam mecum expendo, eo vehementiori dilectionis igne cor meum exardescere sentio. — Et cum haec sit hora, Amice liberalissime, qua multum a te impetrare spero, ideo multum a te rogare audeo. Precor itaque, bone Jesu, consolida me in tui et proximi dilectione, ut quosvis homines sincero complectar amore.

„Dulcis et benigne Domine Jesu, qui exhibuisti caritatem, qua majorem nemo habet, et cui parem nemo habere potest; qui animam tuam pro peccatoribus posuisti, et pro ipsis interfectoribus tuis in cruce Patrem orasti: tu, Domine Jesu, qui tantam exhibuisti caritatem inimicis tuis, tu caritatem praecepisti amicis tuis. Bone Domine! quo affectu recogitabo inaestimabilem hanc caritatem tuam? Quid retribuam immenso huic beneficio tuo? Transscendit enim omnem affectum dulcedo benignitatis tuae. Quid ego vermis et cinis retribuam tibi Deo meo, nisi ut obediam praecepto tuo? Hoc est autem praeceptum tuum, ut diligamus invicem, sicut tu dilexisti nos. Huic praecepto tuo desiderat obedire humilis servus tuus. Tu scis, Domine, quia dilectionem, quam praecipis, habere desidero. Sincere diligo omnes homines in te et propter te, ideoque pro omnibus deprecor clementiam tuam. Sed quomodo re

ego pro dilectis fratribus meis orare audeo? Qui enim mihimet ipsi veniam exorare non sufficio, qua fronte gratiam tuam pro aliis petere praesumo? et, qui anxius ipse intercessores quaero, qua fiducia pro aliis intercedo? Quid faciam, o Domine Jesu? Tu jubes me precari pro aliis, et dilectio fraterna idipsum postulat. Sed clamante mihi conscientia, ut pro meis peccatis sollicitus sim, pro aliis intercedere contremisco. Dimittamne igitur quod jubes, quia feci quod prohibes? imo quia feci prohibita, nunc amplectar imperata, si forte caritas operiat multitudinem peccatorum meorum. Oro te igitur, o bone Deus, pro omnibus, pro quibus me orare vis. Dilige omnes proximos meos tu, Fons dilectionis, qui et praecipis et das mihi, ut diligam omnes. Fac, ut et ipsi te ex toto corde diligant, et ea solum, quae tibi placent, faciant. Tepida quidem est haec oratio mea, quia parum fervida caritas mea. Sed tu, dives in misericordia! ne metiaris tua beneficia secundum torporem devotionis meae; sed, sicut divina benignitas tua superat omnem humanam caritatem, ita exauditio tua transscendat affectum supplicationis meae. Fac illis et de illis, Domine, quod ipsis expedit secundum voluntatem tuam, ut sic a te dirigantur ac protegantur semper et ubique, quatenus aliquando ad gloriam aeternam perveniant. Amen." *S. Ansel. Cantuar.*

FERIA IV.

Ut domui nostrae, in quam Jesum quotidie recipimus, salus fiat, debemus, sicut Zachaeus: 1) esse pusilli (humiles); 2) praecurrere desiderio, Jesum videndi actice cognoscendi); 3) ascendere in altum (orando,

meditando etc.); 4) promti esse ad obsequium Christo praestandum.

PRECES ANTE MISSAM.

Ob praesentis vitae miserias aegritudine pressus undique circumspicio, anxiusque consolatorem inquiro. In hac temporum caligine, in ista rerum perturbatione, quo confugiam, ut aliquid inveniam solatii? — Ad te, Domine Jesu Christe! ad te nunc confugio, te inclamo gemens ac dolens. Veni, quaeso, misericordissime Salvator, Rex Israël! visita moerentem, afflictum erige, consolare tristem, et exhibe misero viscera misericordiae tuae. Praeter te, Domine Jesu, nihil quaero, nihil aliud desidero super terram.

„Ecce! in te est totum, quod desiderare possum et debeo. Tu salus mea et redemtio, spes, fortitudo, decus et gloria. *Laetifica* ergo hodie *animam servi tui, quoniam ad te*, Domine Jesu, *animam meam levavi.* Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere. Cupio te in domum meam introducere, quatenus cum Zachaeo merear a te benedici ac inter filios Abrahae computari. Anima mea corpus tuum concupiscit; cor meum tecum uniri desiderat. Trade te mihi, et sufficit; nam praeter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, et sine visitatione tua vivere non valeo.“ *Imit. l. 4. c. 3.*

Audire mihi videor vocem tuam, Domine, dicentem mihi: *Conscende aram meam, quia hodie in domo tua oportet me manere.* — O verbum dulce, cui libenter obtempero! Festinans adibo mensam tuam, ut accipiam corde meo Salvatorem optimum. Properabo ad altare tuum, ut inveniam, quem diligit anima mea — Sed, qua fronte introducam te in domum meam

— Te Deum sanctum hospitio accipere timeo, sciens, quod aedes, quas inhabitare dignaris, oporteat esse puras et sanctas: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine.* Peccator ego sum miserrimus, plenus vitiorum squaloribus; et proinde non sum dignus, ut intres sub tectum meum. „Nimis angusta est domus animae meae: dilatetur abs te, Domine! Ruinosa est: repara eam. Habet, quae offendant oculos tuos, fateor et scio. Sed quis mundabit eam? aut cui alteri praeter te clamabo: Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo?“ *S. Aug.*

Infinita bonitas tua eo te compulit, ut intraveris domum Zachaei, publicanorum principis. Quin etiam murmurantibus Pharisaeis aperte dixisti: *Venit Filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat.* Confidens itaque de immensa benignitate tua hodie propero ad te, Redemtor suavissime, qui non venisti vocare justos, sed peccatores. Advolo ad mensam tuam: ibi namque immortalitatis pharmacum, ibi praeclarum infirmitatis meae remedium, ibi maximum in aerumnis alleviamentum invenio. Gaudenter excipiam te hospitio. O quantum exultabit spiritus meus ad tanti hospitis praesentiam!!

„Quid ergo me adhuc tardabit? quid me retrahet? quid impedimenta parabit, ne Dominum meum introducam in domum meam? O mira dignatio! o ineffabilis clementia! Dominus benignissimus vult habitare in corde meo. Abominabilis ego flagitiorum spelunca valeo esse ex immensa Dei mei clementia habitaculum ejus; et qui plenus sum foetore, ero templum Dei et sedes Sapientiae. O felix dies! o beata hora, dum talem et tantum hospitem possidebo!! Tenebo eum, nec dimittam, donec et ipse me introducat in domum suam, quae sursum est.“ *S. Ansel. Luc.*

Jesu misericordissime, qui non vis mortem, sed poenitentiam et emendationem impiorum! clementer respice nos miseros peccatores ac conatus nostros auxilio tuo prosequere, ut per infinitam misericordiam tuam criminum nostrorum veniam, in tuo servitio constantiam et donum finalis perseverantiae consequamur, quo securius ad illam mercedem ac gloriam coelestem pertingamus, quam promisisti perseverantibus. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Hodie salus domui meae facta est, Domine Jesu, Fili Dei, quia denuò replevisti in bonis desiderium meum et visitasti lugentem animam meam. Te nunc in corde meo praesentem habeo, te mundi Salvatorem, quem olim Zachaeus in domum suam excepit gaudens. Pari gaudio nunc exulto, quia te reapse possideo. Vere bonus es Dominus, miserator et misericors, eoquod iterum *ad hominem peccatorem* divertisti eumque pane Angelorum refecisti. Quid est homo, Domine, quia memor es ejus et tam familiariter visitas eum? Ut quid tam suaviter apponis erga eum cor tuum? — O bonitas incomprehensa! o liberalitas inexhausta! Gratias ago tibi, Salvator amantissime, pro dulci hoc convivio, in quo sunt omnes deliciae paradisi coelestis. Grates tibi pro stupenda largitate tua, qua teipsum mihi praebuisti manducandum.

Omni, qua par est, animi submissione ac reverentia te adoro, clementissime Redemtor, qui jam intra cordis mei penetralia habitas. Laudo et glorifico te, Hospes divine, qui rursum effecisti me tuae divinitatis et humanitatis sacrarium, templum Spiritus sancti et tabernaculum adorandae Trinitatis. Amo te, bone Jesu,

intime doleo, quod non semper amaverim te pro posse meo. — Posthac emendabo vitam meam et altiorem perfectionis gradum omni virium contentione conscendere conabor. Hujus vitae miserias aequo animo tolerabo; et quae sunt officii mei, animose praestabo.

Cum autem ex meipso nihil boni perficere valeam, obsecro te, Hospes adorande, ut tua mihi gratia subvenias, ne unquam a proposito meo discedam, sed ut assidue ministerium meum honorificare pergam. Zachaeus, princeps ille publicanorum, mox ad nutum tuum festinans descendit ex arbore, sine cunctatione te hospitio excepit et optima concepit proposita: idcirco salus domui ejus facta est. Effice, quaeso, misericors Salvator, ut et ego festinanter obediam voci tuae, ac cum gaudio sancti Spiritus exacte perficiam mandata tua, quo dignior reddar favore et amore tuo.

Bone Jesu, qui venisti quaerere et salvum facere, quod perierat! en, et ego erravi sicut ovis, quae periit, sed tua reductus ope divina rursus ad te redii. Confirma deinceps gressus meos in semita mandatorum tuorum. Largire mihi necessaria bona et dona tua, quibus exornatus tibi recte servire ac placere valeam. — In domo Zachaei diversatus dixisti: ***Hodie salus domui huic facta est.*** Age jam, suavissime Hospes, qui personaliter ingressus es angustam cordis mei domunculam, dic animae meae: ***Salus tua ego sum.*** Miserere mei, Domine Deus salutis meae! Tibi notum est, quam fragilis quamque ruinosa sit domus animae meae. Benedic, Domine, domum istam: mane semper in corde meo. Sine te esse nec volo nec valeo. Nimis quam periculosum mihi foret vivere sine te, Domine Deus. Qui vivis.

FERIA V.

Incompatibile est, servire Deo et mundo: 1) ex parte dominorum, qui sibi inimicissimi, quorum principia plane repugnant; 2) ex parte hominis, qui nonnisi unum potest amare, uni adhaerere, servire; 3) ex parte servitii, quod totum requirit hominem; 4) ex parte mercedis, quae altera alteram excludit.

PRECES ANTE MISSAM.

Quid agam modo? num me denuo sistam unigenito Dei Filio, supremo Regi et Domino meo? Totus in metu et trepidatione sum, si attente cogito, me vilem terrae vermiculum, me peccatorem immundum, me servum pigrum et inutilem, accedere ad Deum-Hominem, ad Regem coeli et terrae, ad Dominum omnium nationum et provinciarum, omnium hominum et Angelorum, ad Dominatorem totius universi. — O mi Jesu! quomodo mihi tantum sumam, ut iterum manus meas impuras ad te contingendum extendam? Ozam video corruere *juxta arcam*, quam inclinatam volebat sustentare: quomodo jam ingredietur ad me Dominus arcae?

„Dulcissime Jesu! per tuum dulce nomen praesta mihi, ut ad te digne suscipiendum efficiar habitaculum idoneum tibique gratum. Veni mihi hodie in bonum, bone Jesu! En offero tibi pro hospitio cor meum. Adventus tuus erit animae meae multo jucundissimus. Verumtamen imparatum est hospitiolum meum neque pro debita tanto hospiti reverentia satis instructum. Propterea praemitte, Domine, in animam meam praeparatorem hospitii, Spiritum sanctum, qui dignum in me tibi diversorium praeparet omnibusque virtutibus exornet. Tu enim, Domine Deus, qui cognoscis figmer

tum nostrum, tu optime nosti, mihi esse impossibile, ut animam meam tibi digne praeparem eamque divinae Majestati tuae dignum faciam habitaculum. *Quis potest dicere, mundum est cor meum* (Prov. 20.) *purus sum a peccato?* Ecquis nostrum in conspectu tuo gloriabitur, immaculatum se habere cor et dignam tibi se praeparasse habitationem? Tu es Rex nimium excelsus et omnia nostra longe superas, ut adeo hujus rei spem omnem nobis ademeris. Sed tu, Domine, ipse tibi parare debes corda nostra eaque tibi mundare et ornare, ut digna fiant tremendae Majestatis tuae hospitacula. Idipsum etiam observant hujus saeculi reges ac principes, quorum nulla est tecum comparatio: hi tamen, dum forte per oppida et castella transeunt, ubicunque hospitium sibi elegerint, omnem illuc apparatum suum copiosum aeque ac pretiosum praemittunt, ut domum pro diversorio designatam ipsi sibi digne praeparari faciant; sciunt enim, hujusmodi regium ornatum in domibus vulgarium non inveniri, nec in plebejorum esse potestate, ut ex iis, quae apud ipsos sunt, regiae majestati dignum parent hospitium. Ita et tibi, Deo sancto, Regi maximo et Domino supremo, longe majore ratione faciendum est, ut, quia ex nobis tibi dignam mansionem adornare non sufficimus, tu nostram inopiam clementer respiciens eidem benigne succurras, tuaque munificentia paupertatem nostram suppleas. Dominus es ditissimus, cui facillimum est, homines miseros ac pauperes omnibus honestare bonis et omni virtutum ornamento decorare. Tibi verbulo tantum opus est, et fiet, quidquid jusseris. Confiteor, Rex potentissime, quod dignus non sim, ut divina tua Majestas intret sub tectum meum vilissimum. Verumtamen unicum dic verbulum, jube solum, et ornabitur anima mea." *Titelman.*

„Scio, bone Jesu, quod non merear ecclesiae tuae limina sacra contingere, nec infelices oculos meos ad coelum elevare. Veni tamen, Domine Jesu! veni, dulcis Habitator, ad me: veni, obsecro, totumque me juri tuo sic vindica, ut nullam de cetero partem in me habeat tyrannus infernalis. Dedica me tibi templum vivum, quia tu es Rex meus, Dominus meus et Deus meus“ [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Dominus meus! Rex meus! Deus meus! Jesu Christe! tune habitare in corde meo? in domuncula tam sordida? — Ah quam miser ac caecus sum ego, qui ad tantae Majestatis praesentiam vultu non palleo, corde non palpito, animo non liquesco, nec artubus singulis contremisco, quin ne lacrymam quidem effundo. — O deploranda cordis durities! — Humillime prostratus ad pedes tuos adoro te, Jesu Christe, qui es Deus immensus, Dominus excelsus, Rex magnus super omnem terram, qui dignus es a creaturis omnibus accipere honorem et gloriam. Te praesentem in pectore meo suppliciter adoro, miser ego servulus tuus, plenus admiratione et stupore, jam metu, jam gaudio suspensus. —

Venite, audite omnes, qui timetis Deum: et narrabo, quanta fecit animae meae. Dominus Angelorum me servum inutilem evexit ad amplissimam sacerdotii dignitatem. Rex coeli et terrae seipsum mihi dedit in cibum, et nunc habitat in immunda cordis mei spelunca. Laudate Dominum adeo bonum; laudate Regem adeo liberalem.

---

[1] S. Petr. Damian. Cardinal.

Jesu Fili Dei! haud satis invenio verborum, ut debitas tibi referam grates pro beneficiis, quibus indignum me famulum tuum obruis. Enimvero pro singulari tua in me benevolentia nihil aliud possum, nisi redamare te, benefactorem meum optimum. Idcirco (si tuam mihi dederis gratiam) ex toto corde meo semper redamabo te, Dominum meum; tibi soli parebo, tibi diligenter auscultabo, tibique constanter adhaerebo. *Nemo servus potest duobus dominis servire*, prout ipsemet asseverasti. Nuntium itaque remitto creaturis omnibus, quae animum meum a te possent avellere. Tu solus es mihi lumen in dubiis, praesidium in angustiis, refugium in periculis, auxilium in praeliis, gaudium in aerumnis, solatium in morbis, viaticum in terris et praemium in coelis.

Scio, mi Jesu, Rex amantissime, quia nihil denegabis mihi servulo tuo precanti, cui jamjam totum donasti teipsum. Quare summis te precibus obtestor, ut me (meosque proximos) in sancto servitio tuo confortare et in amore tuo stabilire digneris. Hostes nostri vaferrimi turmatim nituntur animos nostros a te avocare et ad se pellicere. Diu noctuque nos oppugnant adversarii, nihil non agentes, ut nos abstrahant a servitio tuo, ab amore tuo, a religione tua, ab Ecclesia tua. Tot inter inimicorum insidias te solum habemus defensorem, o Jesu fortissime! — Ad te igitur confugimus; ad te una voce clamamus: *Salvos fac servos tuos*, Domine, *sperantes in te.* Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum: ita oculi nostri ad te Dominum Deum nostrum, donec miserearis nostri. Jesu clementissime! da nobis animos impavidos ac infractos, ne pareamus salutis nostrae hostibus, sed ut dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum

ipsorum servile, quod nobis imponere volunt. Effice, quaesumus, omnipotens Deus, ut tibi serviamus alacriter: jugum enim tuum suave est et onus tuum leve. Fac, o Jesu, Rex et Dominus noster! fac nos tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui vivis.

FERIA VI.

Relapsus in eadem peccata gravia est periculosissimus: 1) peccatum fit gravius; 2) consuetudo fortior; 3) gratia minor. Quare, ne relabaris, time, fuge, vigila, ora.

PRECES ANTE MISSAM.

Creator omnipotens, Deus terribilis ac metuende nimis, cujus judicia abyssus multa; qui justum aeque ac ingens posuisti discrimen inter homines, ut unus assumatur in vas electionis, et alter relinquatur in massa perditionis: en, magno pavore perterritus, antequam operaturus sum sacris, coram tremenda Majestate tua in faciem procido, tuamque circa reprobos ordinationem aequissimam (investigabilem hanc judiciorum tuorum abyssum) infima cordis submissione veneror. Per infinita Christi Filii tui merita, quae tibi nunc offero, suppliciter rogo te, Pater aeterne, bone Deus, ne derelinquas me propter iniquitates meas, sed ut tuam mihi porrigas dexteram et de profundo perditionis eripias animam meam, quae longius aberraverat a via recta.

„Heu mihi! quam sero redii! heu quam tarde ad te festinavi! Diu cucurri post vulnera, dedignans inco

lumis praecavere jacula. Neglexi prospicere tela, et jam sollicitor de morte vicina. Vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addidi. Recenti plaga cicatrices refricui, quia priora flagitia novis iniquitatibus reciprocavi. Quae divina tua jamjam solidaverat medicina, mea denuo pessumdedit prurigo phrenetica. Scio quippe (*Ezech. 33.*) scriptum: ***In quacunque die justus peccaverit, omnes justitiae ejus oblivioni tradentur.*** Quodsi justitia aboletur justi ruentis, quanto magis poenitentia peccatoris in idipsum revertentis? Heu, quoties ut canis redii ad vomitum, et quasi sus repetii luti volutabrum! Non fateri mihi difficile, quia non recordari mihi impossibile. Innumera mala perpetrare non horrui, quia bonorum tuorum oblivisci non timui. Sed tu, justissime Deus, observasti omnes semitas meas et cunctos gressus meos dinumerasti. Tacuisti semper, siluisti, patiens fuisti et ad poenitentiam me exspectasti. Domine Deus, praestabilis super malitia! novi, quia non semper silebis, cum in conspectu tuo ignis exardescet et in circuitu tuo tempestas valida. O mi Deus! spero veniam; spero misericordiam. Credo namque, Domine Deus, quod audivi: quoniam benignitas tua ad poenitentiam nos adducit." *S. Anselm.*

Credo, misericordissime Pater, infinitas esse divitias bonitatis et longanimitatis tuae. Spero igitur atque confido, fore, ut tu bonus Dominus a peccatis meis (de quibus sincere doleo) me clementer absolvas et inter filios tuos assumas. Emunda cor meum ab omnibus vel minimis noxarum maculis, ut sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem ad aram digne offeram ac corde meo reverenter recipiam. Fac, ut cibus iste divinus me confortet adversus spiritum pusillanimitatis, qui me satis acerbe nonnunquam infestat, dum attente recogito pro-

fundum illud mysterium praedestinationis, qua mortalium *unus assumitur* ad coelestem gloriam, *et alter relinquitur* ad poenam sempiternam. — Per acerbissimam Unigeniti tui Jesu Christi mortem, quam in altari hodie recolo, humiliter obsecro te, sancte Pater: ut et me et proximos meos ope tua divina sic corrobores, ne peccando veniamus in aeternae damnationis periculum, sed ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus. Praesta, ut aquilarum more semper ad coelestia tendamus et terrena despiciamus. Da nobis perseverantiae donum, ne descendamus ad res inanes atque caducas, neque retro redeamus ad priora vitia, sed ut assidue in bono persistamus, ac in die judicii Christo cum Angelis venturo mereamur occurrere, simulque cum illis in coelum ascendere. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Reverentia qua possum maxima tuis advolutus pedibus adoro te, Domine Jesu, tibique grates habeo demississimas pro inaestimabili hoc beneficio, quo me denuo tibi devinxisti. Constans omnino est tua in me bonitas, o Jesu amabilis! Sacram quidem carnem tuam piis solum ac spiritualibus hominibus in cibum parasti: *Ubicunque corpus* tuum sanctum, *illuc congregabuntur et aquilae.* Scio autem, Domine Jesu, tantum abesse, ut aquilae nomen mihi congruat, ut immundus etiam graculus appellari merear, quia toties vanitatibus terrenis adhaesi. Nihilo tamen secius admisisti me ad mensam tuam purissimam, et esurienti animae meae teipsum dedisti manducandum. O benevolentia mirabilis, quae toto totius cordis mei amore dignissima est!!

Diligo te, liberalissime Jesu! Te solum amo super omnia, quae sub sole sunt; et amore tui nunc omnia bona terrena despicio. Tu solus in posterum eris amor meus et unicus thesaurus meus. Ad te levabo oculos meos, te semper cogitabo, et ab infimis terrae bonis sursum ad te subvolabo velut aquila. Utinam ardentiori hactenus amore tibi adhaesissem alacriusque servire studuissem. O quot dies et horas nugis perdidi! quot temporis momenta neglexi, vel etiam male traduxi! Heu, quam incerta mihi hora mortis meae! quam anceps sors aeternitatis meae! — *Duo in agro: unus assumetur, et alter relinquetur.* Domine Jesu, qui vitae et mortis habes potestatem! jam multos homines ejusdem mecum aetatis et dignitatis ante oculos meos et a latere meo assumsisti, ut tibi rationem vitae suae redderent: me autem usque adhuc reliquisti in hoc stadio, in hoc lubrico peregrinationis itinere. Neque scio, quandonam me sis e vivis assumturus et ad tribunal tuum citaturus. Etiamnum incertum mihi est, an domus aeternitatis meae futura sit amoena apud superos, an ignita apud inferos.

O bone Jesu! angustiae me premunt undique. Meta et exspectatione suspensus haereo, quia res meas nondum in tuto collocatas sentio. Si tantum iniquitates meas intueor, utique parum absum a desperatione. Quoties autem inexhaustas tuae misericordiae divitias expendo, nova mihi spes affulget, animus redit, fiducia crescit. Tot beneficia, mihi jam a te concessa, securo me animo esse jubent. De summa igitur benignitate tua confidens oro et obtestor te, dulcissime Jesu, ut propitius sis mihi peccatori. Fac, ut instar aquilae sursum tendam et alis contemplationis ad coelestia ferar. Eleva mentem meam super omnia transitoria et mundana,

ut te prae oculis semper habeam, o Sol justitiae! nec appetam incerta saeculi bona, sed te, summum Bonum.

Jesu amantissime, qui non desinis hominibus indignis nova quotidie beneficia tribuere; fac, ut et ego et omnes proximi mei te quam maxime diligamus, nec ab amore tuo divelli nos patiamur. Concede nobis gratiae tuae subsidium, ut juxta suam quisque vocationem pergamus virtutum officia praestare. Largire nobis, Domine, donum perseverantiae, ne a via crucis, a semita perfectionis descendamus, neve redeamus retro, sed ut in sancto melioris vitae proposito constanter usque ad mortem permaneamus, et aliquando perseverantiae coronam accipiamus a te. Qui vivis.

SABBATO.

Beatus Deum: 1) videbis absque obscuratione; 2) amabis absque divisione cordis; 3) possidebis absque timore amissionis. (Quae omnia hic anticipare et praeparare debes per meditationem — dilectionem — eucharistiae devotam susceptionem.)

PRECES ANTE MISSAM.

Hora venit, o liberalissime Deus! o coelestis Paterfamilias! hora venit exoptatissima, qua rursum illius coenae magnae conviva ero, ubi mihi cibus et potus erit Dominus mensae, Filius tuus unigenitus, qui propter nos homines homo factus est. O convivium revera magnum! ibi enim mihi *parata sunt omnia,* quia de seipso me reficiet Jesus meus, Dominus et Salvator meus, Deus meus et Omnia. Quantum beneficium! — Pater omnipotens! miser ego peccator ad hanc coenam

magnam non accederem, nisi perspectum mihi foret, etiam *pauperes* et *debiles*, *caecos* ac *claudos* illuc a te vocari, nec invitari vel admitti solum, sed etiam compelli. Talis est tua bonitas, ut ab ineffabili hoc convivio neminem excludas, sed omnes admittas, quicunque fatentur inopiam suam.

„Omnipotens sempiterne Deus! ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi: accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, ut meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem; ut panem Angelorum, Regem regum et Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate, fide et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, Dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti.“ *S. Thom. Aquin.*

Pater clementissime! per infinita Filii tui merita nobis peccatoribus esto propitius; et a peccatis omnibus expurgatos nos omni decore virtutum exorna, ut sacrosanctum hoc convivium digne celebremus in terris, et tandem mereamur admitti ad coenam magnam in coelis: ut dilectum Filium tuum, quem nunc in mysterio velatum accipimus in via, aliquando facie revelata perpetuo contemplemur in coelesti patria. Memento etc.

Ad Christum. Bone Jesu! Salvator mundi! stupenda est tua in credentes benignitas atque munificentia. Pauperes nos et debiles invitasti ad coenam illam magnam, quam adornasti in Ecclesia tua. Ibi

hospitum tuorum cibus non est alius, nisi sacrosancta caro tua, nec alius potus, nisi pretiosissimus sanguis tuus. Et quia hodie et quotidie voluisti esse refectio animarum nostrarum, ideo docuisti nos sic orare: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

„Sed cur, o Jesu, tantopere festinas, *hodie* mecum esse? Quare non differs usque cras? Quid ergo in me vides? quid in me reperis, quia tali et tanto inebriaris amore mei, ut hodie et quotidie cibus animae meae esse velis? Quid mecum lucraris? quem fructum de me habebis, eoquod tardare nescis? Quodsi autem amor mei te sic urget, ut differre nequeas, quin quotidie velis esse mecum, a quo tamen nullum habes lucrum: cur ego tam negligenter ac languide cupio possidere te summum Bonum meum, te unicum solatium meum, te Deum meum, te *Omnia* mea? Dum itaque tu, bone Jesu, differre non vis, nec ego differre volo. Hodie ergo te expeto; hodie te habere desidero. Tu flagras amore mei, et ego amore tui. Te igitur inclinas ad me, et me trahis ad te, o Pondus amoris! ut absque mora mutuus fiat amplexus; ut inter brachia tua, o Homo-Deus, deficiat anima mea, penitus absorpta caritatis ardore. Amen.“ *S. Ansel. Lucens.*

PRECES POST MISSAM.

Ergone Jesus in pectore meo? — O Domine mi! quantum inter nos discriminis est! Inops et pauper sum ego: tu autem, Domine Jesu! tu es unica spes mea, consolatio mea, dulcedo mea, fortitudo mea, salus mea, pax mea, laetitia mea, refectio mea, pars mea, haereditas mea, merces mea, Deus meus et *Omnia.* Hujus coenae quam felix hora! *Omnia* nunc habeo, quia te

Jesum meum possideo. Plane mihi jam nota est tua in me caritas. Magnus es Dominus; et tamen in hac coena magna factus es parvus, ut fieres animae meae cibus. Non explicaris lingua, quia ineffabilis es; non caperis intellectu, quia inscrutabilis es; non angustaris termino, quia immensus es; non includeris loco, quia incircumscriptus es; neque variaris casu, quia immutabilis es: nihilominus ad coenam tuam magnam admisisti me pauperem meritis, debilem voluntate, caecum mente, claudicantem in consiliis piis. Tanta me complecteris caritate, Jesu dulcissime, ut in sinu meo quotidie corporaliter habitare digneris. O magne Deus! si beneficii hujus magnitudinem ex omni parte circumspicio, animo prope deficio. Quis enim ex inimicis meis malevolis non invideat mihi talem honorem, tantam praerogativam, tantam benevolentiam tuam? —

Supplex adoro et magnifico te, Domine Jesu, qui factus es mihi cibus, consolator, redemtor, advocatus, adjutor, medicus, magister, amicus, frater et *Omnia, Omnia.* — Infinite bonus es Dominus; nam mihi, qui nihil, omnino nihil promereor, mihi omnia dedisti, dum mihi teipsum totum dedisti. Quid tibi retribuam pro his *omnibus?* Si totum me tibi debeo pro me creato et facto, quid rependam pro me recreato, pro me taliter refecto? Totum me pro me debeo: quid tibi retribuam, Domine, pro teipso? Etiamsi millies ac millies me reddere possem, quid ego ad Deum? quid nihilum ad Omnia? Non habeo cor adeo magnum, ut immensae caritati tuae valeam in amore respondere. Bone Jesu! tantis me tibi beneficiis obstrictum tenes, ut pares pro illis grates referendo vel solvendo non sim. Ecce, meipsum et omnia mea tibi suppliciter offero, sicut et tu mihi teipsum, et tecum omnia donasti.

Domine Jesu! Panis coeli! accende me (meosque proximos) sacro caritatis igne, ut novo in dies ardore nos praeparemus ad coenam magnam, quam in Ecclesia tua credentibus parasti et sumere praecepisti. Da nobis fidem, humilitatem, dilectionem, reverentiam ac cordis devotionem, ut digne vescamur epulo divino, et in fortitudine cibi hujus ambulare valeamus ad aulam tuam coelestem, ubi coena vere magna perpetuo concelebrabitur. *Beatus, qui manducabit panem in regno tuo.* Nunc quidem in lacrymis et in sudore vultus vescimur pane quotidiano; summa vero bonitas tua, qua toties nos admittis ad sacram mensam in terris, erigit atque confirmat spem nostram, quod aliquando nos susceptorus sis ad coenam aeternam, quam in coelis praeparasti diligentibus te. Qui vivis.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Sacerdotes abstineant a litibus, quia perdunt: 1) tempus; 2) quietem animi et spiritum ecclesiasticum; 3) occasionem bene operandi et lucrandi animas.

PRECES ANTE MISSAM.

Pater noster, qui es in coelis! qui miseros nos Adae filios ineffabili clementia in servos tuos, imo et in filios adoptare dignatus es; Pater coelestis, qui nos amore plusquam paterno complecteris, nutris, foves ac gubernas: concede nobis auxilium tuum, ut tibi semper et in omnibus obediamus, quo majore cum fiducia te Patrem nostrum invocare valeamus.

Sanctificetur nomen tuum. Id imprimis optamus, ut sanctum et terribile nomen tuum a cunctis nationibus in universo terrarum orbe concelebretur. Per hujus virtutem sacrificii, quod in altari hodie offerimus ad gloriam nominis tui, fac, Omnipotens, ut omnes ubique gentes te solum verum Deum, et quem misisti, Jesum Christum, agnoscant, diligant et adorent in unitate fidei, tuamque gloriam in omnibus unice spectent.

Adveniat regnum tuum. Per merita hujus sacrae oblationis effice, Rex coeli et terrae, ut summi tui imperii majestatem et amplitudinem miremur ac veneremur. Regnum tuum adveniat mihi servo tuo omnibusque conservis meis, et ita quidem adveniat, ut, quamdiu versamur in hac vita miserabili, semper intra nos sit regnum gratiae tuae; post obitum vero feliciter perveniamus ad regnum gloriae tuae coelestis, cujus nunquam erit finis.

Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Sancte Pater! auxiliare nobis servulis tuis, ut divinae voluntati tuae, cui semper Angeli parent in coelis, nos etiam morem geramus in terris. Da nobis, clementissime Pater, ut tam in prosperis, quam in adversis providentiam tuam collaudemus, tibique semper ad nutum obtemperare nitamur, quo certius et hic et ibi sanctorum Angelorum consortes efficiamur.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Oculi omnium in te sperant, Domine Deus, quia tu das escam illorum in tempore opportuno. Largire servis tuis victum necessarium, cibum spiritualem et temporalem: tribue nobis panem coelestem et terrenum; simulque gratiam, ut grate vescamur utroque, quo facilius aerumnosum nostrae peregrinationis iter conficiamus et ad patriam promissam perveniamus.

Dimitte nobis debita nostra, quae sic cumulavimus, ut solvendo minime simus. Sed, o Pater! apud te propitiatio est; apud te misericordia et copiosa apud Filium tuum redemtio, qui nobis immensum meritorum suorum thesaurum donavit, infinitumque sanguinis sui pretium velut depositum in altaris sacramento recondidit. Hunc itaque thesaurum hodie tibi offerimus, ut inde sumas, quantum debemus; nos utique servi tui pauperrimi, unde solvamus, non habemus. Procidentes igitur ad thronum misericordiae tuae humiliter obsecramus, ut patientiam nobiscum habeas et dimittas nobis omnia debita, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quod ad me attinet, benignissime Pater et Amator pacis! omnibus conservis meis ignosco, a quibus injurias accepi; tibi supplicans, ut et mihi et illis omne debitum condones per merita Christi tui, qui moriens in cruce pro transgressoribus rogavit cum lacrymis.

Et ne nos inducas in tentationem. Corrobora nos contra mundi hujus insidias et illecebras. Turbida praesertim isthac aetate indigemus auxilio tuo, cum ubique talia grassantur impietatis monstra, ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Da mihi et omnibus conservis meis subsidium gratiae tuae, ne in laqueos hostiles incidàmus nec cuicunque tentationi succumbamus.

Sed libera nos a malo. Serva nos a summo malo, nempe a peccato, quod tibi, o summum Bonum, maximopere displicet, ac nobis summopere nocet. Libera nos ab aeterno gehennae supplicio. Heu! quantum malum, a te separari pro omni aevo! Ah, libera nos ab hoc terribili malo illucque perducito nos, ubi nullum est malum, sed laetitia perpetua, securitas aeterna, pamoena et omne bonum. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Singularem tuam in me benevolentiam ac liberalitatem, Domine Jesu, eo minus mente capio, quo plus tibi aliunde debeo. Peccator ego sum omnium nequissimus et nimium ingratus servus tuus, qui plus decem millia talenta debeo tibi. Saepe saepius offendi te Deum Salvatorem meum, et negligentias negligentiis, peccata peccatis cumulavi. Tu autem quid ad haec omnia? Longanimiter siluisti, patientiam mecum habuisti, et deprecanti mihi veniam omne debitum dimisisti, quin etiam corpus et sanguinem tuum mihi dedisti in cibum et potum.

Jesu mi! Rex pacifice! maximas tibi de novo grates debeo pro inexhausta hac bonitate tua, qua me rursum ad dulcissimam pacis mensam admisisti. Detestabile forem ingratitudinis monstrum, nisi corde sincero diligerem te, et proximum propter te. Saltem in posterum amabo singulos conservos meos, quos aeque, ac me, ad imaginem tuam creasti tuoque sanguine redemisti. Propter te fratribus meis ex animo remitto injurias mihi hactenus illatas, et ultionis consilium abjicio. Ad pedem crucis tuae depono contumelias a conservis acceptas, aeternaeque oblivioni trado cunctas offensiones. In ipso tuo sanguine, qui circumfluens in venis meis non vindictam sed veniam clamat, demergo calumnias et ignominias, quibus me appetebant inimici mei. —

Concede mihi, Domine Jesu, talem proximi caritatem, qualem exigis a me. Frustra mihi sacerdotis tui nomen arrogarem, nisi homines universos amarem. Durum me quidem in alios subinde sentio, quia nondum cor ab omni amore proprio vacuum habeo. Sana itaque, bone Jesu! Rex pacis atque concordiae! sana

(precor) animi mei duritiem. Aufer a me cor lapideum, et da mihi cor carneum, ut, ubi videro conservos aerumnis agitari, commiseratione motus illico festinem eos adjuvare ac consolari. Da mihi cor benevolum, quod fratribus in omni necessitate subveniat, eorumque fortunas provehat, et quidquid eis obesse posset, diligenter removeat. Da mihi cor benignum atque pacificum, ut quoslibet homines tamquam fratres ac conservos carissimos diligam, illorum mores agrestes aequo animo patiar, ac compatiendo infirmitatibus eorum mederi studeam. O mi Jesu suavissime! da mihi cor mite ac humile, quod tuo cordi sit simile, pronum ad dandam veniam et ad reddendum bonum pro malo. Fac; ut nullam occasionem praetermittam, aliorum salutem procurandi.

„Domine Jesu, Dominator vitae meae! spiritum otii et ambitionis, spiritum inanis laboris et otiosi sermonis ne dederis mihi: spiritum autem temperantiae, humilitatis, patientiae et caritatis largire mihi servo tuo. Ita, Domine Rex! concede mihi, ut mea quidem delicta videam, fratrem autem meum non condemnem. Largire mihi, benignissime Jesu, ut in hoc exiguo vitae meae spatio effundam e corde fontem lacrymarum ad emundandas animae meae sordes; ut possim hic ex multis meis debitis pauca saltem exsolvere, et ibi salvus fiam sub manus tuae omnipotentis protectione. Fili Dei unigenite! exaudi me, ac clementer suscipe deprecationem peccatoris et indigni servi tui. Gratis salvum me fac gratia tua, quoniam misericors es Deus. Qui vivis.“ *S. Ephr.*

FERIA II.

Assiduam orationem reddunt: 1) assiduae tentationes et pericula necessariam; 2) virtutes, quas in ea exercemus, Deo gratissimam; 3) promissiones eidem annexae exauditionis certissimam.

PRECES ANTE MISSAM.

Tu solus es refugium nostrum, omnipotens Deus! Ad te quotidie clamamus afflicti nos servi tui, qui millenis undique hostium insidiis obsidemur atque vexationibus fatigamur. Gravis est nobis colluctatio *adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Ecclesia tua plurimas a novatoribus injurias et difficultates patitur. *Facta est quasi vidua domina gentium.* Plorans plorat die ac nocte, et lacrymae in maxillis ejus. Innumeris nunc calamitatibus premitur respublica christiana, et non est, qui consoletur eam. Sectae, tumultus, factiones ac haereses ubique satis acerbe grassantur, multasque regiones in ultimum discrimen adducunt. Heu! quot animarum millia propter adversariorum atrocitatem in extremo salutis periculo versantur!!

Quid sibi hoc vult, Deus omnipotens? Ut quid istos in odio tui obstinatos adversarios tamdiu adversus Ecclesiam tuam debacchari sinis? Quare non facis vindictam electorum tuorum clamantium ad te die ac nocte? Numquid abbreviata est manus tua, ut non possis vindicare nos de adversariis nostris? aut non est tibi talis sapientia, ut illorum machinationes dissolvere queas? — Imo vero, potentissime Deus! tanta est tibi potestas, sapientia tanta, ut vel solo nutu destruere valeas omnes eorum vires et insidias. Tu es aequissimus ille

Deus judex, qui per Prophetam (Psal. 74.) testatus es, dicens: *Omnia cornua peccatorum confringam.* Verumtamen, o bone Deus! ex occulto sapientia tuae consilio tibi placuit, talem adversariis potestatem atque licentiam hucusque concedere ad illustriorem potentiae tuae victoriam et ad splendidiorem electorum coronam. Haec enim illa sunt bona, quae bonitas tua ex hujusmodi malis elicere novit.

Maximas itaque tibi grates referimus, optime Deus, pro mirandis providentiae tuae dispositionibus, quibus nostram operaris salutem. Non dubitamus, quin ipsam Ecclesiam tuam ab adversariis ideo permittas tamdiu vexari, ut electorum viriliter certantium triumphus eo fiat gloriosior, quo gravioribus inimicorum oppugnationibus virtus illorum fuerit probata. In gratiarum actionem offerimus tibi super altari tuo munera pretiosissima, supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris. Simulque tibi supplicamus, providentissime Deus, ut benigne respicias Ecclesiam, quasi viduam in hac temporum iniquitate lugentem. Audi clamorem totius reipublicae christianae. Vide servorum tuorum fidelium afflictionem, quorum eo major est miseria, quo gravior hostium saevitia. Deus omnipotens! leva manus tuas in superbias eorum, qui super populum tuum malignaverunt consilium et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Auxiliare credentium coetui; et propitius esto adversariis nostris, haereticis atque paganis, ut animos demittant, errores suos agnoscant et ad veram religionem illico perducantur. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

In spiritu humilitatis abjicio me ad pedes tuos

Domine Jesu Christe, qui reapse nunc degis in corde meo. Suppliciter adoro te, benignissime Salvator, qui singulari clementia dignatus es visitare hanc contemtibilem animam meam quasi viduam desolatam eamque recreare cibo potuque divino. O mi Jesu! Unigenite Altissimi! debitas tibi habeo grates pro isthoc beneficio, quod ex speciali benevolentia mihi rursus ad aram tuam tribuisti. Et quoniam haec est hora, qua multum ab infinita bonitate tua impetrare possum, ideo te summis precibus oro atque obtestor, ut mihi continuum orationis studium concedas. Scio enim, quod me semper oporteat orare et non deficere. Fac, ut tamquam Ecclesiae minister instem orationi tam vocali quam mentali, praesertim hac aetate, qua respublica romano-catholica tum aperte tum occulte vexatur et impetitur ab adversariis.

„Monuisti nos, Domine Jesu, semper orare, imo et docuisti nos, sicut magister bonus, sicut misericors, sicut misereri semper desiderans. Jubes nos incessanter orare, ut nobis semper orantibus quasi justam haberes causam miserendi. Quin etiam orandi formam ipse nobis dictasti, ne in aliqua re causae nostrae deesses, ipse judex simul et advocatus. Confidenter quoque nos precari jussisti et credere, quia, quaecunque petierimus, impetrabimus. Haec omnia tibi, Domine, suggessit immensa bonitas tua. — Nobis autem gravissima incumbit orandi necessitas. Sine precibus enim nulla speranda est gratia, sine gratia nulla virtus, sine virtute nulla merces, nulla salus. Et tamen nos pigri non exequimur, quae monuisti. Non facimus, quae dictasti, quasi non credamus, quae promisisti. Tu autem in magna misericordia tua nos negligentes excitas; et quia, sicut nos oportet orare, nec scimus, nec possumus, ideo mittis nobis Spiritum sanctum, ut ipse adjuvet infirmitatem

nostram et postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Vere bonus es Deus, suavis Dominus universis! Miserationes tuae super omnia opera tua. Quamprimum incipis praesentiae tuae consolatione laetificare animas nostras, exultat fides, hilarescit fiducia, accenditur cor amore, ubertimque fluunt lacrymae dulces, quas si paterna consolationis manu abstergis, fluunt uberius, et fiunt nobis lacrymae panes die ac nocte." *Guilhelm. Clun.*

„Quoniam igitur ab adversario meo, ab hoste maligno semper angor, clamabo cum lacrymis die ac nocte, tuam implorans misericordiam, ut ab impugnationibus ejus me liberes. Quis enim poterit illius improbi consilia conatusque labefactare, gratiae tuae auxilio destitutus, Domine Jesu? In horas quippe singulas cogitationibus et actibus meam affligit animam adversarius meus. Singulis diebus suas in me machinas fraudesque renovat, dum mentem meam captivare et a dulcissima meditatione divinorum tuorum mandatorum avocare conatur. Quocirca gratiam tuam celeriter emitte, Domine, quae magnum hunc draconem a servo tuo depellat. Ipsa tua ad hoc te inducat parabola, qua dixisti, judicem quemdam in civitate fuisse, qui nec Deum timebat, neque hominem reverebatur; in eadem vero civitate viduam fuisse pauperculam, quae illum quotidie adibat, dicens: *Vindica me de adversario meo.* Cum autem ille diu mulierem, assidue vexatam, inclementer despexisset, praevaluit tandem viduae perseverantia, ipsumque (quamvis immitem et immisericordem) ad aequitatem revocavit. Vidua injuriam passa immisericordem iniquumque judicem adibat, ut ipsam de suo vindicaret adversario: ego autem misericordem, longanimem benignumque meum oro Dominum, ut cito me exaudiat. O Verbum aeternum! o Verbum sanctum et mentiri nescium!

Deus benedicte! sicut promisisti, fac celeriter vindictam omnium electorum in te sperantium. Ne tardes vindicare nos, Domine Jesu! Eripe nos e manibus inimicorum nostrorum, ut illis per gratiam tuam devictis tibi benedicamus teque glorificemus, o Deus longanimis et misericors, qui omnes homines vis salvos fieri. Amen." *S. Ephraem.*

FERIA III.

Facilius, quam laici, peccat sacerdos: 1) omissione (negligens orationem debitam — functiones pastorales — gratias etc.); 2) sacrilegiis (castitatem violans — indigne celebrans, sacramenta administrans); 3) scandalo (ex levitate et inadvertentia — negligentia — malitia).

PRECES ANTE MISSAM.

Unigenite Altissimi, Domine Jesu Christe, cui omnis debetur honor et gloria et gratiarum actio! en, miser ego et ingratus peccator contrito corde venio ad te, juste meipsum accusans de sceleribus innumeris, quibus animam meam foedavi, legem tuam violavi, nomen sanctum tuum blasphemavi et proximos meos scandalizavi. — O misericordissime Jesu! *poenitet me*, quod a te praescripta fraternae caritatis officia praestare neglexerim. *Poenitet me,* quod toties aliis offensionem et exemplum nequitiae praebuerim. Doleo et *poenitet me*, quod donis et bonis tuis abusus fuerim, monita tua spreverim et peccata peccatis cumulaverim. Bone Jesu! ex intimo corde doleo et *poenitet me,* quod oblatas bene agendi occasiones saepenumero praetermiserim, et tam in te,

quam in proximos meos injurius fuerim. Miserere mei per infinita passionis tuae merita, et expurga conscientiam meam ab omnibus delictorum maculis, ut puro corde sacris operari possim.

Exoptatam hanc remissionis gratiam fiducialiter spero a te, Magister divine, Salvator benignissime, qui praecepisti mihi, ut, si septies in die frater meus in me peccaverit et poenitentiam egerit, toties dimittam ei. Quocirca spem non abjicio, sed confido in tua bonitate, quae omnem hominum bonitatem longissime superat, utpote limitibus carens. Talis et tanta est clementia tua, Domine Jesu, ut, si septies in die justus caderet atque resurgeret, septies eum reciperes in gratiam. — Te igitur obsecro, Salvator amantissime! condona mihi culpas ac negligentias meas, quibus offendi bonitatem tuam. Admitte me rursum in gratiam et amicitiam tuam. Et cum hodie iterum me accingam ad celebrandum altaris sacrificium, exorna me summo virtutum decore, ut illud decenter offeram. Tibimet ipse, bone Jesu, praepara dignum in corde meo habitaculum, quo plura beneficentiae tuae munera percipere merear. Da nobis omnibus cor unum et animam unam, ut, qui toties ad mensam pacis in ecclesia de uno pane participamus, nullam inter nos discordiam vel altercationem habeamus, sed animorum unitatem assidue conservemus. Miserere heterodoxorum, qui tum morum, tum errorum contagione pestifera nos inficere et transversum agere conantur. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Flexis genibus adoro te, Domine Jesu, Deus fort Princeps pacis! Animo submisso te veneror, amab

sime Jesu, qui foedam cordis mei speluncam intrare dignatus es. Nullus enim dubito, quin revera praesens sis in hoc inscrutabili amoris sacramento. Et ipsa haec amicabilis praesentia tua summo me afficit gaudio. — Gratias ago tibi, Jesu misericors, pro stupenda munificentia tua, qua mihi jam denuo sacrosanctam carnem tuam in cibum, pretiosum vero sanguinem tuum dedisti in potum. Quam incomprehensibilis est tua longanimitas, quam miranda liberalitas erga talem peccatorem, qui forte non semel exemplo pravo alios ad nequitiam induxit, adeoque commeruit, ut lapide molari ad collum alligato projiceretur in mare! — Quotidie novis te offendo negligentiis: et tu quotidie novis me cumulas beneficiis. Ingratus ego sacerdos continenter in eandem incurro socordiam: et tamen aditum mihi non praecludis ad sanctuarium tuum, ad sacram mensam. In dies pecco et ab officio pii sacerdotis discedo: nihilominus admittis me ad aram tuam, tuoque me cibas sacro corpore et sanguine. Ad istud amoris prodigium attonitus haereo. —

Diligo te, suavissime Jesu, qui ab aeterno amasti me, perditumque cum Patre tuo reconciliasti moriendo in cruce. Amore tui, Domine, paratus sum ea omnia praestare, quae mihi praescripseris. Quid ergo jubes, Dilecte mi? quid praecipis? — Scio, quid imprimis a me petas: nimirum ut diligam omnes sine exceptione proximos. En igitur, Redemtor amabilissime! universos homines sincere diligo propter te, qui mortuus es in cruce pro me. Absit, ut hostes meos odio habeam, pro quibus tu posuisti vitam. Semper amabo proximos meos, inimicos aeque ac amicos, eorumque tum injurias, tum infirmitates aequo semper animo portabo.

Amantissime Jesu, qui vulneratus es propter ini-

quitates nostras! obsecro te per eximium istum amorem tuum, ut ardentissima caritate succendas animam meam, ne dilectionis officia negligam, sed ut omni virium contentione diligam te, et proximos propter te. Da mihi, Magister amoris sancti, ut aliorum prosperitatem et salutem aeternam ex animo cupiam atque promovere satagam. Fac, o Deus pacis, ut diligam inimicos meos, non verbo tantum aut lingua, sed opere simul et veritate. Aufer a me omnem invidiam, livorem, iracundiam et indignationem, et quidquid adversatur amori fraterno. Effice, precor, ut neminem scandalizem, nec sinistram de conservis meis opinionem accipiam, sed ut de singulis bene sentiam, et universos sincero cordis affectu diligam, eisque fraternae caritatis et verba et officia et beneficia impendam. Conserva semper inter nos omnes pacem ac concordiam, ut aliquando perveniamus in beatam illam coeli regiam, ubi cohaeredes tuos aeterno cumulabis gaudio. Qui vivis.

FERIA IV.

Observa modestiam oculorum; hoc postulat: 1) ministerium, quod exerces (recole exemplum Jesu Christi, cujus vicem geris, sanctorum sacerdotum etc.); 2) castitas, quam vovisti; 3) prudentia, ne suspicionem incurras et scandalizes.

PRECES ANTE MISSAM.

„Miserere mei, Deus! Tua enim misericordia est ille funiculus, quo miseri de lacu miseriae et de luto faecis extrahuntur. Quia igitur misericordia tua non meritum

nostrum, sed solam miseriam intuetur, ideo de profundis miseriarum fluctibus ad misericordiam tuam clamo, lacrymabiliter tibi dicens: *Miserere mei, Deus!* Subticeo nomen meum: nam si illud tibi dixero, per id me forsitan aut non agnosces, aut eo citius a te projicies. Ab illa dulci familiaritate tua, qua post acceptam innocentiam baptismalem fruebar, me procul elongavi nimis imprudenter. Tunc tecum ego quasi amicus cum amico familiariter loquebar; tunc me sicut Moysen ex nomine cognoscebas; tunc gaudebam in te cum aliis servis tuis, quorum nomina scripta sunt in coelis; tunc erat honorabile nomen meum coram te. Nunc autem, quoniam innumera peccata mea nomen meum de libro viventium toties deleverunt, illud non audeo nominare vel ad memoriam tuam revocare.“ *Urban. III. P.*

O Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob! non meo nomine ad te venio, sed nomine totius populi christiani, qui jam exspectat evelationem manuum mearum. Venio nomine totius Ecclesiae romano-catholicae, cujus ego sum minister indignus. Non meo nomine, sed ipso nomine unigeniti Filii tui Jesu Christi, pro nobis in cruce mortui, progredior iterum ad altare tuum, ad illam terribilem mensam, quam undique tui cingunt Angeli. Ibi me jubet Ecclesia supplicare misericordiae tuae, tum pro exoranda criminum nostrorum venia, tum pro impetrandis a te beneficiis et auxiliis, quibus, si unquam alias, certe in his temporum acerbitatibus et angustiis vel maxime indigemus, ne dolori succumbamus.

En igitur, amantissime Pater! offero tibi missae sacrificium, etiam atque etiam obsecrans, ut illud clementer respicias et per infinita ejus merita nobis subsidium gratiae concedas ad omnia vocationis nostrae munia rite praestanda. Da nobis sacerdotibus et omnibus,

quicunque perpetuam voverunt continentiam, ut angelicam et *tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate*, ut hic et ibi post resurrectionem simus sicut Angeli in coelo. Pater sancte! miserere caecorum infidelium, qui nec carnis resurrectionem, nec ceteros fidei articulos credere volunt. Fac, ut omnes (intellectu suo captivato in obsequium fidei) quamprimum suavissimo Christi jugo cervices submittant. O Deus, cui omnia vivunt! inclina aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut amicos et benefactores nostros, qui ex hoc saeculo transierunt, eductos de poenis huic mundo incognitis, ad immortalitatis gloriam transferas, in regione vivorum constituas, et Angelorum tuorum jubeas esse consortes. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Obstupefactus amore tuo, Domine Jesu Christe, te suppliciter adoro, tuamque in me benevolentiam omni mentis ardore laudo atque magnifico. Submissas tibi refero grates pro tua liberalitate, qua mihi denuo coeleste largitus es epulum, velut symbolum resurrectionis et pignus futurae gloriae. Pro singulari hoc tuae largitatis beneficio grates tibi habeo maximas. Utinam mirandae hujus caritatis tuae memorem me nullo non loco, nullo non tempore praestarem! Eo saltem in posterum enitar, ut ab ingrati animi vitio quam longissime absim. Semper redamabo te, bone Jesu, tibique tam firmiter adhaerebo, ut nulla vi hostium a te separari valeam. Ante omnia perpetuae castitatis votum accurate servabo, et omnem vel minimam incontinentiae labem anxie vitabo. Juvante gratia tua conabor angelicam

ducere vitam in terris, ut Angelorum tuorum consortio adjungar in coelis.

Amore tui, mi Jesu, omnes aerumnas ac corporis aegritudines invicta tolerabo patientia. Scio, quod in novissimo die de terra surrecturus sim. In illo die rursum circumdabor pelle mea, et in hac carne mea videbo te Deum Salvatorem meum, quem modo sub sacramenti velamine latentem adoro: reposita est haec spes mea in sinu meo. Spero, Domine, me sicut Angelum in coelo futurum, cum dies ille supremus advenerit, quo saeculorum omnium mortui reviviscent. „Ista regio quasi mortuorum est: sed transit haec regio mortuorum, veniet regio vivorum. Eripies animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. Placebo tibi, Domine, in regione vivorum. In hac praesenti regione mortuorum nonnisi labor, dolor, luctus, timor, tribulatio, tentatio, gemitus. Haec cum transierint, ero in illa regione vivorum, ubi nemo gemit, nemo laborat, nemo aegrotat, nemo moritur.“ *S. Aug.*

„Deus optime! spem omnem in te positam habeo. Gratia tua me comitetur, ut per ipsam a sempiternis ignibus evadam et ad perenne beatitudinis gaudium perveniam. Ne velis, oro, aequissime Judex, ad justitiae tuae trutinam perpendere acta mea. Esto mihi Salvator meus in multitudine misericordiae tuae, ne a beatae vitae portu rejiciar. Cum in igne judicium facies et inextinguibiles flammae adversus reprobos infremuerint: tunc me, Domine, electorum tuorum numero adjunge, ut, in justorum tuorum Abrahae et Isaac et Jacob ordinem adscriptus, aeterna illa bona consequar, quae sola sunt hoc nomine nuncupanda. Corpus et sanguis tuus, Jesu misericordissime, in comites mihi adjungantur, ne gehennae ardoribus exurar. Crux tua nobis omnibus

praesidio sit, quo periculosam inferni voraginem trajiciamus. En, totus fidelium coetus te suppliciter rogat, ut, cum judex adveneris, suavissima hac voce: *Venite, benedicti Patris mei*, ad perpetua paradisi gaudia illum invites. Qui vivis." *S. Ephraem.*

FERIA V.

A curiositate et superbia in rebus fidei arceat te: 1) tuae mentis imbecillitas; 2) divinorum mysteriorum sublimitas, profunditas et sanctitas; 3) curiosorum et superborum lapsus et infelix exitus.

PRECES ANTE MISSAM.

Summe Deus, Pater omnipotens! quemadmodum aeternitatis duratione et infinita Majestatis tuae potentia creaturas omnes immane quantum superas; sic etiam in sapientia ceterisque perfectionibus tuis omnem creaturam angelicam et humanam (id quod omni fidei devotione profitemur) in immensum excedis. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti.* Aperiente te manum tuam omnia implentur bonitate. Divinam hanc bonitatem et sapientiam ostendis in admiranda rerum omnium dispositione, praesertim in ordinatissima Ecclesiae tuae gubernatione.

Nunc iterum accedimus aram tuam, ut offeramus incruentum novi testamenti sacrificium, *mysterium fidei*, gratias agentes tibi Deo Patri, qui eripuisti nos de potestate tenebrarum et transtulisti in regnum Filii dilectionis tuae. Gratias agimus tibi, clementissime Pater

pro inaestimabili fidei dono, quod nobis tribuisti gratuito, et quidem prae mille aliis hominibus, quos in errorum tenebris reliquisti. Placeat tibi, Deus, haec oblatio munda, et satisfaciat pro peccatis nostris, maxime pro socordia, qua negleximus ad fidei normam exigere mores nostros.

Pater immensae majestatis! obsecramus te per hujus sacrificii virtutem, ut talem nobis omnibus largiaris fidem, quae sit recta et incorrupta, nullis errorum tricis involuta neque noxarum sordibus maculata. Et quoniam diminutae sunt veritates a filiis hominum: *adauge nobis fidem*, ne forte novarum opinionum fluctibus involvamur et in errorem inducamur. *Adauge*, Domine Deus, *adauge nobis fidem*, et praesta, ut praeclaris fidei regulis actiones nostrae conveniant atque respondeant, ne videamur te Deum abnegare vita impura, quem fide vera confitemur. Effice, quaesumus, benignissime Pater, ut ea fidei dogmata firmiter teneamus, quae Ecclesia romano-catholica, veritatis Spiritu communita, hucusque tradidit.

„Benefice Rex saeculorum universaeque creaturae Opifex! recipe Ecclesiam ad te accedentem per Christum tuum, et singulis, quod utile est, perfice. Omnes ad perfectionem adducito et nos gratia sanctificationis dignos redde; nos in sanctam tuam Ecclesiam congregans, quam tibi adseruisti pretioso sanguine unigeniti Filii tui, Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi“ [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Licet oculis corporeis non videam te, Domine Jesu

[1] Ex Liturgia s. Jacobi Apost.

Christe, fidei tamen oculis te conspiciens sine omni haesitatione credo realem tuam in eucharistia praesentiam. Ideoque supplex adoro te, divine Messia! Unigenite Altissimi! Deus et Salvator meus! Omni possibili reverentia adoro te, qui vilem hanc cordis mei domunculam iterum ingressus es ad reficiendam ac consolandam animam meam.

Sanctificetur nomen tuum. Millies milliesque laudo et glorifico te, suavissime Jesu, qui jam denuo ad indignum famulum tuum, ad immundum me sacerdotem venire, tuoque corpore et sanguine pretioso me cibare dignatus es. — O beneficium ingens! o refectio incomparabilis! — Magnificat anima mea Dominum, et exultat spiritus meus in Deo Salvatore meo.

Adveniat regnum tuum. Regnum tuum non est de hoc mundo; nec regnum ostentationis est, sed verae sanctitatis. Esto rex cordium nostrorum, o Jesu! et defende nos ab adversariis. Dominare in medio inimicorum tuorum ac compesce furorem infidelium, qui regnum tuum, Ecclesiam sanctam, ubique locorum impugnant eique perniciem machinantur. Gratia tua regnet in cordibus nostris, ut in hora mortis e regno gratiae transire mereamur ad regnum gloriae.

Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Praesta, Rex coeli et terrae, ut divinae voluntati tuae semper et in omnibus morem geramus, praecepta tua servemus et in omni eventu providentiam tuam adoremus. Si volueris, ut in hac vita gravibus quotidie calamitatibus exagitemur, fiat voluntas tua. Scimus autem, quod tuae id voluntatis sit, ut in necessitatibus nostris ad te confugiamus easque tibi confidenter exponamus. En itaque! panem petimus, o Pater pauperum! o Rex omnium munificentissime!

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Non petimus superflua, sed tantummodo necessaria. Largire nobis integram mentis ac corporis sanitatem, quo liberius alacriusque tibi Deo et proximis servire possimus. Cum autem non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod processit de ore tuo: da nobis perfectam verborum tuorum intelligentiam, ut in recta fide constanter permaneamus. Fac etiam, ut digne manducemus te panem vivum, qui de coelo descendisti.

Dimitte nobis debita nostra. Condona nobis culpas et poenas eisdem debitas. In dies equidem offendimus bonitatem tuam; sed ignosce nobis omnia peccata, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Quodsi fortasse corda nostra occulto erga proximos odio flagrare videas, id mox in nobis extingue, ut instaurata mutua caritate facilius impetremus scelerum nostrorum veniam.

Et ne nos inducas in tentationem. Da nobis gratiae tuae subsidium ad evitandas inimicorum insidias eorumque repellendas incursiones. Quamvis enim e regno satanae translati simus in regnum tuum, Domine, haud tamen ab hostium impugnatione liberati sumus. Undique cingimur adversariis, qui nos e regno tuo exturbare moliuntur. Ad te igitur recurrimus, omnipotens Deus, suppliciter opem tuam implorantes, ne gravissimis tentationum insultibus succumbamus, sed ut adversariis omnibus resistamus fortes in fide, tandemque de manu tua mereamur accipere coronam victoriae.

Libera nos a malo. Custodi, nos, Salvator, ab omni malo temporali ac spirituali. Mitiga duras exilii nostri calamitates, ne forsan impatientiae motu abrepti querelas effutiamus injustas. Libera dioecesin et patriam nostram a peste, fame et bello. Preces populi tui sup-

plicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. O Jesu! o summum Bonum! libera nos a summo malo, nimirum a peccato et terribili supplicio damnationis aeternae. Tibi, Domine, vivimus; tibi, Domine, morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, tui sumus, tuique per infinita saecula permanere cupimus. Amen.

FERIA VI.

Tribulationes nostrae sunt exiguae, si spectatur: 1) praeteritum — peccata, quae commisimus; 2) praesens — beneficia divina et consolationes, quibus fruimur; 3) futurum — gloria et merces, quam exspectamus.

PRECES ANTE MISSAM.

Bajulare crucem meam et venire post te, Domine Jesu! hoc expresse petis a me, si velim esse discipulus tuus. Quam bonus es magister, amantissime Jesu! discipulos tuos non modo praecedis ut antesignanus in via crucis, sed eosdem etiam divino reficis epulo, quo facilius possint insistere vestigiis tuis. Etiam mihi necessarius est ille cibus et potus, ne forte succumbam sub onere crucis meae. — At qui ausim ad talem accedere mensam? Quomodo discipulus iracundus adire praesumat Magistrum suum patientissimum? Agnosco, Domine, summam indignitatem meam. Fateor, me nimis delicatum esse Crucifixi discipulum. Cupide sequor te usque ad fractionem panis, sed aegre ad ignominia

crucis. Libenter ad dulce convivium tuum accumbo, sed amarum passionis calicem tecum bibere abnuo. Proh, quam parum amo te, Salvator amabilissime! Doleo de vecordia et impatientia mea. Fiducialiter peto et spero veniam ab infinita bonitate tua. Et quamvis peccata mea tuam provocent vindictam, sacratissima tamen vulnera tua clamant misericordiam. Magna itaque cum fiducia divinam adibo mensam tuam ac coelestem manducabo panem, ut inde novas hauriam vires ad bajulandam crucem meam.

Ad Patrem. Gravi noxarum atque miseriarum onere pressi confugimus ad te, bone Pater, offerentes tibi missae sacrificium in gratiarum actionem pro mirabili caritate tua, qua unigenitum Filium tuum pro nobis misisti ad mortem crucis; et in unione illius intentionis, qua dilectus Filius tuus humeros cruci supposuit et amore nostri tandem in eodem infami ligno exspiravit. Per hujus sacrificii merita ignosce nobis, quod tam invite hactenus tulerimus crucem nostram. Majestatem tuam, Pater aeterne, suppliciter obsecramus, ut tuo nos auxilio confortare digneris ad exilii nostri miserias patienter ferendas. Da, ut novo quotidie mentis ardore tollamus crucem nostram et strenue sequamur Jesum antesignanum, qui proposito sibi gaudio bajulans crucem exivit in montem Calvariae. Fac, ut crucem diligamus, delicias fugiamus, cupiditates comprimamus et carnem nostram crucifigamus cum vitiis et concupiscentiis. Illorum miserere fidelium, qui gentilium more solent excandescere. Inimicos crucis Christi ad meliorem mentem revoca, ut illico redeant in viam crucis, tandemque cum veris Christi discipulis per angustam portam introire mereantur in regnum coelorum. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Haec ea est hora felix, suavissime Jesu, qua mihi sub onere crucis meae paulisper respirare et caritatis tuae magnitudinem meditari licet. Ingenti superabundo laetitia, Domine Jesu, dum in corde meo teipsum mecum habeo, qui es Salvator meus, consolator meus, amor meus, dux et antesignanus meus in via crucis. Non possum non mirari maximam benignitatem tuam, qua mihi (discipulo tuo omnium indignissimo) toties teipsum manducandum praebes ad recreandas animae meae vires.

„Benignissime Jesu! Dei Unigenite! Agne mansuetissime! quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Adoro, laudo et benedico te pro incarnatione, passione et amarissima morte tua, pro laboribus et fatigationibus tuis, pro incommodis ac aerumnis et pro quibuslibet doloribus; pro tuis vulneribus, lacrymis et gemitibus; pro contumeliis, opprobriis atque sanguineis guttis in cruce profusis; potissimum vero pro maxima tua caritate, qua teipsum etiam in cibum mihi sumendum dedisti. Pro quibus omnibus, amantissime Jesu, offero tibi temetipsum, omnia nempe merita passionis ac mortis tuae. Offero etiam et resigno tibi meipsum ad omne beneplacitum tuum, quatenus ita mecum agas, ut tua sanctissima voluntas in me, de me et per me semper et in omnibus fiat. *Joan. Landsperg.*

Amo te, bone Jesu, et ardenti cordis affectu complector te Salvatorem meum. En amore tui posthac cunctas istius vitae miserias aequo animo tolerabo, et quamcunque mihi crucem imposueris, animose bajulabo. Sit nomen tuum benedictum, si me crucies et affligas. Etiamsi subinde castigatio tua mihi videatur acerb- semper tamen me flagellas ut Pater mei amantissio

Quare paratus sum ad omnia, quaecunque circa me ordinaveris. Impone crucem humeris meis, non reluctor. — Cum autem nimis infirmus sim, obsecro te, Magister optime, ut tuo me robores auxilio, ne succumbam oneri. Accende me ardentiori tui caritate, quo pressius insistam vestigiis tuis in via crucis. Da, ut oculos meos semper in te defixos teneam et, tuam considerando patientiam, ab omnibus querelis abstineam. O Magister omnium patientissime, qui nunquam non fuisti fortitudo Martyrum, Confessorum et discipulorum tuorum: esto etiam fortitudo mea in omnibus aerumnis et sustenta me sacrorum virtute mysteriorum, quorum me hodie fecisti participem. Adjuva me, o Jesu delectabilis, in ferenda cruce mea. De tuo nunc confidens adjutorio laete festino ad difficilia vocationis meae negotia. Opitulante gratia tua libenter in cruce haereo, libenter in cruce vivo, libenter in cruce morior. Amen.

SABBATO.

Otium et jactura temporis, inprimis in sacerdote, est: 1) damnum irreparabile (pro ipso — animabus commissis — Ecclesia); 2) peccatum; 3) multorum peccatorum causa (gulae et ebrietatis — luxuriae — negligentiae in sacris functionibus et peccatorum alienorum).

PRECES ANTE MISSAM.

Debita cordis submissione supplex adoro te Deum totius universi Monarcham, te coelestem Patremfamilias, te vineae tuae mysticae Dominum, qui me famulum tuum indignum vocasti ad honorabile ministerium Ec-

clesiae tuae. Agnosco singularem hujus vocationis gratiam, qua me constituisti operarium in vinea tua: sed agnosco pariter inexcusabilem teporem meum, quo transversum actus salutem propriam et alienam inter ultimas habui curas. Frequenter officio meo defui nimis iners operarius in vinea tua. Magnam mihi promisisti mercedem praemiumque sempiternum, nihilominus tamen oscitanter omnia peregi. Saepius etiam audivi vocem tuam mihi exprobrantem et dicentem: *Quid hic stas tota die otiosus?* at ego surdus ad omnia perstiti in ignavia. Lumine tuo nunc collustratus, intelligo, tempus esse, ut incipiam majore virium contentione salutem meam et aliorum operari. O si lacrymis sanguineis deflere possem illorum jacturam dierum, quos hactenus aut nihil agendo vel male agendo perdidi!! Nolo jam ultra tuae repugnare bonitati, quae forte nunc ultima vice me vocat ad laborem, ad morum emendationem, ad vitae sanctimoniam.

Grates tibi habeo maximas, sancte Pater, pro miranda longanimitate tua, qua me desidem operarium tuum tamdiu sustinuisti. Spero in paterna bonitate tua, quae mihi poenitenti non tantum praeteritas condonat negligentias, sed etiam esurienti quotidie largitur panem vivum, qui de coelo descendit. O quam munificus es Paterfamilias, qui corpus meum quotidie reficis pane terreno et animam meam pane coelesti, quo diligentius in vinea tua laborare valeam! Da nunc, ut debito virtutum ornatu decoratus accedam altaris mensam, ibique salubriter accipiam panem vitae aeternae et calicem salutis perpetuae. — Pater omnipotens! misericorditer respice tot sacras aedes, rapacibus sacrilegorum infidelium manibus profanatas ac commutatas in speluncas latronum. Vide magnam afflictionem dilecti populi t-

gementis sub tanta malorum lliade. Redintegra pacem Ecclesiae. *Visita vineam istam et perfice eam, quam plantavit dextera tua. Ut quid destruxisti maceriam ejus?* En exterminat eam aper de sylva, et singularis ferus depascit eam. Multiplica nunc operarios egregios, et adversus exterminatoris furorem corrobora vineae cultores, eosque propediem effice victores; ut aliquando fiant possessores illius regni coelestis, ubi promissa donati mercede misericordias tuas in aeternum decantabunt. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Quae et quanta est tua liberalitas, Domine Jesu! quam ineffabilis tua erga me benevolentia! Iterum admisisti me negligentem operarium tuum ad sacram mensam, ubi cibum pretiosum, panem vivum, teipsum mihi dedisti manducandum. O stupendum super omnia miraculum! — Grates tibi, dulcissime Jesu, pro hac inexplicabili munificentia tua, qua mihi socordi operario tuo panem vitae commedendum dedisti. Continua haec bonitatis tuae largitio jamjam incipit excutere somnolentiam meam. Dum istud amoris tui mysterium considero, laboris amorem in me reviviscere sentio. Tu ipsemet, Domine Jesu, propter homines homo factus, semper in laboribus eras a juventute tua. Sancti tui, Domine, laborantes in vinea tua, libentissime portabant *pondus diei et aestus.* Quin etiam filii hujus saeculi pro rebus caducis, pro fumo honoris, pro lucro temporali diu noctuque laborant, currunt, sudant et algent atque miserabiliter sese discruciant: et ego operarius tuus, pretio tam magno redemtus, mercede tam grandi conductus, hiccine stabo tota die otiosus? Absit, Domine

Jesu! nolo deinceps otio diffluere vel officiis meis indormire. Si tua me juverit gratia, magnos in vinea tua labores exantlabo, et quodcunque facere potest manus mea, instanter operabor pro majore nominis tui gloria et animarum salute.

„Tamquam malus servus Domini sui salutem meam hucusque neglexi, laborare detrectavi atque longanimitatem tuam irritavi. Tu autem malitiam meam patienter sustinuisti propter magnam bonitatem tuam. Concede mihi, Domine Jesu, verae conversionis gratiam, ut perfectionis stadium ingrediar et in compunctione cordis omnes reliquos vitae meae annos transigam. Illumina mentis meae oculos tenebris adhuc oppressos, ut alacriter in vineam tuam proficiscar, quoniam defecerunt in vanitate dies mei, et jamjam hora undecima est tempus vitae meae.“ *S. Ephr.*

Breves dies hominis sunt, imo brevissimi, si cum aeternitate conferantur. Laborum meorum terminus haud procul abest. *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Festinanter itaque revertar in vineam tuam, Domine, priusquam ire cogar in domum aeternitatis meae. Impigre laborabo, antequam hinc vadam et non revertar. Viriliter agonizabo pro justitia, priusquam ad agoniam extremam adducatur anima mea. — Sed quid ego, mihi soli relictus, operari possum absque subsidio gratiae tuae? Nosti, o Jesu, nimiam fragilitatem meam. Qui ergo dedisti velle, da etiam perficere. Fac, ut dignitatem meam sacerdotalem, ad quam me vocare dignatus es, moribus sanctis et sacerdote dignis excollere satagam. Fac me plus inhiare denario coeli, quam denariis terrae. Da mihi, quaeso, gratiam et benedictionem tuam, ut ardua vocationis meae negotia libenter suscipiam, diligenter obeam fel-

citerque conficiam. Concede mihi donum perseverantiae, ne, si forsan ego tepescere coepero, tu incipias evomere me ex ore tuo. Fac, ut (dum vixero) nunquam cessem in vinea tua operari. Praemium, quod in altera vita me manet, longe superat exiguos hujus vitae labores; tu enim ipsemet eris in coelo merces mea magna nimis. Qui vivis.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Considera beneficiorum divinorum: 1) multitudinem (naturalia — supernaturalia, communia cum laicis — cum aliis sacerdotibus — specialia); 2) excellentiam (consid donantem — dona — finem); 3) gratuitatem (non ea meruisti — imo poenis dignus fuisti).

PRECES ANTE MISSAM.

„Sancte sanctorum! Deus omnipotens, Deus aeterne, Deus immensae majestatis, cujus ante faciem coelum et terra contremiscunt! te adorant ac concelebrant omnes creaturae. Et ego mea erga te fide adductus nunc cordis mei genua flecto sub amplissimo tuae Majestatis imperio. Gratias ago tibi, quod me, cum nihil essem, non solum creaveris, sed etiam ad imaginem et similitudinem tuam efformaveris. Tibi gratias ago, quod indigno mihi famulo tuo pietatem indideris; quod praecipuis Ecclesiae tuae sacramentis me sanctificaveris et omnibus bonis tuis iam inde a puero me cumulaveris. Sed, o Conditor coeli et terrae! cum tibi prodesse non possim, cur talem in me munificentiam ostendis? Plane tuo beneficio et olim sum natus, ad imaginem tuam

reparatus et innumeris subinde donis exornatus. Infinita benignitas tua fecit haec omnia. Ego vero, cum pro istorum unico gratias agere non sufficiam, quomodo pro tot millibus referre potero? Quomodo tenebrae laudabunt Lucem? quomodo vanitas Veritatem? quomodo immunditia summam Puritatem? — Quis vero pro dignitate satis laudabit opera tua? quis tuas annuntiabit laudes? Sed nempe tu Pater indulgentissimus vota nostra benigne suscipis et qualescunque filiorum tuorum gratiarum actiones aequi bonique consulis. Itaque nos dignos effice, bone Deus, ut tuas laudes jugiter celebremus; ut tuae caritati constanter adhaereamus et tibi pro universis beneficiis, pro omnibus tum prosperis, tum adversis, gratias agamus. Tu es Dominus animarum aeque ac corporum nostrorum: tu Dominus sanitatis et aegritudinis, Dominus prosperitatis et adversitatis, tu Dominus vitae ac mortis. Omnium rerum momenta in tua manu sunt posita. Laetificas nos beneficiis, contristas aerumnis, allicis muneribus, probas tentationibus, recreas consolationibus. Sit gloria mirificae tuae sapientiae; laus ineffabili tuae potentiae; summus honor aeterno tuo in genus humanum amori. Fiat, optime Creator, voluntas tua in coelo, in terra, in nobis, in omnibus creaturis. Quodsi forsan a lege tua declinaverimus, ne statim irascaris, o misericors Deus, qui non ignoras, quam fragile sit naturae nostrae figmentum. Tu, si volueris, servare nos poteris; nisi vero tua nos firmaverit potentia, non possumus, quod volumus. Itaque consolare corda nostra mirabili bonitatis tuae dulcedine“ [1].

Deus, refugium nostrum et virtus! adesto piis Ec-

[1] Anonymus Graecus.

clesiae tuae precibus et praesta, ut, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Obsecramus te, Rex regum et Domine dominantium, ut regibus et principibus christianis semper adsistas, eisque felicem successum tribuas atque victoriam contra hostes tuos et suos. Da magistratibus firmam fidei rectitudinem, legis tuae custodiam, Spiritum sapientiae et fortitudinis, ut id omne constituant, quod ad communem pacem et tranquillitatem profuerit. Fac, ut illis subditi libenter reddant debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. *Deus, regnorum omnium regumque moderator! da nobis hujus pretio sacrificii, sincera tibi esse caritate subjectos et ordinatis a te potestatibus propter te fideliter obsequentes* [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Cultu latriae religiosissimo te veneror, Domine Jesu, Fili Dei unigenite! tibique debitam adorationem exhibeo, Rex regum et Domine dominantium, qui revera praesens es in altaris sacramento et adhucdum in corde meo. Pronus adoro te, Deus immensae majestatis, Magister verax, qui viam Dei in veritate docuisti, ac captiosas Pharisaeorum interrogationes inexspectatis solvisti responsionibus. O Sapientia ab aeterno ordinata! *Tuum est consilium et aequitas; tua est prudentia,* (Prov. 8.) *tua est fortitudo; per te Reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per te Principes imperant, et potestates decernunt justitiam.* — Credo in te, o Veritas infallibilis! — Spero in te, o Bonitas interminabilis! — Amo te, o Pulchritudo im-

[1] Missal. Bellovac.

mutabilis! — Ex totis viribus te diligo, o bonorum omnium Fons inexhauste, unde nova quotidie beneficia in me redundant.

„Tibi gratias ago laudesque tibi debitas tribuo, Jesu Christe, Domine Deus meus, qui dignatus es, me ex nihilo ad imaginem et similitudinem tuam creare ac per sacri baptismatis regenerationem inter filios adoptionis aggregare pretiosique corporis et sanguinis tui mysteriis reficere. Tibi dico laudes et ago gratias, amantissime Jesu, qui me a tempore rudis infantiae meae usque ad hanc horam, per multa cursantem vitia, immensae tuae bonitatis patientia ad emendationem exspectasti. Te laudo, te glorifico, Domine Jesu, qui me saepissime de variis calamitatibus atque miseriis liberasti et hactenus ab aeternis suppliciis, a corporis et animi cruciatibus misericorditer exemisti. Te laudo, te glorifico, bone Jesu, qui mihi optatam virium integritatem et animi tranquillitatem unacum multis aliis beneficiis tribuisti. Imploro, Domine, ineffabilem tuam suavitatem, ut inchoata haec beneficia tua in me perficias, et quidquid tibi displicet in me, longe repellas a me". [1].

„Magister divine et sapientissime, qui nefarias Pharisaeorum machinationes, quibus te frequenter impetebant, semper elusisti: dissipa consilia gentilium atque novatorum, qui fallacibus suis argutiis populum tuum irretire ac circumvenire moliuntur. Omnes nos discipulos tuos illustra lumine gratiae tuae, ne forte corrumpamur astutia sapientium hujus saeculi, qui perniciosa sophismata sua ubique spargunt, ut et nos in errores suos pertrahant. Concede nobis tale fidei lumen, ut heterodoxorum insidias agnoscamus, Ecclesiae tuae

[1] Nicolaus Salicet.

dogmata firmiter credamus, ac cavillatorum axiomata constanter rejiciamus.

Dulcissime Jesu, qui jussisti nos Deo reddere, quae Dei sunt: largire nobis auxilium tuum, ut Deo debitam exhibeamus obedientiam, et proximo quoque debita praestemus humanitatis ac caritatis officia. Fac, ut omnes, qui sub terrenae potestatis regimine constituti sunt, providentiae tuae ministris debita propter te libenter reddant et tributa pendant. Id denique suppliciter a te peto, benignissime Jesu! ut nos inter prospera et adversa gradientes semper regas, semper et ubique custodias, et tandem ad desideratum tuae visionis gaudium perducas. Qui vivis.

FERIA II.

Deus exigit a nobis usuram secundum mensuram: 1) temporis in sacerdotio transacti, et occasionum bene agendi, lucrandi etc.; 2) virium corporis et animae; 3) gratiarum acceptarum. Qualem tu reddere debebis? qualem nunc reddere posses?

PRECES ANTE MISSAM.

Magne Deus, Pater omnipotens! Rex regum omnium et totius universi Monarcha supreme! vix audeo subire conspectum tuum, miserrimus ego peccator, servus tuus ingratus et iners, donorum tuorum impudens et execrabilis abusor. Aram tuam nunc conscendere vereor, eoquod tamdiu totiesque te offendere non sum veritus. Auream mihi mnam ad negotiandum dedisti, dum me hominem indignum ad amplissimam sacerdotii

dignitatem evexisti plurimisque naturae et gratiae donis exornasti, quo magis idoneus essem ad tremendum altaris ministerium decenter obeundum. Quid autem ego post haec omnia? — Proh! abominabili correptus animi languore, tuorum immemor beneficiorum, omnia negligenter egi tuisque bonis turpiter abusus sum.

„Domine Deus! Rex coeli et terrae! non ideo tam pretiosa mihi talenta tradidisti, ut pro usuris tibi nefandas solum abominationes reportarem. Nec ideo tot tantisque me cumulasti beneficiis, ut eadem in offensionem Majestatis tuae verterem. Ecce, sancte Pater! vulneribus ingratitudinis et insipientiae meae confossus jaceo, nec convenienti doloris sensu torqueor. Caecum me quidem ac inertem agnosco, nec tamen satis erubesco caecitatem meam, nec sufficienter inertiam meam deploro. Vere miser, insensatus et stupidus sum corde, qui tot et tanta damna mea non intime doleo, poenam aeternam non extimesco, neque periculum meum satis lugeo.“ *S. Ephr.*

Quo me vertam, misericordissime Pater, in hoc extremo discrimine? Aliud nescio refugium, nisi bonitatem tuam ineffabilem, quae tam longanimiter hucusque pertulit intolerandam negligentiam meam. Obsecro te igitur, ut animum meum salutari timore concutias et acerbissimo afficias dolore, dum hinc sacerdotali dignitate insignitum me conspicio, illinc vero mores meos *ab* illo honoris gradu multum abludere video. — Quid autem offeram tibi, bone Pater, in satisfactionem negligentiae meae? Quid prodigus ego et ignavus tuarum abusor gratiarum rependere tibi potero? — Vacuus sum omni merito, vacuus omni bono, plenus vero malis et demeritis. — Scio, Pater aeterne! scio, quid offeram. Offeram tibi dilectum Filium tuum Jesum Christum, qui

est propitiatio pro peccatis et negligentiis nostris. Munus istud tibi pergratum erit et acceptabile.

Suscipe igitur, o clementissime Pater, sacrificium istud in gratiarum actionem pro bonis donisque tuis, quibus et me et conservos meos tam liberaliter exornasti; nec non in satisfactionem omnium culparum nostrarum. Averte, Pater, oculos tuos ab iniquitatibus nostris, et respice in faciem Christi tui, qui pro nobis interpellat tanquam mediator et advocatus noster. Respice, Pater, Unigeniti tui merita infinita, de quorum abundantia paupertatem nostram supplere digneris. Adesto nobis in posterum, ne gratiam tuam in vacuum recipiamus, sed ut donis tuis bene utumar pro nominis tui gloria et animarum nostrarum salute. Ne permittas, Omnipotens, ut bona nobis tradita seponamus sine lucro, sed effice potius, ut (dum tempus est negotiandi) continenter occupemur in augendis meritorum thesauris, ne (quando vocaveris nos ad tribunal tuum et inveneris nos omni lucro vacuos) nos a te projicere cogaris; sed ut assiduo pietatis studio mereamur adnumerari fidelibus servis tuis. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Excedit omnem modum tua in me munificentia, Domine Jesu Christe! nec unquam satis depraedicare valeo summam bonitatem tuam, unde nova semper in me beneficia proficiscuntur. Laudo atque reverenter adoro te, Salvator optime, qui hactenus ab innumeris malis me liberasti et in hanc usque horam praeclaris cumulasti bonis ac donis. Suppliciter adoro et glorifico te, benignissime Jesu, qui me frequenter e periculis eripuisti mihique varias inter angustias et afflictiones

evidentia tuae caritatis argumenta praebuisti. Gratias ago tibi, bone Jesu, qui pro salute mea mortem crucis subiisti. Grates tibi, qui mihi servo tuo indigno non mediocrem mnam dedisti ad negotiandum. Infinitas tibi grates habeo, suavissime Jesu, qui multiplices noxas et negligentias mihi clementer remisisti, et in gratiam receptum me pretioso tuo corpore et sanguine refecisti.

Quid tibi retribuam, Domine, pro tot beneficiis, quibus me cumulasti? quid retribuam tibi pro divina longanimitate tua, qua tamdiu tolerasti negligentem me servum tuum? quid tibi rependam pro liberalitate tua, qua me famulum tuum famelicum toties ad mensam tuam ita cibasti? Eximia sunt omnia haec bona, quae mihi largitus es. Ideo me longe plus tibi debere sentio, quam ut solvendo unquam esse valeam. Agnosco gravissimam obligationem bene collocandi mnam mihi traditam. Saepe videor audire te dicentem mihi: *Negotiare, dum venio.* — Propono jam majore posthac cura obire munia mea. Id prae omnibus mihi sacrosanctum erit, ut (donec sanus fuero) nulla dies abeat, quin sacrum faciam.

„Fili Dei! Jesu Christe! largire mihi continuam vitae futurae meditationem, ut accurate voluntatem tuam perficiam. Fac me cooperari gratiae tuae diligenterque negotiari cum argento, quod dedisti mihi, Rex coelestis! — Cave mihi, quaeso, ne pecuniam, quam a te accepi, recondam, et ob neglectam foenerationem a te justo judice condemnatus, ignavi illius servi supplicio plectar; neve sententia tua arguar sortis et usurae decoctor poenasque socordiae feram meae, quod utrobique officium meum neglexerim. Annue potius supplicanti servo tuo et elargire, unde tibi pecuniam tuam cum multo foenore aliquando rependam et gaudeam, me creditori meo fecisse satis.“ *S. Ephr.*

Cito venies, Domine, rationem a me de donis tuis exacturus. Da igitur, ut vel minima pretiosi temporis momenta bene transigam et fructuose collocem illos vitae dies, qui mihi conceduntur ad inducias. Frequenter in memoriam mihi revoca tuum illud effatum: *Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo.* Effice, precor, ut dignitatem meam sacerdotalem ubique prae oculis habeam, et quotidie crescam in gratia, in fide, in spe, praesertim in caritate.

„Scio, Domine Jesu! scio et fateor, quod non sum dignus, quem diligas: sed tu es certe dignus, quem ego diligam. Indignus etiam ego sum, ut tibi serviam: sed tu non es indignus servitio meo. Da ergo mihi, Domine, unde tu es dignus; et ego mox ero dignus, unde adhucdum indignus sum. Fac me (quomodo vis) ab omni peccato cessare, ut (quomodo debeo) possim tibi digne servire. Concede mihi per misericordiam tuam ita degere et finire vitam meam, ut in pace dormiam et requiescam. Praesta, Domine, ut in fine recipiat anima mea requiem aeternam. Amen.“ *S. Anselm.*

FERIA III.

Considera: 1) ovium (in extremo judicio) laetitiam; 2) hoedorum terrorem; 3) in manu tua esse positum, qua in parte et tu et alii sitis collocandi.

PRECES ANTE MISSAM.

Formidine magna concutior, Domine Jesu, Judex supreme! dum mecum considero diem illum novissimum,

quo universi homines omniumque saeculorum mortui vocabuntur ad judicium tuum, ac congregabuntur ante te omnes gentes. Quam terribilis erit dies ille, quando venies in majestate tua cum Angelis tuis, judicaturus innumerabilem hominum multitudinem! Ibi virtute tua divina separabis justos ab impiis, electos a reprobis, *sicut pastor segregat oves ab hoedis.* O mi Jesu! quorumnam in numero me collocabis? — Si conscientiae meae latebras inspicio, metu suspensus haereo et toto corpore cohorreo ad deformem hunc aspectum. Indignus ego sacerdos, ingratus peccator, ubi comparebo? —

Ad aram tuam, Domine Jesu, vocat me praesens Ecclesiae calamitas. Sed illuc accedere timeo, quia penitus ignoro, an tunc inter oves a dextris tuis, an a sinistris inter hoedos sim collocandus. Num ergo domi remaneam et animum abjiciam? — Minime. Scio enim, mitissime Jesu, longe majorem esse misericordiam tuam, quam iniquitatem meam. Quamvis itaque nefandus sim malefactor ante oculos tuos, Domine, non tamen committam, ut ad desperationem redigar, sed te judicem meum deprecabor, quia (dum tempus est miserendi) multus es ad ignoscendum. Omnem spem meam pono in te, qui es Dominus longanimis et multum misericors. Postquam in cruce pro peccatoribus deprecatus et mortuus es, cor contritum et humiliatum non despicies.

Confidenter igitur adibo sacrum altare tuum, Domine Jesu, ut ibi sacrificium missae dignissimamque corporis et sanguinis tui hostiam, quam in ara crucis semel obtulisti, purissima nunc offeram intentione ad honorem adorandae Majestatis tuae; in commemorationem passionis ac mortis tuae; in gratiarum actionem pro beneficiis tuis, universo credentium coetui hactenus

praestitis et deinceps praestandis; nec non in plenam satisfactionem omnium delictorum nostrorum, quibus unquam offendimus te. En, bone Jesu! supplices deprecamur clementiam tuam, ut non intres in judicium cum servis tuis; quia non possumus respondere unum pro mille. Fac nos hanc invenire gratiam in conspectu tuo, aequissime Judex, ut iniquitates nostras, etsi poenis aeternis dignas, poenitentiae sacramento a nobis expiatas misericorditer condones.

Hujus virtute sacrificii largire nobis gratiam tuam, o Rex tremendae majestatis, ut proximis nostris, praesertim fidei domesticis (fratribus tuis) in aliqua necessitate constitutis, opera misericordiae tam corporalia quam spiritualia libenter exhibeamus. Accende in nobis amorem tui et proximi, ut pro viribus nostris tam pauperum inopiae, quam aegrotantium saluti promte consulamus. O Rex coeli et terrae! mitiga barbarorum animos hominum, qui proximos suos inhumaniter tractant et injuriis atque calumniis innocentes vexant. Dissipa gentes, quae bella volunt; et da nobis omnibus, ut invicem diligamus et alter alteri debita fraternae caritatis officia praestemus, ne in die judicii cum hoedis projiciamur a facie tua, sed ut inter oves a dextris tuis stantes mereamur audire ex ore tuo: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Parce quoque fidelibus defunctis, illis praecipue, qui ob admissas injustitiae noxas, vel ob omissa misericordiae opera, poenis temporalibus adhuc obnoxii sunt. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Parce mihi, Domine Jesu, Rex et Judex tremendae majestatis! Ignosce mihi hanc temeritatem, qua rursum

mensam tuam accessi nefarius ego malefactor. O mi Jesu! pronus adoro te reipsa praesentem in corde meo. Laudo et pro viribus magnifico te supremum generis humani judicem, cui data est a Patre potestas, in assumta natura humana faciendi judicium super omnes vivos et mortuos, qui fuerunt in praeteritis generationibus ab exordio, et qui nascentur in futuris generationibus usque ad finem mundi. Interim nescio, an nunc gaudeam vel timeam de ipsa hac corporali praesentia tua, qua immerentem me dignaris. Si propriam expendo vilitatem et malitiam meam, metu propemodum et angore conficior. Dum autem miserationum tuarum abyssum intueor, spes blanda rediens laetificat animam meam. Confido in te, Domine Jesu, Rex gloriae, qui sedes super thronum misericordiae usque ad consummationem saeculorum, quando venies cum Angelis et sedebis super sedem majestatis tuae, separaturus oves ab hoedis atque judicaturus universos homines.

„*Justitia et judicium* (Psal. 88.) *praeparatio sedis tuae.* Apparebit in fine justitia et judicium tuum, Domine. Nunc occulta sunt ista: tunc erit manifestatio judicii tui et justitiae tuae. Ponentur ibi quidam ad dexteram et quidam ad sinistram. Tunc expavescent infideles, cum viderint, quod modo deridentes non credunt; gaudebunt justi, cum viderint, quod modo non videntes credunt. — *Misericordia et veritas praecedunt faciem tuam.* Justitiam tuam et judicium tuum timerem, nisi antecederet te misericordia et veritas tua. Quid timeam in fine judicia tua, Domine, quando praecedente misericordia tua deles peccata mea, et exhibendo veritatem imples promissa tua?“ *S. Aug.*

Deus, Judex juste, fortis et patiens! accende cor meum ardentissimo fraternitatis amore, ne ullas prae-

termittam occasiones, misericordiae opera exhibendi proximo. Effice, precor, ut pro facultatibus meis pauperum fratrum tuorum inopiam liberali stipe sublevem propter te, Domine Jesu, qui proprio corpori et sanguini tuo non pepercisti, sed ea mihi jam toties in cibum et potum dedisti. Largire mihi et omnibus servis tuis hanc gratiam, ut invicem nobis debita fraternae caritatis officia libenter exhibeamus.

„Jesu, Rex omni cultu dignissime, qui nobis vitam sempiternam, vitam omni gaudio redundantem in coelesti regno praeparasti: nostram (obsecro) improbitatem dele, quae viam nobis ad aeternam beatitudinem unice potest obstruere; et clementiae tuae lucem in terra diffunde, ubi dolores ac calamitates suum haetenus domicilium collocarunt. Hinc plane fiet, ut, cum extremi judicii dies illuxerit, tibi obviam laeti occurrentes benigne excipiamur.“ *S. Ephr.*

„O Judex potentissime, Judex sapientissime, Judex aequissime, Judex universalis! tu nobis (dum in hoc corpore vivimus) cor mundum et spiritum rectum dona, ut talem nunc vitam vivamus, quae tibi placeat et in extremo judicio securos nos constituat. O bone Jesu! per amorem illum, quem nobis in primo adventu tuo demonstrasti, te obsecramus, ut (usque dum tempus est miserendi) nobis peccata dimittas, gratiam tuam infundas, et in operibus bonis facias nos abundare magis ac magis: ut in novissimo tremendi judicii die non ad sinistram cum hoedis maledicendis, sed ad dexteram cum ovibus tuis benedictis mereamur collocari, quando cum omnibus Angelis tuis veneris ad judicium in gloria Patris. Qui vivis.“ *Titelman.*

FERIA IV.

Recogitatio aeternitatis dat: 1) sapientiam in resolutionibus; 2) fortem animum in probationibus et tentationibus; 3) zelum in officiis exequendis.

PRECES ANTE MISSAM.

Non exiguam mihi laetitiam affert divina beneficentia tua, Domine Jesu, qua teipsum nobis ad aeternitatem peregrinantibus ut viaticum praebes manducandum, et in altero saeculo justis omnibus donas vitam aeternam et tui visionem beatificam sine fine duraturam. Credo, Jesu, Fili Dei! credo *vitam aeternam*. Nullus dubito, quin me creaveris inexterminabilem et spiraveris in faciem meam spiraculum vitae immortalis. Sentio in me, quod totus non moriar. Terenno hoc habitaculo dissoluto evolabit anima mea in domum aeternitatis suae. Infelices Epicurei de immortalitate animae (per me licet) argutentur ac cavillentur, quidquid voluerint; quod ad me attinet, credo *ignem aeternum;* credo et spero *vitam aeternam*. Utrumque asseruisti, Domine! et hoc sufficit mihi.

Sed utinam hactenus pro consequenda felici aeternitate laborassem! Ah, quae mea stoliditas! plus egi pro fugaci vanitate, quam pro longa aeternitate. Profecto, nisi tu, Domine, adjuvisses me, jam pridem habitaret in inferno anima mea. Jam dudum apud inferos improbitatis meae poenas luerem, nisi hucusque mihi pepercisses. Doleo de caecitate et malitia mea. Taedet animam meam vitae meae, cujus magnam partem in nugis ac vanitatibus transegi. Posthac autem annos aeterno

in mente habebo: et qui natus sum aeternitati, uni etiam aeternitati vivere volo tamquam peregrinus super terram. Ne vero deficiam in via peregrinationis meae, sacro viatico indiget anima mea.

„Rogo te, Domine Jesu, per sacrosanctum mysterium corporis et sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque summae Divinitatis tuae participes efficimur: da mihi virtutes sanctas, quibus repletus ad altare tuum ita accedam, ut coelestia sacramenta mihi efficiantur salus et vita. Tu enim dixisti: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; et si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* O Panis dulcissime! sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Panis pretiosissime, qui nos semper reficis et nunquam in teipso deficis: comedat te cor meum; manducet te peregrinus homo, ne deficere possit in via, tali viatico recreatus. Panis sancte, Panis vive, qui descendisti de coelo et das vitam mundo: veni (precor) veni in cor meum; intra in animam meam et esto tutamentum ejus. Repelle a me hostes insidiantes mihi; recedant procul a praesentia tremendae Majestatis tuae; ut per te munitus recto tramite perveniam ad regnum tuum aeternum, ubi non amplius agitur in mysteriis, sicut in hoc tempore, sed facie ad faciem te videbo. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam nec sitiam in aeternum.“ *S. Anselm.*

Domine Jesu Christe! miserere omnium confratrum meorum, pro quibus orare debeo, ne, postquam in hac peregrinatione tot mala et vulnera sustinuerint, denique praecipites agantur in ignem aeternum, quem minatus es impiis. Per infinita hujus sacrificii merita concede nobis omnibus frequentem aeternitatis recordationem, ut

eandem assidue prae oculis habentes, discamus terrena despicere et amare coelestia. Esto propitius incredulis, qui negant immortalitatem animae. Da eis fidei donum, ut vel timore ignitae aeternitatis moveantur ad amorem justitiae, tandemque mereantur una cum justis ire in vitam aeternam. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Benedic, anima mea, Domino Deo tuo, qui jam replevit desiderium tuum tibique saluberrimum dedit viaticum ad pergendam salutis viam. — Bone Jesu! tibi honor et gloria, tibi laus et gratiarum actio debetur a me per omnem aeternitatem. Adoro te, panem coeli, panem sanctum vitae aeternae. Grates tibi, Domine, pro singulari munificentia tua, qua mihi dulcissimum in dies viaticum elargiris, ne deficiam in via peregrinationis ad domum aeternitatis meae. Contremisco, Domine, dum annos aeternos in mente habeo, et de futura sorte mea suspensus ac incertus obscura spe pendeo. Totus sum in metu et trepidatione, quia periclitor in aeternum perire. —

„Domine Jesu Christe! dum innumeras, quibus mea foedata est anima, considero maculas, magno timore obstupesco. Quin etiam me pavor occupat ingens, dum ad aeterna supplicia, quae promeritus sum, mentem converto meam. Heu! quid de me fiet in die judicii, ubi, nullo habito conditionis discrimine, scelesta capita suppliciis addicentur aeternis? Misericors et miserator Domine! propitius esto mihi, et fac clementiam de me tuam, non justitiam triumphare.“ *S. Ephr.*

Jam mecum constitui, Domine, donec curriculum peregrinationis meae conficiam, frequenter intueri for-

midabilem aeternitatis abyssum et a me procul amovere, quidquid deducere me posset in periculum mortis aeternae. Fac, o Jesu misericors, ut illud grave pondus aeternitatis, quod incumbit vertici meo, sit prima cogitatio mea, quoties de mane evigilavero, et ultima, quando dormitum iero. Da, ut despiciam mundi gaudia tamquam mera somnia.

„Excutiat de corde meo omnem torporem dulcissima haec praesentia tua, Domine Jesu! Rumpantur delictorum meorum vincula, et fluant irrigua lacrymarum fluenta. Corroboretur anima mea ad respuenda haec temporalia, et coelestibus solummodo pascatur desideriis; fugiat vitiorum monstra, et virtutum sectetur pulchritudinem; relinquat se, ut semper possideat te et possideatur a te; atque per opera bona regeneretur in spem vivam, per quam potens efficiatur inoffenso pede pertingere ad bravium felicitatis aeternae. Spes isthaec, o Domine, mihi necessaria est, quamdiu in hac peregrinationis via dego. Spem mihi tribue, ut per illam certus reddar, aliquando possidere regnum tuum: spes enim animum meum ita figet in beatam aeternitatem, ut, quae exterius tolero, mala vix sentiam. Ut igitur valeam exteriores libenter sustinere miserias, fac me de spe interiori semper gaudere.“ *S. Laur. Just.*

Idem quoque beneficium, Domine, praesta ceteris fidelibus; et, ne incipiamus tepescere propter laboris ac itineris longitudinem, nobis ob oculos pone celerem miseriarum nostrarum finem. Neque longum est, quod terminum habet. Scimus etiam, quod aeternitati comparata brevis sit omnium temporum longitudo. In hac itaque brevi peregrinatione da nobis perseverantiae donum, ne vita privemur aeterna. Igne quidem aeterno dignos nos fecerunt delicta nostra. Sed universa delicta

operit caritas. Caritatem itaque nobis tribue, qua diu noctuque vehementer uramur. Amor tuus sit nobis ignis aeternus et inextinguibilis, a quo nec una die, nec una hora, nec uno momento cessare vel respirare liceat. Da nobis, amabilissime Jesu, in hoc igne caritatis tuae vivere, mori ac aeternum ardere. Amen.

FERIA V.

Mundus observat sacerdotem: 1) ut laqueos ei injiciat — ideo sit oportet cautus, sacrae solitudinis amator; 2) ut vitia ejus pandat — ideo sit probae et sanctae vitae; 3) ut operationi ejus irrideat et obstet — ideo sit prudens, fortis, constans.

PRECES ANTE MISSAM.

„O Dei Sapientia, Jesu Christe! quam mirabili consilio tuorum salutem operaris fidelium! Non violenter, non imperiose illos tibi vendicas, sed illorum mederis longuoribus ipsorumque indulges erratibus. Sponte siquidem sese tibi sternentes tuisque institutionibus humiliter obedientes, tumorem suum evacuant, credendo, quod non vident. Tuam modo venerantur Majestatem, non percunctando, non discutiendo, sed fideliter famulando; et pro sua pristina satisfaciunt arrogantia et temeritate, dum fide simplici et salubri confessione pronuntiant, altiora se quaesivisse atque multimode tuam erga se provocasse justitiam. Cujus sunt haec opera, nisi tua, o alma Sapientia, o Lux aeterna? Consuevisti tuae veritatis radios tuaeque virtutis rivulos in n

semper diffundere. Tu itaque, o divina Sapientia, cum tranquillitate judicas et cum magna reverentia disponis nos; subest enim tibi, cum volueris, posse. Misereris tamen omnium, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia, quae sunt; et nihil odisti eorum, quae fecisti. Parce itaque omnibus, quoniam tua sunt, o Sapientia aeterna, quae amas animas. Non autem licet quaerere, quod voluisti latere. Quamobrem tuorum altitudinem sacramentorum tuorumque profunditatem judiciorum investigare, extremae dementiae est. Aut quis hominum poterit scire consilium tuum? Nemo sensum tuum attingere sufficit, nisi tu dederis sapientiam et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis. Cum enim magna sint judicia tua, Domine, et inscrutabilia opera tua, propterea indisciplinatae animae, haec perscrutari molientes, graviter erraverunt." *S. Laur. Just.*

Domine Jesu Christe! firmissime credo cunctos fidei articulos, quos Ecclesia romano-catholica nobis proponit credendos. Praesertim indubie credo, quidquid sancti tui de sacrosancto altaris mysterio credidefunt, realem videlicet tuam in eo praesentiam. Dogma istud etiam effuso inter tormenta sanguine meo subscribere ac contestari paratus sum. Adauge hanc fidem meam, benignissime Jesu! et quia nunc iterum ad divinam mensam tuam accedere mihi animus est, obsecro te per illam singularem clementiam tuam, qua multas aliquando Judaeorum turbas ad tuum comitatum attraxisti, ut digneris emundare cor meum ab omnibus delictorum maculis, quo melius degustare valeam ineffabilem dulcedinis tuae suavitatem. *Miserere mei, Domine! laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi; quoniam tu, Domine, suavis*

et mitis et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Bone Jesu! ad te nunc ingenti aviditate propero, saluberrima vulneribus meis quaesiturus remedia. Plurimos olim sanabas aegrotos, qui fiducialiter ad te confugiebant. Te vehementer anhelo, te possidere cupio, Jesu suavissime! tu es enim unicus medicus in infirmitatibus meis, unicus advocatus et Salvator in angustiis meis, unicus amicus ac consolator in necessitatibus et aerumnis meis. Largire mihi, quaeso, gratiam tuam, ut reverenter atque devote sacra mysteria peragam ad laudem et gloriam nominis tui, in commemorationem passionis ac mortis tuae, ad utilitatem quoque meam et totius Ecclesiae tuae sanctae. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

„Dulcissime Domine Jesu! quanta est dulcedo devotae animae, tecum epulantis in convivio tuo! — Habeo te in sacramento vere praesentem, quamvis aliena specie occultatum. Nam in propria et divina claritate te conspicere, oculi mei ferre non possent; sed neque totus mundus in fulgore majestatis tuae subsisteret. In hoc ergo imbecillitati meae consulis, quod te sub sacramento abscondis. Habeo vere et adoro, quem Angeli adorant in coelo: sed ego adhuc interim in fide, illi autem in specie et sine velamine. Me oportet contentum esse in lumine verae fidei et in ea ambulare, donec adspiret dies aeternae claritatis et umbrae figurarum inclinentur. Cum autem venerit, quod perfectum est, cessabit usus sacramentorum, quia beati in gloria coelesti non egent medicamine sacramentali: gaudent enim sine fine in praesentia Dei, facie ad fa-

ciem gloriam ejus speculantes. Memor horum mirabilium grave mihi fit taedium etiam quodlibet spirituale solatium; quia, quamdiu Dominum meum aperte in sua gloria non video, pro nihilo duco omne, quod in mundo conspicio et audio. Testis es tu mihi, Domine Deus, quia nulla res me potest consolari, nulla creatura quietare, nisi tu, Deus meus, quem desidero aeternaliter contemplari. Sed non est hoc possibile, durante me in hac mortalitate. Ideo oportet, ut me ponam ad magnam patientiam et meipsum in omni desiderio tibi submittam.“ *Imitat. Ch. l. 4. c. 11.*

„O amabilis Jesu! o Magister bone! Praedicator strenue! quam gratum et amoenum erat spectaculum, videre te stantem in medio multarum turbarum et proferentem salutis eloquia! — Populos ad te turmatim undique confluentes benigne strenueque docebas, in multis laboribus proficiscendo de loco ad locum. Multam subinde egestatem pertulisti, sic etiam aestum, frigus, fatigationes itinerum, lassitudinem praedicationis, molestias vigiliarum, et super haec omnia gravissimas persecutiones ac contradictiones perversissimorum Scribarum et Pharisaeorum, qui tibi perpetim adversabantur, nunc insidias tibi struentes in verbis, ut aliquid ex ore tuo raperent in calumniam; nunc te dolose interrogantes, ut vel confunderent te coram populo, vel deferrent judici romano; nunc etiam violentas in te manus injicere tentantes, missis ad te comprehendendum lictoribus, quorum interdum malitiae cedere voluisti, te abscondens in desertis locis vel exteris civitatibus, ut exemplum dares infirmis discipulis tuis, quomodo de loco ad locum fugerent, ubi nullum singulare periculum immineret evangelio.“ *Titelman.*

Jesu patientissime! hujus virtute sacramenti con-

forta animum meum ad superandas vocationis meae molestias et difficultates. Fac, ut animosius sequar exempla tua pressiusque vestigiis tuis insistam. Impertire mihi necessarium gratiae robur, ut etiam ego, tuis stimulatus exemplis, rudes doceam, peccantes corrigam, dubitantibus consulam, moerentes erigam et omnibus omnia fiam. Da mihi, Jesu suavissime, ut nonnisi res divinas in ore et animo habeam, ut hostium injurias et alia hujus vitae mala patienter sustineam, et in te summo Bono gaudium meum unice quaeram. Fac, ut illuc aliquando feliciter pertingam, ubi sanctis tuis mirificas divinae tuae dulcedinis suavitates plene gustandas praebebis, eosque conspectu tuo jucundissimo in aeternum oblectabis. Qui vivis.

FERIA VI.

Et die 21. Septemb.

S. Matthaei Apostoli.

1) In ordinatione magnam gratiam accepisti (qualem et quantam?); 2) soporari eam permisisti (quibusnam ex causis?); 3) resuscitare eam et potes et debes (quibus mediis?).

PRECES ANTE MISSAM.

Regali me sacerdotio decorasti, Domine Jesu, omnipotens animarum medice, qui olim Matthaeum publicanum unico verbo mutasti in Apostolum. In amplissimo isthoc dignitatis gradu me hominem flagitiosum collocasti, meque prae mille aliis dignioribus elegisti mini-

strum Ecclesiae tuae. Si mecum officii mei praestantiam et vitam meam vitiorum plenam considero, totus exhorresco. Sacerdotii dignitas veneranda credebatur mihi peccatori, cui sola debebatur poena et poenitentia. Tantum abest, ut sacerdotio inauguratus emendaverim mores meos, ut pluribus etiam noxis inhonoraverim ministerium meum. — O mi Jesu! quomodo tantum mihi sumam, ut iterum accedam ad tractanda divina mysteria tua? —

Nisi tua me animaret infinita clementia, bone Jesu, esset profecto, cur mensam tuam adire timerem pedemque retraherem. At cum haud ignorem, immensam esse bonitatem tuam, ideo fiducialiter ad te recurro, Domine, qui non venisti vocare justos, sed peccatores, quorum primus ego sum. Ad te cum omni fiducia festino, qui dixisti, sanos non indigere medico, sed male habentes. Ad quem alium confugiam infirmus ego peccator, nisi ad te, misericors animarum Medice, qui non raro cum publicanis et peccatoribus manducasti? — Confidenter accedo mensam tuam, quia teipsum esurio, te desidero, Jesu dulcissime, cui Matthaeus olim in domo sua fecit convivium magnum. Praepara, Domine, cor meum ad magnificum altaris tui convivium, quod in Ecclesia tam liberaliter adornasti. Fac, ut exinde recreatus, quae sunt officii mei, constanter exequar. Amen.

Ad Patrem. Hominum Creator et amator, Pater de coelis Deus, qui illuminas sedentes in tenebris et in umbra mortis! tibi hoc missae sacrificium offerimus ad divini nominis tui honorem et gloriam; nec non in gratiarum actionem pro speciali bonitate tua, qua Matthaeum publicanum ad apostolatum evexisti, tum etiam pro magno animarum lucro, quod idem Apostolus re-

portavit et Ecclesiae thesauro acquisivit, non ex telonio suo, sed per doctrinam evangelicam, quam et ore praedicavit, et exemplo monstravit, ac calamo descripsit, suoque fuso sanguine obsignavit, posthumisque praedicatoribus in ecclesiis publice praelegendam reliquit. Pater clementissime! propitiare peccatoribus universis, praesertim illis, qui, publicis officiis admoti, justitiae viam deserentes ac semetipsos locupletantes de injusto lucro vivunt aut participant. Da, ut ejusmodi peccatores exemplo et intercessione sancti Matthaei corrigantur et ita sanentur, ut, relictis occupationibus periculosis, unicam aeternae salutis suae rationem habeant.

„Omnipotens aeterne Deus, qui nobis ad Ecclesiae tuae gubernationem et ad unitatis fidei conservationem certos praesules et animarum curatores praefecisti et Apostolorum successores elegisti: concede illis (quaesumus) cum universo statu ecclesiastico gratiam tuam efficacem, ut ad tuam gloriam nostramque salutem animas nostras probe pascant, officium suum tum verbis, tum exemplis recte exequantur, religionem christianam ab erroribus expurgent, sectas disturbent, abusus tollant, veritatem autem catholicam sedulo promoveant: ut sub eorum regimine pacifice, unanimiter et pie (electarum instar ovium) possimus vivere“ [1]. Memento etc.

Ad s. Matthaeum Apost. Accessurus sacram mensam obsecro te, sancte Matthaee, Apostole et Evangelista! tuo mihi patrocinio divinam impetra gratiam, ut decore virtutum ornatus adsistam magno convivio, quod in domo Dei mihi paratum est, ne in judicium ac condemnationem mihi comedam magnificum hoc epulum,

[1] Petr. Canisi.

sed ad salutem aeternam animae meae. Commenda me (meosque proximos) supremo Numini et deprecare pro nobis, ut, Dei auxilio roborati et exemplo tuo stimulati, lucra temporaria parvi pendamus, mundi vanitates despiciamus et, quas in evangelio tuo legimus, doctrinas sanctas moribus et vita teneamus. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Quisnam modo habitat in cordis mei domuncula? quis est in pectore meo? — Obstupescite coeli! — Ipsissimus Dei Filius, Jesus Christus, omnipotens animarum medicus, qui publicanum uno verbo mutavit in Apostolum, hic corporaliter in ulnis animae meae versatur. — Ubi sum? aut quo abscondam me? — Quid dicam? aut quid faciam? — Abiicio me, Jesu misericors, ad pedes tuos, et omni, qua par est, animi submissione adoro te Deum Salvatorem meum, tibique debitum praesto latriae cultum. Fateor hic coram coelo et terra, me neutiquam fuisse dignum, quem ad divinum tuum convivium admitteres et tali cibo potnque reficeres. Sed nempe haec est propria bonitas tua, quae, cum erga miseros peccatores sit profusissima, longe superat intellectum humanum. Te laudo ac glorifico, bone Jesu, qui non propter justos, sed propter male habentes, propter infirmos peccatores de coelo descendisti et humanam induisti naturam, sanaturus vulnera nostra.

„Tu, Domine Jesu, miserias illas et infirmitates, quas nos in corpore et animo patimur, in teipso perferre voluisti, ut per omnia fratribus similis fieres, quorum gratia in hunc mundum venisti, *tentatus per omnia* (Hebr. 4.) *pro similitudine absque peccato*, cujus

capax non eras, quandoquidem ab aeterno sanctus es, sanctificans omnia. Nequè decebat, ut aliquam haberet maculam hostia illa, quae hominum maculas erat deletura. Et hoc erat sane jucundissimum spectaculum, videre te hominem verum inter peccatores quotidie conversantem ac saepius cum publicanis et peccatoribus manducantem, imo peccatoribus, qui medico egebant, magis quam justis, quibus medico non ita opus erat, contentem, nec tamen ulla unquam peccati labe foedatum. Proverbium est: *Qui tetigerit picem* (Eccli. 13.), *inquinabitur ab ea:* tu autem, Domine Jesu, picem quotidie tangens, nihil unquam inquinamenti, nullum vel minimum inde nigrorem suscepisti in candidissimam stolam immaculatae vitae tuae.“ *Titelman.*

„Sedebat publicanus ille Matthaeus in telonio, turpis lucri gratia, sicque currens pergebat ad inferos. Verum, mox ut audivit vocem tuam dicentem: *Sequere me*, supernae gratiae tuae circumfusus lumine, surgens secutus est te, tuisque inhaerendo vestigiis peregrinationis tuae factus est individuus comes et annuntiator praecipuus.“ *S. Laur. Just.*

Jesu dilectissime, qui ex singulari benevolentia me prae millenis hominibus ad tui sequelam et ad eximiam sacerdotii dignitatem vocasti: largire mihi (precor) opem tuam divinam ad officia mea rite obeunda. Oro te, Domine Jesu, ut resuscites in me gratiam tuam, quae fuit in me per impositionem manuum episcopalium. O potentissime animarum Medice! sana me taliter, ne revolvar in eadem vitia.

„Noli me miserum de illorum censu delere, quos tuo sanguine redemisti. Corpus tuum manducavi, sanguinem tuum potavi, tuaque me morte resuscitandum credo. Domine, qui nece tua nostrum interfectorem

enecasti, peccatum in me excidito; hujus enim excidium mihi causa salutis erit. Tuum in terras descensum non sollicitabant bene valentes, sed male habentes. Ad sanandos aegros abundantia bonitatis tuae te inclinavit. Et quoniam his aegris me junxerunt vulnera mea atro scatentia tabo, medicinam a te deposco. Languores curato meos, et jube me in choro illorum, quos sanasti, laudis tibi hymnos sine fine cantare. Qui vivis." *S. Ephraem.*

SABBATO.

Considera triplices Christi nuptias: 1) cum humana natura in utero B. V.; 2) cum anima viatoris in gratia et in Euch. et quadamtenus in virginitate; 3) cum anima beata in regno coelesti. (Nuptiae vocantur propter arctam conjunctionem — festivam laetitiam — fructus redundantes.)

PRECES ANTE MISSAM.

Ecce, Pater omnipotens, aeterne Deus! offerimus tibi hodie sanctum novi testamenti sacrificium, ut coram coelo et terra profiteamur summum dominium tuum in omnes creaturas, simulque nostram subjectionem et dependentiam a te. Offerimus tibi, Pater, munus istud pretiosissimum in gratiarum actionem pro universis beneficiis, quibus Ecclesiam, dilectam Christi Filii tui sponsam, tam liberaliter exornasti. Per hanc quoque placationis hostiam volumus tibi congruam praestare satisfactionem pro peccatis nostris, quibus supremam Majestatem tuam in dies offendimus. O clementissime Pater! respice in faciem Christi tui, Ecclesiae sponsi, qui hujus amore sponsae gravissima tulit supplicia tandem-

que crucis mortem subiit. Per infinita illius passionis ac mortis merita dimitte nobis iniquitates nostras, quibus tuam in nos indignationem provocavimus.

Denique per hujus virtutem oblationis te suppliciter rogamus, bone Pater, ut Ecclesiam tuam catholicam, sanctam Unigeniti tui sponsam, ab omnibus hostium insidiis ac heterodoxorum vexationibus tueri ac conservare digneris. Universis Ecclesiae filiis gratiam infunde copiosam. Humilitatem, fidem, spem, caritatem morumque integritatem in nobis adauge. Justos in amore tuo jugiter serva; peccatores ad veram poenitentiam revoca; et Ecclesiam tuam ubique locorum per egregios pastores et apostolicos viros semper instrue, dirige, perfice ac magis magisque dilata; ut tali ratione et nominis tui gloria et animarum salus promoveatur. Memento etc.

Ad Christum. Benignissime Jesu! melliflue Sponse animae meae! non absque pudore atque rubore compareo coram te. Est, cur erubescam, sive tuam bonitatem, sive meam ingratitudinem respiciam. Sanguine tuo pretioso redemisti et abluisti me. Catholicis parentibus natum me renasci fecisti ex aqua et Spiritu sancto statimque mihi dedisti gratiae vestem candidam: et tunc animam meam specialiter adoptasti sponsam tuam eamque bonis et donis innumeris cumulasti. Quid ego retribui tibi, Domine, pro talibus beneficiis? Ah! pudet taedetque animam meam vitae meae, dum infausta illa cogito temporis momenta, quibus per inertiam atque segnitiem tibi displicui, o Sponse amabilissime! Quare non tabescit in me anima mea prae doloris vehementia? Eccur ad hujus insipientiae meae recordationem non dissilit cor meum in mille frusta? —

Jesu carissime! longa didici experientia, quod fide

semper credidi, videlicet inexhaustam esse bonitatem et longanimitatem tuam. Jure quidem merito jam dudum me potuisses a facie tua projicere et in ignem aeternum praecipitare: nihilominus mihi hucusque pepercisti. Hodieque tali me diligis propensione, o amabilis animarum Sponse, ut denuo me admittas ad divinam mensam tuam, ubi teipsum mihi cibum praebes. Confidenter itaque propero ad hoc convivium longe pretiosissimum. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, ad dilectum sponsum suum, ut ruat in amplexus tuos. Quo pulchrior autem coram te nunc compareat, lava sponsam tuam, animam meam, ab omni peccato, eamque decenti virtutum ornatu indue.

„Domine Jesu! tu solus es sponsus meus dulcissimus, solus desiderabilis, totus amabilis, qui socium in amore non fers. Tibi soli cor meum expando; tui solius desiderio teneor et amoris tui vinculis constringor. Ingredere in promtuarium tuum, Domine! exosculabor vestigia pedum tuorum; neque enim digna est anima mea, quae cum illa sponsa (*Cant. 1.*) dicat: *Osculetur me osculo oris sui.* Inhabita in me et Spiritus sancti tui templum me fac. Dominare cordi meo sedemque tuam in eo fige cum Patre et Spiritu sancto. Dilata in me mensuras tuas, operationes Spiritus sancti. Tu namque Deus meus es; et glorificabo te cum Patre, cui nullum est principium, unacum sancto et vivifico Spiritu, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.“ *S. Jo. Damascen.*

PRECES POST MISSAM.

Salve millies, amabilissime Jesu! desideratissime

Sponse animae meae! Vehementer gaudeo de hac dulci praesentia tua. Jam omnibus deliciis abundo, quia vere teipsum in corde meo possideo. Magna mihi jucunditas oritur ex ineffabili hac bonitate tua, qua pauperculam animam meam (lugentem sponsam tuam) iterum invisere ac consolari dignaris. Enimvero tantam exinde laetitiam nunc capio, ut vix mei compos sim. Ignosce mihi, benignissime Redemtor, insolitum hoc gaudium meum. *Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* Numquid in moerore jaceat anima mea, dum secum habet amabilem sponsum suum? Quin imo laetabunda nunc audet dicere: *Fulcite me floribus* (Cant. 2.), *stipate me malis, quia amore langueo: laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexatur me: Dilectus meus mihi, et ego illi.*

Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam modo gustandam mihi tribuis! O quam mirabilis, quam immutabilis tua caritas, qua me hucusque complexus es! — Elegisti me sacerdotem, me, qui jam pridem de numero fidelium, imo de coetu hominum deturbari promerueram. Ut nihil mihi deesset, in loco pascuae me collocasti. Carne tua propria, sanguine tuo pretioso me quotidie reficis. In singulas fere horas nova mihi beneficia et eximia largiris dona. Neque renuis vocari sponsus animae meae. Quanta dignatio! quanta dilectio! — Tu Dominus dominantium, tu Sanctus sanctorum, non dedignaris a me nominari sponsus animae meae peccatricis. Nisi redamarem te, Domine, quale forem monstrum hominis!! —

Jesu suavissime! diligo te plusquam omnia, quae sub coelo sunt. Tibi soli semper adhaerebo, Sponse amabilissime! Fallacia mortalium judicia et opprobria

nihili facio, dummodo placeam tibi Dilecto meo. Fac, obsecro, Sponse divine, ut amorem meum non dividam inter te et creaturas. Tu nunquam avertis oculos tuos a me: fac, ut etiam ego mentis oculos semper in te defixos habeam et in omnibus angustiis ad te confugiam. Et sicut tu sponsus meus patiens es, mitis et humilis corde: ita et me redde patientem atque modestum, quo tibi similior evadam. Nec enim convenit, ut sponsa coronetur rosis, dum sponsus coronatus est spinis. Patientissime Jesu! trahe me post te in viam crucis, nec unquam me a te separari permittas. Heu! quam miser essem ac infelix, si a te discedere deberem in ignem aeternum! — Meliora spero; quin imo nunc audire mihi videor vocem tuam, dicentem animae meae: *Confide, sponsa mea! mecum eris in paradiso.*

O paradisus amoenitatis! o coelestis patria! quandonam illuc emigrabo? — Jesu desiderabilis! en adhucdum lugeo, quia te nondum video. Super flumina Babylonis sedens fleo, ubi tot pericula et scandala conspicio. Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est. O Jesu! Sponse delectabilis! cupio dissolvi et esse tecum in superna patria. Indesinenter adspiro ad illam aeternae pacis regionem, ubi nullo amplius vitio superabor; ubi nullo periculi metu, nullo dolore vel angore cruciabor; ubi te facie ad faciem videbo, ardentius amabo, perfecte laudabo et secure possidebo. Haec omnia cum in terris assequi nondum valeam, ideo lugens suspiro et extremam vitae horam adesse desidero, quo citius te sponsum animae meae palam intueri possim in coelesti Jerusalem. Quam acerba sit vitae praesentis hiems, satis sentio, ideoque immortalitatis aestatem anhelo. Asperae hiemis imago est vita haec calamitosa, quam propriae corruptionis torpor constringit,

quam ignorantiae caligo obnubilat, quam tot afflictionum nives et imbres quotidie premunt, vix ut respirare liceat. Quemadmodum vero durante hieme plerique mortalium exoptant aestatem, ita et ego tempus illud aveo, quo tu, Sponse suavissime, animam meam e corporis ergastulo egredientem invitabis, dicens: *Surge* (Cant. 2.), *propera, amica mea! et veni: jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit: surge, amica mea, et veni!* — Quandonam aderit dies ille felicissimus, quo ex hac lacrymarum valle transibo in aulam tuam coelestem, ubi neque luctus neque dolor erit ultra? — Interim tamen semper amabo te, Domine! Aut quis me separabit a caritate tua? tribulatio? an angustia? an persecutio? Nihil, o mi Jesu! neque mors, neque vita poterit me separare a caritate tua, o amabilis animarum Sponse! Qui vivis.

DOMINICA XXIII. POST PENTEC.

In morte quid superest animae? 1) Actiones, sive bonae sive malae; 2) intentiones, s. rectae s. pravae; 3) effectus inde secuti, s. salutares s. perniciosi.

PRECES ANTE MISSAM.

Tanta est tua in nos beneficentia, mitissime Jesu, ut illam mirari satis non valeam. Magno defixus stupore veneror incircumscriptam misericordiam tuam, quae neminem vult perire, sed omnes ad poenitentiam venire, ut vitam habeant. Suppliciter adoro te, Fili Dei, amator hominum, salus periclitantium! Veni rursus ad me

miserum; ecce, continue languet dilecta anima mea, graviter aegrotat et in confinio mortis aeternae est. Sed veni, Medice divine! visita laborantem, erige jacentem, consolare tristem. De adjutorio tuo nihil diffido, sed omnia spero: nam misericordia tua, quae tot aegros olim ad sanitatem ipsosque mortuos ab inferis ad vitam revocavit, illa tua misericordia spem atque fiduciam meam plurimum erigit. Hodiedum, o Jesu, paratus es semper audire et exaudire nos afflictos, quamprimum invocaverimus te cum fide atque fiducia.

Quocirca demisse supplico adorandae Majestati tuae, ut benigne respicias animam meam, quae diuturno languore vexata prope contabescit. Sine auxilio tuo, benignissime Salvator, actum est de salute immortalis animae meae. Quis praeter te poterit eam ab interitu vindicare? Tu solus, Mediator Dei et hominum! tu solus animam meam in vita gratiae servare vales. Propterea vehementer oro et obtestor immensam bonitatem tuam: *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum* (Psal. 6.) *sana me, Domine, quoniam anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo? Convertere, Domine, et eripe animam meam; salvum me fac propter misericordiam tuam.*

Jesu benignissime, qui puellae quondam a te resuscitatae jussisti dari manducare: permitte me in mensae tuae convivio vesci te pane vitae, ut in fortitudine cibi hujus assidue progredi valeam in via mandatorum tuorum et ire de virtute in virtutem. Jesu mirifice, qui vel uno verbo ad vitam revocas mortuos: fac, ut spiritus meus incipiat vivere de spiritu tuo, cum manducavero carnem tuam sanctam et vivificam. Quam felix sacerdos tuus, Domine, cui quotidie permittitur, non jam fimbriam vestimenti tui, sed teipsum in sacramento

latentem, manibus suis contingere, super aram ponere, Patri coelesti offerre, ore suo manducare ac corde recipere! —

Domine Jesu! purifica squalidum cordis mei domicilium, antequam illuc ingrediaris. Domino enim mundissimo munda debetur habitatio. Tumultuantem ineptarum cogitationum turbam a me procul abige vanasque negotiorum curas a me longe repelle, quo majore mentis attentione sacris operari valeam. Dein omni virtutum decore cor meum exorna, ut dignum fiat habitaculum immensae Majestatis tuae. Largire mihi, precor, illius haemorrhousae modestiam, humilitatem, fidem, spem atque fiduciam, ut altaris mysteria digne tractare valeam. Effice per hujus oblationis virtutem, ut omnes ac singuli fideles, qui integra valetudine utuntur, incertam mortis horam prae oculis habeant et ex virtutis praescripto vitam agant; iis autem fidei domesticis, qui mortifero laborantes morbo jamjam in extremis sunt, hanc concede gratiam, ut ante obitum suum omnibus morientium sacramentis rite muniantur ad aeternitatis ingressum. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Mysteriorum tuorum ego particeps factus, o Jesu, timens et tremens (sicut illa haemorrhousa) procido ad pedes tuos ac coram coelo et terra fateor audaciam meam, qua vilis ego humuncio mensam tuam accessi et panem Angelorum manducavi. Ingratus ego peccator te Dominum meum accepi manibus, manducavi ore, suscepi corde vitiorum pleno. Altare tuum adii, summa quidem indignitate ac vilitate mea conterritus, intuitu tamen infinitae tuae bonitatis eousque compulsus, ut

timorem posthabuerim bonae spei. Nimium utique fuissem injurius erga divinam clementiam tuam, mihi jam aliunde notam, si plus detulissem formidini quam fiduciae. Idcirco temeritatis meae veniam a te deprecor, o Jesu misericors! tibique debitas refero grates pro singulari hac benevolentia tua, qua me denuo ad sacra tua mysteria admisisti.

Domine Jesu, Magister veritatis, qui ad illam haemorrhousam dixisti: *Fides tua te salvam fecit;* ecce ratum fixumque mihi est, in vera fide, in religione catholica semper usque ad extremum anhelitum manere. Credo praesertim immortalitatem animae. De mortua illa Jairi filia, quae mox ad nutum tuum revixit, legimus scriptum: *Reversus est spiritus ejus.* Ex his evangelii verbis immortalitatem animae luculenter intelligo; ideoque credo *resurrectionem mortuorum et vitam aeternam.* Fides haec consolatur me in omni labore et dolore. Praesta, quaeso, benignissime Salvator, ut semper memor sim mortalitatis praesentis et immortalitatis futurae. Da, ut tibi Deo meo vivam, fortis in fide, stabilis in spe, fervens in amore. In omnibus his deficio sine tuo subsidio.

„Tu, Domine Deus meus, infinita adoratione dignus es: attamen talis est ignorantia mea, ut, nisi tua me praevenerit gratia, ad hanc infinitam bonitatem tuam condigne adorandam determinare me nesciam. Infinite amabilis es: et tamen, nisi tu cor meum moveas, ad infinitam caritatem redamandam expedire me nequeo. In meipso cuncta diffidentiae motiva invenio: tantummodo in te, Domine, et in misericordia tua infinitam confidentiae rationem ac quietem reperio. Attamen verum est, quod nec quietem hanc, nec confidentiam istam in te invenirem, nisi tua mihi bonitas eandem

subministraret: tu enim es initium, medium et finis totius confidentiae meae. Tu solummodo, Jesu Salvator mi, consulere indigentiis meis et lucem affere dubiis potes. Tu solus omni me replere bono ac omne a me avertere malum potes. Tu simul et thesaurarius meus es et thesaurus. Tu es vita mea, haereditas mea, defensio mea, virtus et victoria mea, pax et protectio mea, corona et beatitudo mea. Tu es Deus meus et omnia." *Palafox.*

Salvator amantissime! priusquam modo revertor ad consuetos labores meos, dic animae meae, quod illi haemorrhousae dixisti: *Vade in pace.* Enimvero pacem humillime deposco. Fac, ut nunc *in pace* redeam ad negotia vocationis meae. Et quo certius suo tempore *in pace* vadam in domum aeternitatis meae, tribue mihi singularem hanc gratiam, ut in animi pace et tranquillitate permaneam, et tandem in hora mortis, in fine peregrinationis meae, in illo periculoso temporis articulo, te viaticum pie morientium devote suscipiam, ut omni labore finito *in pace* dormiam et requiescam; et anima mea corporeis soluta vinculis evolet ad exoptatam patriam, ad vitam sempiternam et tui visionem beatissimam. Amen.

FERIA II.

Rationem reddes: 1) de malo, quod commisisti, non impedivisti; 2) de bono, quod omisisti, impedivisti, neglexisti; 3) de animabus, quas perdidisti, non salvasti (dum poteras); 4) de gratiis, quibus non es usus vel abusus.

PRECES ANTE MISSAM.

Domine coeli et terrae! Deus une in essentia, trine in personis! grato submissoque corde adoro te, qui mihi ceterisque conservis meis tradidisti talenta, pretiosa munera, gratuita gratiarum dona. Iterum aram tuam adibo, sacrificium illic oblaturus eucharisticum. Et jamjam illud offero divinae Majestati tuae in gratiarum actionem pro singulis bonis et donis, quibus universam Ecclesiam tuam oxornasti. Omnibus queis possum laudibus extollo benignitatem tuam, qua me nullis meis meritis ad amplissimam sacerdotii dignitatem evexisti et ad altaris tui ministerium assumsisti. Hactenus autem (o dolor!) servus tuus eram otiosus, piger, malus et inutilis, adeoque indignus, qui tamdiu in tanto honore essem. Rubore suffundor, dum turpem negligentiam meam intueor. Si nunc comparendum mihi esset ante tribunal tuum, qualem reddere possem rationem de tot missis, quas celebravi? de tot precibus, quas recitavi? de tot sacramentis, quae toties administravi? de tot talentis, quae a te accepi? — Ah peccavi, Domine Deus! parce fatenti culpam; et non intres in judicium cum servo tuo, Domine, sed dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar. Admitte me (precor) in sanctuarium tuum ad conficiendam rem sacram.

Obsecro te, bone Deus, per magnam misericordiam tuam et per istius oblationis efficaciam: concede mihi ac conservis meis aliquantulas vitae inducias unacum efficaci gratia, ut admissas defleamus culpas factamque temporis et meritorum jacturam duplicato fervore studeamus resarcire. Humanae fragilitati nostrae subveni, omnem nobis somnolentiam excute, ad augendam ta-

lentorum usuram nos excita pristinumque negotiandi studium in nobis innova, ne velut inutiles servi projiciamur in tenebras aeternas. Etiam atque etiam oro te, Numen omnipotens, ut patriam nostram ab hostium incursionibus defendas et in omni prosperitate conserves. Miserere totius Ecclesiae tuae, cui pretiosos tradidisti bonorum tuorum thesauros; et semper adesto, ne portae inferorum praevaleant adversus eam. Gentes a vera fide alienas veritatis tuae lumine collustra, ne pereant tot animae ad tuam imaginem creatae. Praesules ecclesiasticos fac assidue super greges sibi commissos excubare. Sacerdotibus singulis da quotidianum in virtute profectum, eisque magnum tribue laboris amorem atque judicii tui timorem, ne talenta sibi tradita defodiant in terram. Universos fideles guberna, ut, qua quisque vocatione vocatus est, in ea permaneat. Peccatoribus inveteratis largire necessariam emendationis ac poenitentiae gratiam. Illorum maxime vota precesque clementer exaudi, quorum de salute mihi nunc gravis est cura et gravior aliquando reddenda ratio. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Admisisti me rursum ad coelestem mensam tuam, Jesu dulcissime, et ex admirabili munificentia me pigrum inutilemque servum tuum cibasti sacro corpore et sanguine tuo. Tam bonus atque liberalis es erga servos tuos, Domine, ut tecum nemo dominorum conferri possit. Suavi hac esca non alia de causa me hodie pavisti, nisi ut in posterum majore studio servirem nominis tui gloriae et animae meae saluti. — Ideo quinque mihi talenta dedisti; ideo mihi bona tua tradidisti, imo temetipsum, summum Bonum omniumque bonorum fonte

O mi Jesu! quid tibi retribuam pro tot tantisque donis, quibus me tam large cumulas? Scio, te nihil aliud a me requirere, nisi ut talentis meis in eundem finem bene utar, in quem illa dederas mihi. En igitur, amantissime Jesu! constitui mecum, negotium salutis propriae et alienae non ultra differre, sed potius maturare. Propono firmiter, àmodo talentis a te acceptis bene uti ac cuncta dona tua deinceps indefesso studio bene collocare, et tota virium contentione in id solum incumbere, ut talenta quaedam superlucrari valeam. Nec invidorum calumniis, nec impiorum opprobriis a servitio tuo abstrahi me patiar, dummodo te in hora mortis meae mihi dicentem audiam: *Euge serve bone et fidelis! intra in gaudium Domini tui.*

Praesta, quaeso, Judex tremendae majestatis, ut iniqua hominum judicia contemnam et tuum solummodo judicium timeam. Fac, ut conservis meis, quibus plura quam mihi talenta dedisti, non invideam; et quibus pauciora tradidisti, non illudam, nec cuidam me praeferam, sed corde modesto me singulis confratribus postponam. Effice per gratiam tuam, mitissime Redemtor, ut omnes alios supra meipsum honorificem et tamquam inutilem servum me despiciam, qui utique nihil sum nisi pulvis et cinis, nihil habeo nisi naturae insitum vitiorum fomitem, nihil possum nisi noxas cumulare, nihilque promereor nisi poenas sempiternas. Da mihi, carissime Jesu, tempus et auxilium gratiae ad faciendum majus talentorum meorum lucrum et augendos meritorum thesauros. Scio, Domine! tempus breve est: mors adrepit, judicium instat, aeternitas appropiat. — O quam dulce mihi ac volupe est, in servitio talis ac tanti Domini fatigari ejusque adventum secure praestolari! Spero, benignissime Jesu, quod etiam mihi

aliquando dicturus sis: *Intra in gaudium Domini tui.* Quanta remuneratio pro tantillo labore!! — Jesu desiderabilis! ecce pro nutu tuo paratus sum egredi ex hac lacrymarum valle, quo citius mihi liceat intrare in gaudium tuum. Amen.

FERIA III.

Poena damni in inferno erit: 1) maxima (est damnum incomparabile — irreparabile — intolerabile); 2) acerbissima (bonum perditum cognoscis — desideras — scis *tua culpa* esse amissum); 3) aequissima (quia Deum neglexisti — offendisti — dereliquisti).

PRECES ANTE MISSAM.

Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae! accipietis prolixius judicium, damnationem majorem. Vae vobis, duces caeci! — O minae horribiles! o verba terrifica in aure sacerdotis hypocritae! Heu mihi! in tantis peccatis, in tantis labendi periculis, quid primum plorem? quid primum plangam? Crimina mea omnem mihi sensum doloris tulerunt. Animus obriguit; cor nullo moerore compungitur. In stuporem versa et insensata facta est anima mea. — O lacrymae, quo vos subduxistis? Ubi estis, o fontes lacrymarum? ubi moeroris aquae? ubi lamenta cordis? Revertimini, lacrymae! fluite super faciem meam, humectate maxillas meas, irrigate genas, et date mihi planctum amarum. Inter omnes sacerdotes ego gravius corrui, deterius cecidi, turpius deliqui. Non est peccatum super peccatum meum, nec iniquitas super iniquitatem meam.

Jam multiplex vae sentio et debitas peccatis poe-

nas luo. Gravius tamen est, quod admisi, quàm quod tolero. Major est culpa, minor vindicta. Leviores sunt plagae quam noxae. — Sed aliud est, quod acerbius me affligit, quod me magis contristat, quod me vehementius discruciat et territat, cui simile malum nullum est, quod omnibus poenis antefertur, quod omnia superat tormenta. Timeo mortis horam; metuo judicii rigorem; exhorresco vae sempiternum, ignem inextinguibilem. Sentio quidem malum, quod tolero; sed quod restat, plus extimesco. Jam poena praesens me laniat, sed aeterna me magis perturbat. Gravia sunt, quae nunc intus sustineo; sed longe graviora in aevum metuo. De praesentibus suppliciis doleo, sed de futuris amplius ingemisco. Totus horresco ad illam damnationem majorem, quam accipiunt hypocritae.

Succurre mihi, bone Deus, antequam me mors rapiat, antequam me gehenna deglutiat, antequam me flammae corripiant, antequam me tenebrae involvant. Subveni, Domine Deus, priusquam ad tormenta properem, priusquam igne corripiar, priusquam illud vae perpetuum sentiam. Iram tuam timeo, judicium tuum metuo, gehennam expavesco. Si justus vix salvabitur, impius ego hypocrita ubi ero? — Vae diei, quo peccavi! vae horae, qua flagitium admisi! O dies abominabilis! o hora detestabilis! —

Ah, flete me, coelum et terra! lugete me, omnes creaturae! deplorate me cuncta elementa! — Peccavi turpiter, lapsus sum enormiter, cecidi graviter, corrui miserabiliter. Nullum est vitium, a quo non contraxi contagium. O bone Deus! quid est, quod ego dilectus tuus in domo tua feci scelera multa? — O sacerdotii probrum! Vitae sanctitatem sancte promisi, sed promisso non satisfeci. Ad delicta redii, negligentias iteravi,

culpas accumulavi. Tantum abest, ut animas ad coelum perduxerim, ut plures etiam exemplo pravo ad malum pellexerim. Sic clausi regnum coelorum ante homines, et intrare volentes ingressu prohibui. Unde multiplex illud vae promerui, quod fulminatum est in Pharisaeos hypocritas. — Orate pro me, sancti coelites, si forte ignoscat mihi Deus, si forte me clementer respiciat ac recipiat, si forte misericordiam mihi praestet. Iratus enim mihi Dominus etiamnum minatur indignationis suae phialam effundere super me. Vae mihi! prope tabescit anima mea, afflicta moerore, turbata curis, extenuata luctu super magnitudine mali, super aeternitatis meae incertitudine. Quo me vertam? quis solabitur me? quis medebitur malis meis? Magna est velut mare contritio mea, dolor meus quasi fluctus tumens. Omnes anxietatum procellae ac turbulentissimae tempestates irruerunt super caput meum, nec est inter mortales, qui auxilietur mihi.

Ubi es, o Custos hominum? ubi es, animarum Salvator? Eccur avertisti faciem tuam a me? Quare tam longe factus es a me? Revertere, quaeso, Consolator animae meae! nec in perpetuum me deseras, qui errantes, ut redeant, patienter exspectas. Quot impii, quot scelerati, tua bonitate perducti ad poenitentiam, obtinuerunt indulgentiam? Igitur etiam in me tuam ostende misericordiam. Ne deneges uni, quod jam plurimis concessisti. Scelera mea non defendo, peccata mea non excuso. Displicet mihi, quod deliqui; detestor ex animo quod perpetravi. Errorem agnosco, culpam ingenue fateor. Attende, Domine, confitentis ac poenitentis suspiria, et exaudi vocem deprecationis meae. Miserere mei, Deus, et propitius esto mihi peccatori. Memorare, Creator, quae mea substantia; et opus manuum tuarum ne despicias.

Pateat mihi janua veniae, Deus meus! Pateant aures misericordiae tuae precibus meis; pateat mihi templum sanctum tuum, in quo habitas et palam adoraris. Pateat accessus ad altare tuum, ad thronum gratiae tuae, ad donum inaestimabile, ad convivium mensae tuae divinae. Suscipe, sancta Trinitas, munus nostrum sacrosanctum, immaculatam hostiam, donum pretiosum, sacrificium vere propitiatorium, quod in altari tuo oblaturi sumus in satisfactionem omnium delictorum nostrorum, quibus te ad iracundiam, et in nos tuam provocavimus vindictam ac poenam aeternam. Hujus virtute sacrificii nos omnes ac singulos ita dirige, ut ambulemus in viis tuis, ne praecipites agamur in illud horribile vae, quod durabit aeternum; sed ut translati tandem in regnum coelorum sine fine collaudemus infinitas miserationes tuas. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Firmiter ac indubitate credo, misericordissime Jesu, te nunc in corde meo habitare. Teipsum mihi totum donasti, et dono hoc pretioso me tibi summopere devinxisti. — Salvator ac Consolator amantissime! quibusnam verbis tibi referam grates pro dono hoc inaestimabili? Quomodo singularem hanc munificentiam tuam pro rei dignitate satis depraedicare potero? O felicem me! si enim altare sanctificatur a dono isto sanctissimo, certe cor meum pariter sanctificabitur a munere hoc coelesti, nisi forsan obstet vitium ibi latitans. Eo majore pavore fluctuo, quo minus animi mei latebras perspicio. Jesu omniscie! tu solus intima cordis mei vides, nec quidquam in orbe te potest latere. Omnia nuda et aperta sunt oculis tuis, scrutans corda et

renes Deus! at ego non clare video cordis mei penetralia. Id unum scio, quod homo sim miser et miserabilis peccator.

„Agnosco, Jesu misericordissime, infirmitatem et miseriam meam; iniquitates meae supergressae sunt caput meum. Nam, etsi per misericordiam tuam exigua quaedam justitiae opera in via virtutis operatus sim, languida tamen et valde imperfecta cum fuerint, non per illa, sed per tua merita salutem me consecuturum spero: quia, licet alioquin in meipso sim admodum pauper, in eo tamen dives sum satis, quod humiliter mihi usurpare et applicare possum omnia, quae tu pro me fecisti ac pertulisti. Nam pro me homo factus es; pro me persecutiones, injurias, opprobria, flagella, dolores et angustias sustinuisti; pro me fudisti sanguinem tuum; pro me vitam in cruce posuisti. Haec et infinita alia merita tua mihi donasti. Cur ergo non sperem in bonitate tua?“ *Blosi.*

Domine Jesu! conserva me meosque proximos in vera fide, in sancta religione, in sinu Ecclesiae catholicae, extra quam nulla salus. Protege nos a seductoribus, a probitatis simulatoribus, qui claudunt regnum coelorum ante homines. Fac nos caute ambulare, ne decipiamur ab impostoribus istius aetatis. Praesta, quaeso, benignissime Redemtor, ut avaritiae vitium aversemur, ut victu ac vestitu necessario contenti simus, resque nostras tuae providentiae tractandas relinquamus. Da, ut ab impia pietatis simulatione declinemus, ac cum metu et tremore salutem nostram operemur, memores illius vae terrifici, quod comminatus es hypocritis. Da nobis spiritum compunctionis, ut diu noctuque deploremus peccata nostra; nec immoderate gaudeamus in hoc mundo, qui locus est exilii, locus plorationis, locus christianae tristitiae.

Bone Jesu, qui et verbo et exemplo docuisti nos lugere et flere: da nobis donum lacrymarum, sicut dedisti patribus nostris, quorum nos oportet insistere vestigiis: ut in omni vita plangamus nosipsos, sicut et illi se planxerunt nocte ac die. Inter tot adversa, inter tanta salutis discrimina, inter tot aliorum naufragia, sursum erige animos et oculos nostros ad coelum, ad thronum gloriae tuae, ad aulam tuam coelestem. Quam magna est illa domus tua, Domine! quam ingens locus possessionis tuae! Fac, ut frequens conspectus supernae patriae mitiget aerumnas peregrinationis nostrae. Redde nos fortiores ad tolerandas hujus vitae miserias, quo citius mereamur intrare regnum coelorum. Amen.

FERIA IV.

Sacerdos diligentius, quam laici, fugiat peccata venialia, quia: 1) magis obligatus est Deo (ob dignitatem, beneficia accepta etc); 2) clarius cognoscit peccati malitiam et sequelas; 3) facilius devenit in tepiditatem et peccata mortalia.

PRECES ANTE MISSAM.

Quam magnam et excellentem mihi detulisti dignitatem, o Pater omnipotens, aeterne Deus! In amplissimo honoris gradu me collocasti, dum me fecisti sacerdotio inaugurari. Sempiterno consilii tui decreto separasti me a plebe; segregasti me a ceteris Christianis et talem mihi potestatem tribuisti, qualem nec Patriarchis, nec Prophetis, imo nec Angelis tuis dare voluisti. Sed eheu! quam longe absum a sanctimonia sacerdotali! —

Deus sancte! praecepisti sacerdotibus antiquae legis, dicens: *Erilis mihi sancti* (Levit. 20.), *quia sanctus ego sum Dominus.* Qua fronte jam miser ego peccator iterum adibo sacrum altare tuum? An ab homine immundo digne poterit offerri *oblatio munda?* Totus quantus contremisco, si tuorum sanctitatem mysteriorum et animae meae impuritatem accuratius expendo. Certe non possum dicere: *Mundum est cor meum, purus sum a peccato.*

Sed quis me potest facere mundum? nonne tu, qui solus est summa Puritas, summa Sanctitas, summa Bonitas? Tibi, bone Deus, tibi nihil difficile nec quidquam impossibile. Cor mundum crea in me, Deus, ne indigne peragam adoranda mysteria tua. Da mihi, quaeso, debitam animi contritionem et demissionem; nam cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Intime doleo de singulis totius vitae meae peccatis, quibus forte saepius promerui. vae illud terribile, quod Unigenitus tuus ingeminavit contra Pharisaeos immundos. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Amplius, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me; mundatum etiam exorna requisito virtutum decore, quo décentius hodie offeram illibatum altaris sacrificium.

Per infinita Filii tui merita, bone Pater, dimitte nobis peccata nostra tuumque concede praesidium gratiae, ne ultra serviamus peccato, sed ut animae puritatem semper illaesam servemus. Fac, amantissime Pater, ut abhorreamus a Pharisaeorum hypocrisi; nec leviora modo, sed etiam graviora mandata tua religiose perficiamus. Da nobis sacerdotibus auxilium efficax ad acquirendam vitae sanctimoniam, sine qua nec placere tibi, nec munia nostra decenter obire possumus. Effice

nos dignos Ecclesiae ministros, ut effugiamus horrendum illud judicium gehennae, quod dilectus Filius tuus minatus est Pharisaeis hypocritis. Largire cunctis fidelibus talem animorum constantiam, ut, si opus fuerit, parati sint fundere sanguinem suum pro fidei veritate. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Humiliter abjicio me ad pedes tuos, Domine Jesu, Sancte sanctorum, tibique debitum adorationis cultum tribuo. Supplex a te peto veniam temeritatis meae, qua ego peccator immundus ad divinam mensam accedere et sacris operari sum ausus. Oro, ne mihi des crimini hanc confidentiam, quam in te posui. Fidenter rursum me conjicio in sinum misericordiae tuae. Omnia quidem mihi timenda de me, sed omnia quoque mihi speranda sunt abs te, Domine, cujus bonitas infinite superat malitiam meam. Dum aspicio me flagitiorum sordibus undique plenum, lethali propemodum moerore conficior, haud aliter, ac si jam personaret aures meas terrificum illud vae, quod toties ingeminasti contra Scribas et Pharisaeos hypocritas. Nihilo tamen secius, quamprimum memini caritatis tuae perpetuae et acerbissimae passionis ac mortis tuae, spem novam concipio paululumque a metu respiro. Quamvis indignus sim peccator, non tamen committam, ut ad desperationem adducar.

Jam propius itaque pedibus tuis adrepo, Redemtor amantissime! — Levo nunc oculos meos ad te, Salvator mundi, Jesu misericors! — Fiducialiter osculum figo cordi tuo vulnerato — Jesu dulcissime! — Jesu amabilissime! — Jesu mitissime! — In te credo — in te spero — te amo ex toto corde meo. Grates tibi

habeo maximas pro cibo incomparabili, quem mihi hodie dedisti; nec non pro omnibus aliis beneficiis, quibus me inde a puero ad hanc usque horam cumulasti. Simulque peto gratiam efficacem, ne rursum abutar beneficiis tuis. Omnem mentis elationem a me procul amove, Domine! Accende (precor) amore tuo cor meum et confige timore tuo carnes meas, ne fors, ubi proficit devotio, subrepat elatio. Concede mihi sinceram animi modestiam veramque cordis humilitatem, ne fortassis in ipso probitatis augmento mens mea sibi conscia et laudis avida in arrogantiae rapiatur excessum, et fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. Evelle, quaeso, radicitusque exstirpa e corde meo illius fomitem vitii, cujus olim merito jure arguisti Scribas et Pharisaeos.

„Domine Jesu, Lumen aeternum! ab omni caecitate oculos mentis meae conserva, studiumque religionis semper in me custodi. Ab omni salutis impedimento, ab omni saeculari desiderio cor meum defende. Et sicut habitum gero sanctitatis et innocentiae, sic et virtutum ornamenta mihi tribue, ut veterem cum actibus suis hominem exuere et novum cum justitia et sanctitate veritatis induere merear; ut in omnibus protectionis tuae munitus auxilio in tua semper dilectione permaneam. Amen.“ *S. Anselm.*

FERIA V.

Ut bene catechizes, debes: 1) parvulos diligere eorumque animas aestimare; 2) divinum parvulorum amicum diligenter exorare; 3) bene te praeparare.

PRECES ANTE MISSAM.

Caritas illa, Domine Jesu, et eximia tua benevolentia, qua parvulos olim amplexans benedixisti, jacentem animum meum usque adeo erigit ad fiduciam, ut et ego adire te non refugiam. Aedificasti domum sanctam, o Sapientia increata! Ecclesiam aedificasti supra petram solidam, ibique proposuisti mensam; parasti convivium magnificum, ubi fideles tuos ineffabili cibo et potu reficis. — Audio te blanda voce clamantem: *Si quis est parvulus, veniat ad me: Venite, comedite panem meum et bibite vinum, quod miscui vobis; venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* — Ecce venio, dulcissime Jesu! venio familiari tua invitatione animatus. Divinam adibo mensam tuam, ut accipiam *frumentum electorum et vinum germinans virgines.* Etsi non sim parvulus innocentia morumque integritate, nihilominus ad te propero, quia mirandam agnosco benignitatem tuam, qua poenitentes in gratiam recipere dignaris. Incomprehensae dilectioni tuae satis non erat, impositis manibus benedicere servos tuos, sicut illos parvulos; sed voluisti nos pascere sacrosancto corpore et sanguine tuo.

Bone Jesu! quis adhuc adire mensam tuam timeat, tam amanter a te vocatus et invitatus? — Utinam talis sim parvulus, qualem me vis esse: humilis, mansuetus, innocens, morigerus, simplex et rectus, quo majore cum fiducia coram te comparere possem! Id equidem opto, at ex me efficere nequeo. Tuum est, o Jesu, parvulorum indolem mihi tribuere. Da ergo mihi (precor) innocentiam, puritatem, fidem et docilem obedientiam, quo majore cum fructu sancta peragam mysteria. Largire mihi cor humile, cordi tuo simile. Amfer inde

cuncta vitia, ut tibi nihil in corde meo displiceat. Praepara divinae Majestati tuae gratum in pectore meo habitaculum, ut inexplicabilem praesentiae tuae suavitatem gustare, benedictionis tuae gratiam obtinere, et aliquando inter parvulos tuos, inter humiles fideles, inter electos coelites regnum Dei consequi merear.

Per istius virtutem sacrificii, Jesu suavissime, da sacerdotibus, ludimagistris atque parentibus opem necessariam, ne ullam praetermittant occasionem, parvulis sibi commissis catholicae fidei rudimenta tradendi eosque ad omnem morum honestatem informandi. Da cunctis conscientiarum moderatoribus indefessam patientiam, ne durius agant cum rudibus, sed ut faciles se praebeant omnibus singulosque paterno amore complectantur. Miserere (precor) omnium haereticorum ac infidelium; redde eos et tibi et Ecclesiae tuae morigeros docilesque, velut parvulos, ut aliquando una nobiscum intrare mereantur in regnum coelorum. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Ubinam, mi Jesu carissime, hanc a te promerui gratiam, ut me rursum admiseris ad divinam mensam tuam, ad dulcissimum istud epulum? — Obstupesco liberalitatis tuae magnitudinem. Admiror immutabilem tuam in me caritatem atque benevolentiam. Tu ipsemet in corde meo habitas, bone Jesu, qui parvulos aliquando peramanter amplexus es. Exoptata haec praesentia tua summo gaudio complet animam meam eamque mire solatur in hoc aerumnoso itinere ad aeternitatem; nihil enim melius in coelo nihilque pretiosius in terra habere valeo, quam te Salvatorem amabilissimum. — Diligo te ex toto et intimo corde meo; tibique posthac inse

parabiliter adhaerebo. Certum omnino fixumque mihi est, diligenter ea vitare, quae tibi displicent, ac constanter ea perficere, quae tibi placere cognovero.

Domine Jesu! confirma hoc consilium, quod operatus es in me. Succurre mihi gratiae tuae praesidio, ne turpem ingrati animi culpam admittam, sed ut tuis beneficiis benefaciendo respondeam. Largire mihi parvulorum indolem, illorum nempe humilium, mansuetorum ac innocentium, quorum est regnum coelorum. Doce me facere voluntatem tuam. Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Age, loquere mihi, Verbum caro factum! en, audio *velut parvulus*, et obtemperabo *velut parvulus*, ut accipiam regnum Dei *velut parvulus*. Fac etiam, mi Jesu, ut (si tulerit occasio) parvulos ac indoctos praeceptis tuis imbuam et ad omnem pietatem erudiam. Da mihi patientiae donum, mitissime Jesu, ut agrestes rudium mores aequo feram animo, sicut et tu olim me tantillum puerum et tantum peccatorem tolerasti patienterque ad poenitentiam exspectasti. Concede mihi, Domine, invictam animi fortitudinem, ut omnes ministerii mei molestias et difficultates exsorbeam.

Jesu melliflue, qui complexans parvulos et imponens manus super illos benedicebas eos: *mihi quoque* (Gen. 27.) *obsecro ut benedicas*, priusquam discedas a me, priusquam me destituas corporali praesentia tua, priusquam revertar ad duros vocationis meae labores. *Non dimittam te* (Gen. 32.) *nisi benedixeris mihi*, mihi homini miserabili, mihi pauperi et inopi. Scio, quod (Prov. 10.) scriptum est: *Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.* En amantissime Jesu! reverenter exosculor dexteram tuam, propter me clavo perforatam, enixe rogans, ut eandem nunc elevare digneris ad benedicendam pauperculam

animam meam. — Neque mihi solum, Domine, sed omnibus etiam mihi commissis benedictionem tuam impertire. *Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic haereditati tuae.* Qui vivis.

FERIA VI.

Triplicem considera Dei bonitatem: 1) naturalem, qua est infinite perfectus in toto genere entis, et fons omnis perfectionis et pulchritudinis —: admirare, adora, ama, lauda; 2) moralem, qua est infinite sanctus, et omnis sanctitatis origo et exemplum —: reverere, confundere etc.; 3) beneficentiae, qua se communicat, omnia bona largitur —: gratias age, imitare.

PRECES ANTE MISSAM.

Bonitas tua, Pater omnipotens, aeterne Deus, modis omnibus perfectissima est et tam plena, ut ab illa sola proveniat, quidquid bonitatis aut perfectionis invenitur in creaturis. Profecto ab increata et infinita bonitate tua, velut ab originali fonte, omne bonum finitum ac creatum oportet derivari; et omnis creata bonitas aliud non est, nisi rivulus quidam immensae bonitatis tuae, quae, quantumlibet innumeris communicetur, exhauriri tamen nunquam potest, sed aeque perfecta semper remanet ac indeficiens perseverat. Hinc est, quod unigenitus Filius tuus in evangelio dixit: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Enimvero tu solus natura bonus et perfecte bonus es, imo ipsissima Bonitas: omnis autem creata bonitas nihil est, nisi guttula quaedam modica de inexhausto divinae bonitatis tuae oceano.

In hoc autem mirifice clarificatur infinita bonit

tua, Pater ac Creator omnipotens, quod tam largiter illa sese diffundat in omnes creaturas. *Misericordia tua, Domine, plena est terra.* — Speciatim vero mihi prae millenis hominibus exhibuisti paternam bonitatem tuam. Tu formasti me et posuisti super me manum tuam. Ab aeterno me dilexisti, ideoque vocasti me ad sacerdotium, ad altaris tui ministerium, ad singularem perfectionem, ad eximiam vitae sanctimoniam. Sed ingratus ego peccator iterum iterumque offendi summam bonitatem tuam. Nihilominus tu longanimiter hucusque tolerasti me. O mi Deus! nemo tam bonus sicut tu: nemo tam malus et ingratus sicut ego. —

Misericordissime Pater! iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. Nolo tamen animum aut spem abiicere, sciens, longe majorem esse bonitatem tuam, quam malitiam meam. Eapropter accedo sacram mensam ac confidenter recurro ad altare tuum, oblaturus sacrificium propitiatorium in plenam expiationem delictorum, quae vel a me, vel ab aliis fidelibus admissa sunt. Respice, Pater, sacrosancta munera, et dimitte nobis debita nostra. „Mitis es, o Domine Deus, et valde misericors. Ne (quaeso) desinas erga nos esse talis, qualem te tuus praedicavit Unigenitus, quando te *solum bonum* nuncupandum edixit. Ratam habeto hanc Filii tui sententiam, neque permittas, ut tuum hoc cognomentum occultum passim ignoretur.“ *S. Ephr.*

Auxiliare nobis, bone Deus, ut temporalia bona despiciamus tamquam mera puererum crepundia. Da, ut saeculi honores, divitias ac voluptates animose rejiciamus, nec unquam obliviscamur aeternitatis et immortalitatis beatae. Fac, optime Pater, ut Jesum Christum, magistrum bonum ac clarissimum perfectionis specu-

lum, semper prae oculis habeamus, ejusque exemplum imitatione exprimamus. Effice, quaesumus, ut, unigeniti Filii tui vestigiis insistentes, in via virtutis et sanctitatis impigre progrediamur, donec illuc perveniamus, ubi te perpetuo laudabimus. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Nemo bonus, nisi solus Deus. Id olim asseruisti, Jesu Homo-Deus! idque rursum expertus sum hodie. Vere bonus et liberalis in me fuisti, Fili Dei, dum iterum me admisisti ad dulcissimum illud convivium, in quo divinae tuae affluentiam largitatis percipiendam mihi dedisti. O felicem me hac hora, qua summum Bonum versatur in corde meo! — Supplex adoro te, bone Jesu! bone Deus! Magister bone! Fons omnium bonorum! A te omnia bona suam hauriunt bonitatem; a te omnia pulchra suam habent pulchritudinem; a te omnia perfecta suam trahunt perfectionem. — Credo in te, Bonum veracissimum! — Spero in te, Bonum misericordissimum! — Diligo te, Bonum amabilissimum! — Omni qua decet animi demissione tibi gratias ago pro omnibus beneficiis tuis, simulque totum me offero ad tuum beneplacitum.

Magister bone! quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? Mandata novi; magna legis praecepta servare conabor. At in via sanctitatis majores cupio facere progressus. *Quid adhuc mihi deest?* Quid me oportet facere, ut ad beatam immortalitatem perveniam? — Audio te idem fere verbum mihi dicere, quod olim adolescenti pecunioso dixisti: *Si vis perfectus esse, contemne honores, conculca divitias, aversare voluptates; et veni, sequere me.*

Faciam, Domine, quod imperas. Non abeo tristis, sed amore tui cunctas saeculi vanitates respuo, et deinceps vestigiis tuis pressius inhaerebo. Prava sceleratorum exempla non imitabor, sed te solum, lucidissimum perfectionis speculum, moribus meis adumbrare conabor, ut habeam vitam aeternam.

Haec sunt bona proposita mea, Magister bone! Sed quid ego praestare possum tuo destitutus auxilio? Quam fragilis sim et inconstans, sat didici jam inde ab adolescentia mea. Te igitur obsecro, bone Jesu, ut tua mihi subvenias ope divina ad exequendum id omne, quod tibi tam sancte spopondi. Magister bone! bone Deus! redde me bonum discipulum, bonum sacerdotem, bonum animarum curatorem. Procul a me remove, quidquid tardare me potest in via perfectionis. Fac, o Amor mi crucifixe, ut alacriter insistam vestigiis tuis cruentis. Si sequi renuero, trahe me post te, bone Jesu, tibique tam arcto me vinculo caritatis adstringe, ne unquam a te summo Bono possim avelli. Quid enim in hoc mundo quaeram extra te, qui es origo et plenitudo bonorum omnium? *Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?* Tu solus animam meam infiniti Boni capacem exsatiare vales, bonus Dominus, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Tu es unicus thesaurus meus, quo nihil melius, nihil pretiosius, nihil pulchrius, nihil amabilius sub sole est. Te si possedero, dives sum satis, felix satis. Vae hominibus illis, qui aeternum separabuntur a te summo Bono! Fac, ut ego tibi constanter adhaeream in tempore, ne divellar a te in aeternitate. Tu solus posthac esto dilectus meus et unicus amor meus, semper *meus* in terris, semper *meus* in coelis. Amen.

SABBATO.

Amicitia, quam Jesus in eucharistia nobiscum vult inire, est: 1) intima; 2) nobilissima et sanctissima; 3) utilissima; 4) dulcissima.

PRECES ANTE MISSAM.

Gratuita prorsus est tua caritas atque benevolentia, Domine Jesu, qua me velut amicum tuum ab omni retro aeternitate complexus es. Amicus meus es omnipotens, cujus sub protectione nihil timendum mihi a mortalium improbitate. Tu es amicus meus perpetuus, qui me constanter amas, juxta illud quod (*Prov. 17.*) scriptum est: *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Summo perfundor gaudio, dum mecum expendo sortem meam longe felicissimam. Te namque si amicum habeam, etiam desertus a ceteris amicis, nullos timeo inimicos. *Amicus fidelis* (Eccli. 6.) *protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* In te solo, Domine Jesu, invenio thesaurum inaestimabilem, qui praesidio mihi est in omni necessitate. Semper et ubique te fidelissimum mihi praestas amicum, o Jesu amantissime! Praesertim in eucharistiae sacramento teipsum mihi praebes amicissimum. Si enim moestus sum, ibi me consolaris; si esurio, me cibas; si sitio, me potas; si pugno, me confortas; si laboro, me recreas; si langueo, me sanas et animum mihi viresque restituis. In te uno habeo remedium omnium malorum et abundantiam omnium bonorum. Miseros inter mortales frustra quaeritur amicus tibi similis; praeterquam enim, quod facultas illorum angusta sit, voluntas eorum mul-

est angustior: etsi modicum possint, minus tamen volunt quam valent. Tu solus amicus es, cujus potestas infinita, cujus miseratio perpetua, cujus bonitas inexhausta, cujus benevolentia propensissima. Ideo fiducialiter recurro ad divinum altaris convivium.

„Dulcissime Domine Jesu Christe! magnum sane indicium magnae dilectionis tuae in altaris mysterio nobis peccatoribus ostendis. Dum aliquis homo alterum hominem, quantum potest, diligit; praeter alia vi dilectionis forsitan potest pro altero mori, si ita dilectio exigit: quod tamen raro accidit, ut quis pro dilecto amico suo mori velit. Hoc si etiam amicus pro amico facit, omnes qui hoc audiunt, in admirationem convertit. Tu vero, dulcissime Jesu, non solum pro amicis, sed etiam pro inimicis mortuus es. Nec solum hoc, sed et illud, quod nullus facere pro amico vult, tu fecisti et adhuc facis quotidie: videlicet teipsum, qui pro nobis mortem sustinuisti, das ad manducandum et bibendum in hoc mysterio corporis et sanguinis tui. Da mihi ergo, Domine Jesu, caste vivere et sancte deinceps altaris tui servitium peragere: ut sic vivendo, sic carnem tuam manducando et sanguinem tuum bibendo, post mortem, ab omnibus peccatis absolutus, ad te Creatorem et Redemtorem meam (*ad te desideratissimum amicum meum*) recto itinere valeam pervenire, et te cum omnibus sanctis in aeterna felicitate sine fine laudare. Amen“ [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Amor mi omnipotens! — Amor aeterne! — Jesu suavissime! quidnam eo te compulit, ut denuo me pec-

[1] S. Anselm. Cantuar.

catorem sacram mensam tuam adire permiseris? Domine! quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum ut amicus amicum? Quomodo rursum intrare poteras impuram hanc cordis mei speluncam? — Immensa nempe clementia tua eousque inclinavit te. Suppliciter adoro te, Jesu benignissime, Amice mi fidelissime! si tamen mihi misero liceat te compellare amicum meum. Grato nunc iterum animo veneror et demiror infinitam bonitatem et misericordiam tuam.

Stupenda quidem et admiranda sunt opera tua, Domine, quae hactenus in commodum humani generis operatus es. In hujus universi creatione aeque magnam ostendisti beneficentiam atque potentiam. Propter nos homines coeli firmamentum innumeris exornasti sideribus. Aërem replevisti volucribus et aquas piscibus. Terram ubique consevisti arboribus aliisque diversissimi generis frugibus atque plantis. In omnibus operibus tuis Creator appares nedum mirabilis ac omnipotens, sed etiam dulcis et amabilis. Verumtamen, cum in omnibus appareas amabilis atque mirabilis, nuspiam ita mirabilem amabilemque tuam nobis bonitatem ostendis, o Verbum caro factum, sicut in altaris sacramento, in quo sanctissimum corpus et sanguinem tuum nobis ministras in cibum et potum. In aliis donis tuis, utut magnis et eximiis, tua solummodo confers, Domine! at in hoc mysterio nobis te donas integrum. Facile quisque tribuit amico suo, quae possidet; non autem invenitur, qui tanto amicitiae foedere sit alteri junctus, ut amico vel pro amico tradat semetipsum. Tu vero nos ingratos homines tanto caritatis affectu complecteris, ut et tua et teipsum nobis tradas.

Jesu mellifluе! consolantur me miserum illa ve

quae dixisti discipulis tuis: *Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus: capilli capitis vestri omnes numerati sunt; nolite ergo timere.* En abjicio timorem vanum; nec ultra metuo hostium minas vel insidias, dum mecum habeo teipsum, amicum omnipotentem et fidelissimum. Confido, mi Jesu, de summa clementia tua, quod nunquam me derelicturus sis. Vere bonus es amicus, qui tuos in omni necessitate adjuvas, sustentas, foves, nutris, consolaris et impense diligis. — Cur igitur non amem te, o Jesu amantissime? Diligo te ex totis viribus meis, et taliter amantem te redamabo sine fine. — Fortasse jamjam discessurus es a me, o Jesu carissime! Gravis et acerbus est mihi discessus tuus. Magno me dolore afficit absentia tua. Utinam, mi Amice amicissime, semper remaneres in corde meo, non tantum quoad divinitatem, sed etiam quoad sacram humanitatem tuam. O quam volupe mihi foret, Amice suavissime, si te semper haberem mecum! *Quilibet invitus caro valedicit amico.* — Da saltem, Amice dulcissime, ut tui nunquam obliviscar, sed in omni functione et occupatione mea semper et ubique te prae oculis habeam; ut tandem in brachiis tuis, in amore tuo moriar, et ita merear in coelo semper esse tecum. Qui vivis.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Deum 1) multo magis debes diligere, quam laici (melius eum cognoscis — majoribus decoratus es dignitate et beneficiis — pluribus adjuvaris gratiis); 2) minus tamen diligis (peccatum minus caute fugis —

minus libenter et devote oras — lentius in via perfectionis progrederis); 3) quanta erit in judicio tua confusio (coram Deo — animabus tibi commissis etc.).

PRECES ANTE MISSAM.

Procreator totius universi, Deus omnipotens, une in essentia, trine in personis! diligo te, vel saltem diligere te cupio, prout in lege mandasti, nimirum ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex tota fortitudine mea. Magnopere gaudeo, Deus amabilissime, tibique gratulor de infinitis perfectionibus tuis: gaudeo, quod tu solus sis, qui es, Deus immensus, ab aeterno felicissimus ac incircumscriptus, ita, ut nec humana nec angelica mente valeas comprehendi. Ex animo tibi gratulor de suprema tua potestate ac dominatione, cui omnes creaturae sunt obnoxiae. Sincero cordis affectu desidero, ut omnes ac singuli homines te diligant, eoquod tuo solus omni omnium amore dignissimus es. Tanto caritatis ardore te diligere cupio, quanto te justi et sancti diligunt aeternumque diligent.

Sed habes adversum me, Deus, quod caritatem meam primam reliquerim, qua te super omnia dilexi. Fateor culpam meam, nec absque summo dolore nunc illius reminiscor infausti temporis, quo violavi primum illud mandatum dilectionis tui et proximi. Ignosce mihi, Creator amabilissime, quod tam parum hactenus amaverim te. Dolens abominor et detestor iniquitatem meam. Id tibi quoque de me certissimum esse velim, o mi Deus, quod tam firma voluntate statuerim diligere te, ut, etiamsi nec in ista nec in altera vita boni quidpiam mihi praestare velles, tamen ex toto corde diligerem te, Rns in seipso amabilissimum. Et propter te proximos

meos universos amo sicut meipsum. Amicos et inimicos (nemine excepto) sincere diligo eisque bene cupio.

In hujus amoris mei contestationem offero tibi hodie sanctissimum missae sacrificium, etiam atque etiam obsecrans, ut tam me, quam illos, quorum mihi curam mandasti, amore tui et proximorum accendas. Omnem iram, omnem invidiam et indignationem ex animis nostris radicitus evelle. *Deus, qui Ecclesiam tuam in dilectione tuae Divinitatis et proximi cuncta servare coelestia mandata docuisti: da nobis Spiritum pacis et gratiae, ut universa familia tua et toto corde sit devota, et pura sibi voluntate concordet* [1]. Miserere, Deus, heterodoxorum omnium, qui versantur in horrendis errorum tenebris. Illumina miserorum oculos, ut infelicitatem ac caecitatem suam agnoscant, et te Deum suum et proximos suos diligere incipiant. Optime Maxime! incredulos ad Ecclesiae sinum convoca; peccatores ad frugem, et universos homines in viam salutis aeternae reducito: ut tandem omnes velut uno corde diligamus te et proximum nostrum. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Dilectissime Jesu! Salvator mundi! te complector ulnis animae meae. — Te Deum amabilissimum in medio cordis mei praesentem habeo. — Quare non morior? quidni stupore defixus haeream ad tantum amoris tui prodigium, Domine? Adeo nihil tale promerui, ut etiam magna mihi debeatur poena. Tu vero, Jesu melliflue, non modo pepercisti mihi, sed ad tuam quoque mensam me rursus admisisti teque totum mihi donasti.

[1] Sacramentar. Leonian.

Quid amplius, quid majus aut melius mihi dare poteras? O bone Jesu! maximas tibi habeo grates pro investigabili hac caritate tua, qua sacrosanctum corpus et sanguinem tuum mihi dedisti in cibum et potum. Quid tibi retribuam pro stupendo hoc beneficio? Praebeo tibi cor meum. Accipe munusculum istud; et cum aliud nihil habeam, benigne respice paupertatem bonamque voluntatem meam.

Tibi soli placere cupio, Jesu amabilissime! Ex toto corde meo diligo te, qui prior dilexisti me et ab aeterno cogitasti de me, ut ingentia mihi beneficia tribueres. In amore tuo perseverabo constanter, dummodo me tua non destituas gratia. Nunquam in creaturis aut saeculi vanitatibus, sed in te rerum omnium Opifice delectabor unice. Laetentur insipientes in rebus pessimis; ego autem in te Domino meo gaudebo et exultabo in te Deo Jesu meo, qui es summum Bonum, fons et origo omnium bonorum. Jesu carissime! Sapientia aeterna! Creator et Redemtor hominum! te diligo ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex tota virtute mea. Saltem ita diligere te cupio sincerissime.

„Si dignus essem, te Deum meum amare, sicut cor meum te amare desiderat, vellem te amare unico actu tanta vehementia, qua omnes Angeli et sancti te ab initio creationis suae amarunt, adhuc amant, et in aeternum amabunt: et hunc amoris actum singulis momentis centies millies elicere optarem. Si te Deum meum amare dignus essem, sicut anima mea te amare desiderat, cuperem te plus amare, quam omnes creaturae possibiles te per gratiam tuam simul amarent: imo certe amare te vellem tanto amore, quo nulla creatura te intensius amare posset.“ *Lud. Blosi.*

Jesu Fili Dei, Verbum Patris, Creator omnipotens

qui coelum et terram ex nihilo condidisti, et omnia, quae coelo terraque continentur, mihi servire solatioque esse voluisti: effice, quaeso, ne donis tuis abutar, sed ut omnia creata me rapiant in admirationem et amorem infinitae bonitatis tuae. Da, ut non tantum illud dilectionis divinae mandatum, sed etiam alterum caritatis fraternae diligenter observem. Da, precor, ut, sicut tu dilexisti me *dulciter*, *sapienter*, *fortiter:* ita et ego diligam te dulciter *ex toto corde meo*, ne saeculi vel carnis abducar illecebris; prudenter *ex tota anima mea*, ne tot adversariorum fallaciis decipiar; fortiter *ex tota virtute mea*, ne laboribus, injuriis, aliisve miseriis et difficultatibus frangar, sed ut his omnibus acriter opponam me usque ad extremum vitae halitum. Amen.

FERIA II.

Constantia manifestatur: 1) in propositis servandis; 2) in tentationibus vincendis; 3) in adversitatibus perferendis. — Qualis et quanta erat in sanctis — qualis et quanta in te?

PRECES ANTE MISSAM.

Litantes hodie tibi hostiam laudis, Pater adorandae majestatis, obsecramus immensam bonitatem tuam, ut hanc oblationem nostram benigne suscipias, quam tibi deferimus in gratiarum actionem pro beneficiis tuis humano generi hucusque praestitis; maxime vero pro mirabili dispositione paternae providentiae tuae, qua nos in filios tuos adoptasti atque in vineam tuam, in Ecclesiam convocasti, ut tibi soli serviamus, mandatis

tuis satisfaciamus, atque prae omnibus aliis negotiis aeternae saluti nostrae prospiciamus. Adhaec ingentem nobis mercedem promisisti, ut Pater vere bonus, ut Dominus vere magnus et misericors.

Haud equidem auscultavimus voci tuae ingrati nos ac immorigeri filii tui. Contemsimus et minas et promissiones tuas. Ante oculos tuos, o bone Pater, iterum iterumque peccavimus et malum coram te fecimus. Attamen non desperamus nec animos abiicimus, sed omnem fiduciam ponimus in te, Pater amantissime! nam unigenitus Filius tuus palam attestatus est, quod publicani poenitentes et meretrices praecedent incredulos in regnum Dei. Nobis itaque propitius esto, Pater misericordiarum, ac clementer respice hoc missae sacrificium et benigne illud suscipe in satisfactionem criminum nostrorum.

Per vim et efficaciam ejusdem oblationis concede nobis peccatoribus poenitentiae gratiam, ut assidue nostram deploremus contumaciam. Largire nobis augmentum fidei, praesertim in hac omnium rerum perturbatione, ut sacra fidei nostrae mysteria firmissime credamus, *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi;* ne similes efficiamur infidelibus ac obstinatis Judaeis, quos frequentes publicani et meretrices praecedunt in regnum gratiae et gloriae tuae. Fac insuper, Omnipotens, ut opera bona comitentur fidem nostram.

Optime Pater! adsiste principibus, optimatibus et magistratibus catholicis, eisque impavidos adde animos, ut Ecclesiam tuam ubique protegant, eamque longius dilatare ac propagare contendant. Miserere tot heterodoxorum, qui hodiedum in densissimis errorum tenebris versantur. Aperi, quaeso, caecorum istorum oculos, ut

videant et effugiant horrendum illud barathrum, quo tam insipienter advolant. Misericorditer ad te trahe tot immortales animas, ad imaginem tuam creatas et pretioso Filii tui sanguine redemtas: ut tandem omnes nos, in unitate fidei consociati, mereamur in aula tua coelesti congregari ad te laudandum ac glorificandum per infinita saecula. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Recedens a mensa tua, Domine Jesu Christe, debitas tibi gratias ago pro dulci hoc cibo, quo me denuo nutrire dignatus es. Credo in te, o Veritas increata! credo cuncta fidei mysteria, quae nobis per Ecclesiam tuam credenda proponis. Praeprimis indubia fide credo, teipsum in altaris sacramento, proin nunc in corde meo realiter esse praesentem. Vere bonus es Dominus et liberalis in operarios tuos, quos in vinea tua desudare conspicis. Propria tua carne illos quotidie cibas et pretioso sanguine tuo illos potas. Immorigeros servos tuos non modo patienter exspectas ad poenitentiam, et poenitentibus tribuis veniam, sed etiam magnifico eosdem reficis convivio.

Amo te, bone Jesu, et intime doleo de tot culpis ac negligentiis, quibus te hactenus ad iracundiam provocavi. Detestor et abominor insipientiam meam, qua toties violavi legem tuam. Alter ille filius, in vineam a patre missus, dixerat quidem: *Eo, Domine;* sed non ivit. In ista parabola meipsum agnosco, veramque vitae meae historiam invenio. Jam millies dixi: *Eo, Domine;* attamen non abii libenter ad labores, quos injunxisti mihi; neque meam aliorumque salutem operatus sum. Centies promisi tibi, Domine, seriam morum meorum

emendationem, sed factum est nihil. In eodem semper luto haesi, nec ad meliorem frugem redii.

Nunc, Amor mi, firmior est voluntas mea et efficacius propositum meum, tibi sedulo deinceps serviendi. Ecce, poenitentia motus abeo nunc ad perficienda vocationis meae negotia. Stat fixum animo: coelesti jam recreatus alimonia *eo, Domine,* ut alacrius obeam munia mea, ut animosios occurram adversariorum conatibus, ut obsistam mundi blandimentis et unicum agam aeternitatis meae negotium. — Ne autem irrita rursum et inania sint ista promissa mea, suppliciter a te peto necessarium gratiae subsidium. Operare in me et velle et perficere. Quid possim, mihi soli relictus, proprio didici damno. Adjuva me itaque, bone Jesu! fac, ut egregie posthac operari pergam in vinea tua, quam vulpes et lupi devastare conantur. Da mihi justam animi firmitatem ac constantiam, ut stem promissis et fidem tibi probem meam. Ne permittas unquam me ab officio meo discedere, sed effice potius, ut tuis obediam monitis, ut omnia mandata tua diligenter exequar et duplicato laboris fervore factam dierum ac meritorum jacturam resarcire satagam. Id denique summis a te precibus exposco, ut tuam mihi benedictionem atque perseverantiae donum impertiri digneris. Amen.

FERIA III.

Tempus: 1) perdis faciendo mala — nihil — bona, quae non refers ad Deum; 2) reparabis poenitentiam agendo — strenue laborando — omnia ad Deum referendo.

PRECES ANTE MISSAM.

Sanctissimum missae sacrificium offerimus tibi hodie, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut coram coelo et terra publice profiteamur supremum tuum in omnes creaturas imperium. Laudamus infinitam bonitatem tuam, qua non solum multos Prophetas, sed post eos etiam misisti carissimum Filium tuum in hunc mundum, ut improbos vineae tuae colonos ad bonam frugem adduceret. Offerimus tibi, Pater, hoc sacrificium in memoriam illius admirandae caritatis et patientiae, qua dilectus Filius tuus propter nos peccatores non renuit a Judaeis apprehendi, vinculis ligari, opprobriis saturari, flagellis dilacerari, capite damnari, extra vineam ejici et in monte crudeliter occidi.

Haec omnia recolentes ad aram tuam, clementissime Pater, tibi gratias agimus pro beneficiis, quibus ornasti novam vineam tuam, Ecclesiam catholicam. Jure stupemus, si recogitamus eximia bona et dona, quibus prae Synagoga judaica nostram Ecclesiam abunde locupletasti. Habemus sacras literas et traditiones apostolicas; habemus evangelia et Unigeniti tui praecepta saluberrima; habemus denique sacramenta et necessaria gratiae tuae auxilia, pro quibus omnibus tibi devotissima debetur gratiarum actio. — Verumtamen nos aeque praestamus ingratos, ac olim Judaei, qui dilectum Filium tuum extra civitatem suam *ejecerunt et occiderunt.* Proin eandem meremur poenam, quam exsolverunt Judaei, quoniam et nos sanctam vineam tuam excolere negleximus. O bone Deus! o Pater misericordiarum! ignosce nobis socordiam nostram per vim et efficaciam istius hostiae propitiatoriae, quam tibi jamjam offerimus in plenam expiationem et satisfactionem omnium ini-

quitatum ac negligentiarum nostrarum, quibus te provocavimus ad iracundiam.

Petimus simul ab immensa bonitate tua gratiam efficacem ad labores nostros animose subeundos pro gloria tua et animarum salute. Clementer intuere, Pater, afflictam patriam nostram, in qua pestiferae sectarum morumque contagiones in dies latius serpunt. *Deus virtutum* (Psal. 79.) *convertere: respice de coelo et vide et visita vineam istam, et perfice eam, quam plantavit dextera tua.* Per infinita Unigeniti tui merita concede nobis auxilium tuum, ut, quam nobis donasti, fidem veram moribus ac vita teneamus. Miserere fidelium Catholicorum, de sua religione ac aeterna salute periclitantium. Adsiste nobis servis tuis, omnibus sacerdotibus, ut, quidquid hucusque deliquimus aut negleximus, duplicato posthac fervore compensemus, aeternamque mercedem obtineamus in coelo. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

In corde meo nunc est carissimus Dei Filius. — In me Unigenitus Altissimi, haeres universorum, Jesus Christus, quem olim Judaei occiderunt suspendentes in ligno. — O Jesu dulcissime! teipsum in ulnis animae meae revera nunc habeo. — Ubi sum? — Quid dicam? quid faciam? — Prostratus ad pedes tuos, Domine, profundissima humilitate veneror et adoro te, dilectissimum aeterni Patris Filium. Laudo et glorifico te, amabilem mundi Salvatorem, quem illi impii vineae coloni, crudeles agricolae, ingrati Judaei, extra civitatem suam ejecerunt atque nefandum in modum interfecerunt. Omnino dignus es, Domine, accipere honorem et gloriam

quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo.

„Gratias ago tibi, benignissime Jesu, Fili Dei vivi, pro obedientia tua promtissima, quam pro me et pro omnibus aliis peccatoribus Deo Patri praestitisti, dum innocens nostrorum criminum debita in te suscepisti solvenda, ac mortis supplicium nostrae salutis causa pertulisti, ut nos tua morte vivificares et a morte perpetua liberares. Gratias ago tibi, Domine Jesu, qui mihi, famulo tuo omnium indignissimo, sacrosanctum corpus et sanguinem tuum, quae jam olim mihi redimendo impendisti, nunc iterum in cibum et potum largiri dignatus es, ut in te conservari valeam et habeam vitam aeternam.“ *Michaël Mersburg.*

Semper eximia me benevolentia complexus es, bone Jesu, Fili Dei, haeres universorum! necessariis enim gratiae subsidiis abundanter instruxisti animam meam, vineam tuam, quam effusi sanguinis tui pretio emisti tibi. Quid poteras aut debebas ultra facere huic vineae tuae, animae meae, quod non fecisti? Exspectasti quidem, ut faceret uvas, sed (proh dolor!) fecit labruscas. Ah! ignosce, Domine, quod tam parum hucusque laboraverim in excolenda hac vinea tua. Poenitet me turpis inertiae meae, qua rebus meis propemodum indormivi. Propono, deinceps accuratius exequi munia vocationis meae, quo uberiores tibi reddam fructus bonorum operum. Da mihi (precor) opem tuam ad perficienda haec proposita mea; nec ita deseras hanc vineam tuam, ut in ea vepres et spinae vitiorum nascantur.

Respice simul lugentem Ecclesiam, desolatam vineam tuam. Respice templa et altaria, tuo nomini dedicata, sed impiorum abominationibus profanata. Ecce, Fili Dei, haeres universorum! venerunt gentes in haereditatem

tuam, polluerunt templum sanctum tuum. Facti sumus opprobrium vicinis nostris. *Usquequo peccatores gloriabuntur?* Populum tuum, Domine, humiliaverunt et haereditatem tuam vexaverunt. Usquequo irasceris super nos servos tuos? *Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt, et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos, Deus, salutaris noster!* Memento haereditatis tuae, quam possedisti ab initio. Fili Dei carissime! memento vineae tuae, Ecclesiae tuae sanctae, quam ipso pretioso corpore et sanguine tuo nutris. Hanc vineam tuam, quam exterminare vult *aper de sylva*, clementer visita fortiterque protege. Nos etiam agricolas ac colonos tuos adversus hostium rabiem sic corrobora, ut, finitis aliquando laboribus ac aerumnis, *haeredes simus* (Tit. 3.) *secundum spem vitae aeternae.* Amen.

FERIA IV.

Peccando mortaliter perdis: 1) gratiam et amicitiam Dei; 2) pulchritudinem et libertatem animae; 3) merita jam acquisita et facultatem merendi; 4) jus ad haereditatem tibi promissam.

PRECES ANTE MISSAM.

Mirabilis Deus in omnibus operibus ac consiliis tuis! Pater immensae majestatis! offerimus tibi hodie sacrificium *latreuticum*, ut denuo coram tota rerum uni-

versitate profiteamur ac veneremur infinitam tuam in omnia creata potestatem et demississimam nostram subjectionem in supremum dominium tuum. *Tua est, Domine, magnificentia et potestas et gloria atque victoria, et tibi laus. Cuncta enim, quae in coelo sunt et in terra, tua sunt. Tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes; tuae divitiae et tua est gloria. Tu dominaris omnium; in manu tua virtus et potentia; in manu tua magnitudo, et imperium omnium. Nunc igitur, Deus noster, confitemur tibi et laudamus nomen tuum inclytum.* (1 Par. 29.)

Quatenus istud sacrificium est *eucharisticum*, id tibi reverenter offerimus, optime Pater, in gratiarum actionem omnium beneficiorum in nos collatorum, maxime pro singulari tua clementia, qua gratiae regnum, a Judaeis ingratis ablatum, dedisti gentibus reddituris fructus ejus; atque Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, fecisti in caput anguli. Vere dignum et justum est, ut tibi grates habeamus. Quamvis enim peccando ceciderimus super Lapidem istum, haud tamen eundem ita super nos cadere permisisti, ut nos contereret, sed exspectasti nos ad poenitentiam et sanasti contritiones nostras, funestis factas lapsibus.

Quatenus autem altaris sacrificium est *propitiatorium*, id tibi, clementissime Pater, offerimus in plenam satisfactionem omnium delictorum nostrorum. Dimitte nobis debita nostra, nec illas nobis poenas inflige gravissimas, quibus olim merito affecisti Judaeos ingratos. Et quamvis similiter improbitas nostra promereatur, ut auferatur a nobis regnum tuum et detur alteri genti facienti fructus ejus: immensa tamen misericordia tua nobis indulgeat diutiusque nos sustineat.

Quatenus denique hoc sacrificium est *impetratorium*, id tibi nunc offerimus pro obtinenda gratia tua, qua suffulti semper adhaereamus unigenito Filio tuo, Jesu Christo, et super angularem hunc Lapidem bene fundati persistamus immobiles in fide, spe ac caritate; ne forte cadentes super ipsum confringamur, aut ab ipso desuper cadente conteramur. Clementer respice tot incredulos ac obcaecatos homines, qui Judaeorum more Jesum Christum, utriusque testamenti Lapidem angularem, reprobant, totumque religionis aedificium subvertere nituntur. Multiplica populum tuum et dilata regnum tuum per orbem terrarum, quo plures animae per infinita Christi tui merita perveniant ad regnum coelorum. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Tribuo tibi, Domine Jesu Christe, religiosissimum adorationis cultum, eumque honorem exhibere cupio, quem tibi debeo, vero Dei Filio, Verbo incarnato, Deo magno, praesenti nunc in corde meo pusillo. Pronus adoro te, caput totius Ecclesiae, tibique ex animo gratulor, o Rex regum, de regno tuo magnifico, quod est regnum omnium saeculorum, quod non tantum in amplissimis coelorum atriis splendet, verum et in universo terrarum orbe dilatatum inclarescit. Tu es Lapis ille pretiosus, ab hominibus quidem reprobatus, sed a Deo Patre honorificatus; cujus et Psalmista cum exultatione meminit (*Psal. 117.*) dicens: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.* Tu es ille Panis vivus de coelo descendens, qui, reprobatus a Judaeis, factus es cibo

fidelium tuorum. Grates tibi, bone Jesu, qui hodie me denuo refecisti sacro corpore et sanguine tuo. Utinam animo potius quam ore, factis amplius quam verbis, gratum me tibi praestare valeam pro tali beneficio, quo me toties obstringis!!

Domine Jesu, qui ceu lapis ponderosissimus jam pridem cecidisti super obstinatos Judaeos, et in die judicii cades super reprobos, eosque tunc conteres ingenti pondere tuae divinitatis, majestatis, justitiae, potentiae, ac aeternitatis: te vehementer obsecro, ne cadas super me nec conteras me, sed ut delictorum mihi veniam indulgeas. Intime doleo, quod toties et tam gravi lapsu ceciderim super te, ut admodum inde fuerim conquassatus. Serio jam mecum constitui, semper observare legem tuam, nec unquam animo deliberato transgredi mandata tua. Sana contritiones meas, o bone Jesu! Medere vulneribus meis, quae miser accepi cadendo super te. Largire mihi donum lacrymarum, ut deplorem insipientiam ac caecitatem meam. Da mihi, quaeso, fidei constantiam ac caritatis augmentum, ut tibi semper adhaeream, nec amplius a te separari valeam.

In sinu Ecclesiae tuae vivere ac mori volo, Jesu benignissime! nam ista religio sacra, quam tu fundasti et Apostolorum ministerio per universum mundum mirabiliter propagasti; divina haec religio mihi est unica consolatio cordis, lux mentis, fortitudo animae, laetitia vitae et arrha futurae gloriae. O Jesu! Lapis ab hominibus ingratis reprobate, et in caput anguli facte! da mihi necessarium gratiae auxilium, ut omnes injurias aequo animo patiar, nec conquerar, si forte reprober ab hominibus, si despiciar ab invidis, si premar a malevolis. Fac me tibi semper obsecundare et gratias

agere, si me ut lapidem vivum multis tunsionibus atque pressuris ad coelestem civitatem praeparare volueris. Qui vivis.

FERIA V.

Ad gratitudinem erga Deum te moveat: 1) Benefactoris dignitas et benignitas; 2) beneficiorum multitudo et magnitudo; 3) tui ipsius utilitas (quo gratior es, eo majora accipies beneficia).

PRECES ANTE MISSAM.

„Vilissimus ego terrae vermiculus et inutilis peccator adoro te, Domine Deus, totoque cordis affectu tibi gratias ago, Pater coelestis, qui per unigenitum Filium tuum, cooperante Spiritu sancto, cum periissemus, misericorditer requisivisti nos. Gratias ago pro inenarrabili tua erga nos dilectione, qua ipsum Unigenitum tuum in hanc vallem miseriarum nostrarum misisti, ut peccatores salvos faceret, ipsumque constituisti animarum Redemtorem et magistrum veracem: ut omnis, qui credit in illum eique per caritatem placere studet, habeat vitam aeternam. Dulcissime Pater! ego servorum tuorum ultimus ex toto corde gratias ago pro sancta ejusdem incarnatione et nativitate, pro ejus passione et morte, pro ejus resurrectione et ascensione, pro universis ejus doctrinis atque mirandis operibus. Gratias ago pro mysterio vivifici corporis et sanguinis illius, quo in Ecclesia tua pascimur, sanctificamur et summae Divinitatis participes efficimur. Ago tibi gratias, Pater sancte, pro miserationibus inexhaustae bonitatis tuae, quibus dignatus es nobis indignis subvenire per eundem Re-

demtorem nostrum, faciens nos tibi gentem sanctam, populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Gratias ago, quod me, nullius momenti pulvisculum, per lavacrum sacri baptismatis ab originali culpa mundaveris ac rectam mihi fidem donaveris. Tibi gratias ago, quod ab ipso vitae meae exordio me semper enutriveris, ac per universa fere scelera divagantem patienter toleraveris, exspectans, donec per gratiam tuam resipiscerem. Gratias ago, quod ex innumeris tentationibus, insidiis, angustiis atque periculis me hactenus liberaveris, ac inter prospera et adversa mirabiliter me conservaveris. Suavissime Pater! pro omnibus, quae mihi largitus es a primis infantiae meae cunabulis, et pro universis bonis, quae quibusvis aliis hominibus unquam dedisti et daturus es, ego ex intimis praecordiis, sicut possum, tibi gratias ago." *Lud. Blosi.*

In gratiarum actionem offero tibi hodie, Pater optime, sanctum missae sacrificium, impense rogans, ut illud de manu mea clementer acceptare digneris. Per infinita hujus oblationis merita rogo te, misericors Deus, ut et mihi et ceteris Christi discipulis benigne condones omnia peccata, quibus unquam offendimus immensam bonitatem tuam. Adesto nobis gratiae tuae praesidio ad rejiciendos arrogantium novatorum errores. Effice nos discipulos humiles illius Magistri veracissimi, quem misisti in hunc mundum. Redde nos prudentes ac fortes in fide, ne doctrinis variis et peregrinis abducamur a religione vera, sed ut permaneamus in doctrina Jesu Christi, tamquam optima morum regula. Miserere, Pater, omnium incredulorum, praesertim illorum, qui, propriam quaerentes gloriam, *superba vanitatis* loquuntur a semetipsis. Evoca hos miseros e tenebris errorum ad lumen veritatis aeternae. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Ergone credibile, quod habitet Homo-Deus in hoc impuro corde meo? — Ergone possibile, ut Dominus immensae majestatis degat in habitaculo tam angusto? — Ita sane, hoc credo, Magister divine, Jesu bone, Doctor veracissime! non dubito, quin adhucdum in pectore meo verseris. Profunda nunc animi submissione adoro te, Salvator amabilis, tibique debitas habeo grates pro ingenti beneficio, quod hodie rursum mihi tribuisti, dum animam meam divino cibasti epulo. Maximas simul ago tibi grates pro vera fide, ad quam me prae millenis hominibus vocasti; grates pro sancta religione, in qua natus, baptizatus atque liberaliter educatus sum.

Ecce, Domine Jesu! pactionem illam, in baptismo tecum factam, nunc instauro, et vota christiana, quae in sacro fonte praestiti, grate renovo. Palam ore verbisque conceptis profiteor, me fidem indubiam adhibere doctrinis omnibus, quas tradidisti nobis, Magister divine, Doctor veracissime! quasque tua sponsa, Ecclesia catholica praecipit, ut credam. Isthac ergo pronuntiatione mea disertissime testor, quod credam captu difficillimum fidei mysterium, nempe realem tuam in eucharistia praesentiam, et ceteros fidei articulos, quos nobis Apostoli tui eorumque legitimi successores tradiderunt et ex mandato tuo per universum terrarum orbem docuerunt. Sponte subjicio tibi, Domine, tenuem intellectum meum, eumque fidei ministerio mancipatum trado. Et si forte quocunque modo seductus aliquid adversus catholicam hanc professionem cogitavero vel dixero, id jam modo revocatum et irritum esse volo; absit enim a me, ut haereticorum erroribus subscribam.

Jesu dulcissime! fac, ut animarum curatores singulas fidei praeceptiones tuorumque verborum reliquias, quas Apostoli tui et Evangelistae collegerunt et in scriptis suis reliquerunt, populo luculenter exponant, et quae verbis docent, etiam moribus ac bonae conversationis exemplo in seipsis exprimant. O Jesu, Doctor verax! da nobis sacerdotibus talem animorum demissionem atque modestiam, ut in nulla re propriam quaeramus gloriam, sed in omnibus muniis nostris unice gloriam tuam et animarum salutem prae oculis habeamus. Fac denique, Magister veracissime, ut doctrina tua in mentibus omnium inhaereat, tandemque nos ad coelum perducat. Amen.

FERIA VI.

Meditatio quotidiana plurimum confert: 1) propriae sanctificationi; 2) frugiferae praedicationi; 3) sanctae sacramentorum administrationi; 4) diligentiori et securiori animarum directioni.

PRECES ANTE MISSAM.

Adoro te, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui propter nos peccatores unigenitum Filium tuum in hunc mundum misisti, ut nos ad omnem vitae sanctimoniam informaret atque ab interitu vindicaret. Judaei quidem ejus vitae frequenter insidiabantur; attamen nemo *poterat* in illum mittere manus, antequam venerat hora ejus. — Pater amantissime! venit hora felix, ut ego servus tuus indignus extendam manus meas ad te et ad dilectum Filium tuum. Venit hora, ut teneam Christum tuum, non

sicut obstinati Judaei, qui quaerebant eum interficere, sed ut eum in sacrificio novi testamenti offeram ac corde meo suscipiam. Metu quidem me territat indignitas mea; omnem tamen fiduciam habeo in paterna bonitate tua. — „O Pater coelestis! respice in faciem Christi, Fili tui, et per innocentissimam passionem et mortem ipsius non me projicias a facie tua. Nec enim in meis meritis confido, sciens, quod una guttula pretiosissimi sanguinis Domini mei Jesu Christi longe dignior est, quam omnia merita humana. Per ipsum spero me veniam consecuturum.“ *Blosi.*

Confidenter itaque festino ad altare tuum, clementissime Pater, ut offeram tibi Jesum meum, novi testamenti Mediatorem, in memoriam passionis ac mortis ejus, nec non in gratiarum actionem pro cunctis beneficiis tuis, et praesertim pro mira providentiae tuae dispositione, qua fidei lumen a Judaeis in gentes translatum, novique testamenti sacrificium in locum legalium sacrificiorum substitutum est. Suscipe, sancte Pater, hanc victimam pacificam in satisfactionem iniquitatum nostrarum. Per effusum Christi tui sanguinem obsecramus te, Pater misericors, ut omnia nobis delicta clementer remittas, neque talem de peccatis nostris vindictam sumas, qualem aliquando sumsisti de peccatis Judaeorum. Parce populo tuo, quem Christus in cruce redemit sanguine suo.

Et quia in altaris sacrificio Christum, abundantem gratiarum fontem, pro manibus habemus, offerimus tibi, bone Pater, eundem Filium tuum carissimum, ut impetremus per ipsius merita, quod nostris impetrare non possumus. Da christianis magistratibus animorum concordiam, subditorum curam et in protegenda religione catholica constantiam. Largire peccatoribus gratiam

emendationis, proficientibus in virtute progressum, et justis in bono perseverantiam. Exaudi, Pater, illorum obsecrationes, quorum mihi salus curae ac cordi est. Dirige singulos in viam salutis aeternae. Clementer respice omnes aegrotos, inopes, moestos, afflictos, in angustiis vel periculis constitutos. Commendo tibi pariter omnes inimicos meos. Miserere quoque Judaeorum ubique dispersorum; aperi oculos eorum, ut errorem suum videant et in Christum verum Messiam credant. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Gentium Dominator, Jesu potentissime, qui rursum intrasti sordidam hanc cordis mei domunculam: adoratione religiosa veneror incomprehensam Majestatem tuam, tibique debitas ago gratias pro mirifica bonitate tua, qua olim a Patre missus in mundum venisti, et hodie praecordia mea subiisti; oblatus in novae legis sacrificio, quod legalibus subrogasti sacrificiis. Grates tibi, Domine Jesu, pro omnibus donis tuis, quibus me liberaliter exornare dignatus es. Diligo te, Jesu suavissime, qui propter nos homines de coelo in terram descendisti, et post innumeros labores tandem in cruce vitam cum sanguine profudisti. Utinam et ego semper ardentissimo cordis affectu dilexissem te! Ignosce mihi omnes culpas et negligentias meas. Constitui jam mecum, majore deinceps sollicitudine servire tibi. Fac, amabilissime Redemtor, ut ardentius in dies amem te, qui mortuus es pro me, et tam pretioso convivio nunc in mensa tua refecisti me.

Domine Jesu, qui docens olim in templo clamasti:

A meipso non veni, sed est verus, qui misit me; clama denuo, maxime hisce temporibus, quibus multorum jamjam fides incipit deficere. Clama per os servorum tuorum, virorum apostolicorum. Exalta vocem tuam in omnibus populis et nationibus. Dissipa consilia malignantium, qui, propria non contenti hallucinatione, plures etiam alios secum in errorem ac interitum abstrahere conantur. Illumina tot epicureos, qui, pravis affectionibus suis excaecati, properant ad perditionem aeternam. Aufer de medio nostri homines impios, magniloquos superbiae, quibus caligo tenebrarum reservatur. Effice, mi Amor omnipotens, ut omnes terrarum nationes ad unam redeant Ecclesiam, omnesque serviant tibi humero uno.

Clama frequenter in auribus animae meae, o Jesu benignissime! Excita me a gravi sopore tepiditatis meae. Revoca me miserum a vitiis in semitam virtutis. Loquere mihi saepius, et ita quidem, ut audiam et exequar admonitiones tuas. Sonet vox tua in auribus meis. Clama, ne cesses, quoadusque voci tuae diligenter obtemperem tuaeque voluntati morem geram. Terribilia sunt illa verba, quae dixeras ad Judaeos immorigeros: *Ubi ego sum, vos non potestis venire.* Aeque terribilia sunt, quae reprobis in die judicii dicturus es: *Discedite a me, maledicti!* — Quam horrenda poena, nunquam in coelo tecum esse!! Quam beati, qui tecum erunt in aula tua coelesti semperque tecum ineffabili modo conjuncti permanebunt! — Bone Jesu! concede mihi locum inter electos et sortem inter sanctos tuos. Mane mecum; nec abeas a me, sicut a Judaeis abiisti. Suppliciter oro te cum Psalmista: *Ne derelinquas me, Domine Deus meus! ne discesseris a me.* Tam arcto caritatis vinculo tecum me constringe, ut tibi semper

adhaeream illucque venire merear, ubi tu etvivis regnas per infinita saecula. Amen.

SABBATO.

Conversationes mundanae efficiunt, ut amittamus: 1) tempus; 2) sanctitatem et spiritum clericalem (crescunt tentationes, minuuntur et perduntur gratiae); 3) quietem conscientiae; 4) aestimationem subditorum.

PRECES ANTE MISSAM.

Origo et Fons bonorum omnium! dulcis et suavis Domine Jesu Christe! te cupio, te sitio, te summum Bonum vehementer anhelo. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Domine, qui es *fons sapientiae* (Eccli. 1.), *Verbum Dei,* per quod omnia facta sunt. Nullus dubito, quin cor meum infiniti Boni capax sit; nam animum meum tam ingens stimulat desiderium, ut nulla re creata possit expleri. Viator ego fatigatus in hoc exilio sitim patior ineffabilem, quam aquae turbidae deserti hujus aridi restinguere nequeunt. Blandae saeculi vanitates adeo sitim meam non relevant, ut etiam magis accendant. In extrema hac miseria nescio, quo confugiam, nisi ad te Salvatorem meum.

„Dic mihi, Domine Jesu, precor te: Nonne illa vox tua est, quae ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos?* Numquid tu ille es, qui clamabas in templo: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat?* Utrumque dixisti, Domine! ego autem utroque indigeo. Ne igitur exhortationi tuae contrariss

videaris, refice me laborantem et oneratum. Pasce me de te; tuo me cruore inebria. Nolo, ut de coelo manna descendere facias, ut illo me pascas, sicut patres in deserto plurimis annis enutrivisti; sed ipsa carne tua. Neque peto, ut aqua sapientiae sola me potes, aut spiritualem illam mihi praebeas aquam, quam mulieri Samaritanae pollicitus es, dicens: *Qui biberit ex aqua* (Joan. 4.) *quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.* Aquam hanc in praesenti postpono. Calicem exposco, Domine, quem in sacra mensa positum conspicio. Hunc sitio, hunc peto, hunc habere desidero. Illum utique ideo replevisti, ut juxta Prophetae sententiam (*Deut. 32.*) in te credentes *sanguinem uvae biberent meracissimum.* Noli igitur poscenti negare calicem, quem, ut tribueres, propterea consecrasti." *S. Laur. Just.*

„Domine Jesu Christe! admitte me ad te fontem vivum, ut inde bibam, unde semper vivam. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* O Fons vitae! da sitienti animae meae bibere ex te. Reple mentem meam torrente voluptatis tuae et inebria cor meum amore tui, ut obliviscar omnia, quae vana sunt et terrena; nec aliud, nisi te solum, jugiter habeam in memoria mea. Da mihi Spiritum sanctum tuum, quem significabant illae aquae (*Joan. 7.*) quas sitientibus daturum te promiseras." *S. Ansel. Cant.*

Quo dignius autem hodie sacrosancta corporis et sanguinis tui mysteria suscipiam et divinae affluentiam largitatis tuae copiosius hauriam: confirma fidem meam; erige spem et fiduciam meam; accende caritatem sitimque meam; auge reverentiam et devotionem meam. O mi Jesu! o Fons vitae aeternae! me meosque proxim-

omnes trahe ad te. Per infinita passionis ac mortis tuae merita, per sanguinem tuum in cruce profusum obsecro te, benignissime Redemtor, ut omnibus saeculi hujus amatoribus summam rerum mundanarum nauseam creare tuique solius desiderio nos omnes afficere digneris. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Miserere mei, Domine Jesu Christe, mihique clementer ignosce, quod iterum absque condigna praeparatione coelestem mensam tuam adire sim ausus. *Deus, Deus meus! sitivit in te anima mea in terra deserta et invia et inaquosa.* Desiderio desideravi manducare te panem vitae, et bibere te fontem vivum, fontem salutis perpetuae. Vehementer esuriebam cibum hunc, quo confirmatur cor meum; sitiebam potum illum, quo recreatur anima mea. In hoc deserto peregrinationis meae gemens et prae intolerabili mentis ariditate sitiens festinavi ad te, plenum omnium bonorum fontem. Avide properavi ad sanctuarium tuum, et *sic in sancto apparui tibi*, ut ardentem animae meae sitim pretioso potu sanguinis tui restinguerem. Magnam itaque temeritatem meam aequi bonique consule, bone Jesu, qui aliquando dixisti: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Hac invitatione tua stimulatus accessi divinam mensam tuam.

Laetare jam, anima mea! en habes Jesum tuum desideratissimum; habes Amorem tuum unice delectabilem et amabilem. — O mi Jesu carissime! o summum Bonum! o Fons bonorum omnium! satiasti nunc omnia cordis mei desideria, dum teipsum mihi dedisti, Deus meus et Omnia! Nullam modo famem patior, sitim

nullam. Recreatus tua dulci praesentia respuo cuncta saeculi crepundia. Despicio honores, repudio voluptates, conculco divitias. Tu operaris in me, ut omnia mihi sordeant humana. Quomodo tibi, Domine, pro tali beneficio me satis gratum exhibere potero? Nihil aliud possum, quam diligere. Proinde semper amabo te, Jesu suavissime, tibique constanter adhaerebo fide viva, spe firma, caritate perpetua.

„O quam dulcis est fons aquae vivae, cujus non deficit aqua saliens in vitam aeternam! O Domine Jesu! tu es iste fons, semper bibendus et semper desiderandus; semper sitiendus, licet semper hauriendus. Semper da nobis, Domine, hanc aquam, ut sit in nobis fons aquae vivae et salientis in vitam aeternam. Magna quidem exposco, quis nesciat? Sed tu, Rex gloriae, magna donare consuevisti et magna promisisti. Nihil te majus est: et tamen teipsum nobis donasti, te pro nobis totum dedisti. Nihil aliud ultra praeter te nobis dari postulamus. Tu enim es omnia nostra: lux nostra, resurrectio nostra, vita nostra, salus nostra, cibus noster, potus noster, Dominus et Deus noster. Caritate tua, Jesu Christe, animas nostras sic vulnera, ut uniuscujusque anima in veritate dicere possit: *Christi amore langueo.* Beata talis anima, quae sic caritate tua vulneratur! talis enim fontem quaerit, talis bibit; semper tamen sitit bibendo, et semper haurit desiderando, quem semper bibit sitiendo.“ *S. Columban.*

Domine Jesu, qui stans in templo clamabas: *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat;* abstrahe nos a saeculi vanitatibus, quae, velut aquae faeculentae ac venenatae, hominum animas non satiant, sed inficiunt, enervant, enecant. Effice, precor, ut te bonorum omnium fontem assidue sitiamus atque frequenter accedamus. Diri-

gressus nostros in hac terra deserta et arida, in isto miserrimo itinere nostro; ut tandem, finita peregrinatione nostra, perveniamus in illam coelestem patriam, ubi electi tui non esurient neque sitient amplius. Vere beati aeternumque felices erunt illi coelites: inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos. Qui vivis.

DOMINICA XXV. POST PENTECOSTEN.

Quoad inimicitias: 1) cave, ne ipse habeas; 2) impedi, quominus nascantur; 3) tolle, si natae sunt (reconcilia, quantum potes).

PRECES ANTE MISSAM.

Hostiam pacificam offerimus tibi hodie, Pater omnipotens, aeterne Deus, ad honorem adorandi nominis tui, nec non in agnitionem supremi tui dominatus in universas creaturas. Submisso atque filiali corde collaudamus te, Pater de coelis Deus! et licet digni non simus, qui nominemur filii tui, quia te non semper honoravimus ut Patrem nostrum; maxima tamen cum fiducia confugimus ad thronum misericordiae tuae, projicientes nos in brachia paternae caritatis tuae, unde nova quotidie beneficia in nos proficiscuntur.

Gratias agimus tibi, bone Pater, pro donis tam multiplicibus, quibus nos ingratos et malos filios tuos indesinenter cumulas. In gratiarum actionem offerimus tibi sanctissimum missae sacrificium, enixe supplicantes, ut illud clementer acceptare digneris. Haud equidem me-

remur exaudiri, quoniam inter nos dissensio est animorum, et (proh dolor!) refrigescit caritas multorum. En amantissime Pater! rubore pleni profitemur inexcusabilem malitiam nostram, qua te atque proximos nostros identidem offendimus. Indulge nobis per merita hujus incruenti sacrificii, quod oblaturi sumus in plenam abolitionem earum noxarum, quibus fraterni legem amoris violavimus.

Pater, qui talem nobis dedisti caritatem, ut filii tui nominemur et simus: extingue penitus inter nos veteres simultates ac inimicitias, et accende corda nostra sancto caritatis igne, ut secundum jussionem unigeniti Filii tui non tantum amicos, sed etiam hostes infensissimos sincere diligamus. O Pater misericordiarum, qui benignus es super ingratos et malos, qui solem tuum oriri facis super bonos et malos, et pluis super justos et injustos: largire nobis hanc gratiam, ut inimicorum injurias aequis sufferamus animis et abjiciamus omne consilium ultionis. Rogamus te, clementissime Pater, ut universo credentium coetui pacem, unitatem stabilemque concordiam donare digneris.

Et quia dilectus Filius tuus, magister amoris, jussit nos benedicere maledicentibus et orare pro calumniantibus nos: ideo submissis precibus oramus te, benigne Pater, ut propitius sis omnibus haereticis zoilisque heterodoxis, qui maledicunt nobis Romano-catholicis ac calumniantur Ecclesiam tuam. Largire hostibus nostris emendationis gratiam ac lucem tuam, ut errorem suum agnoscant, haeresim abjiciant, ad catholica sacra transeant, et tandem mercedis illius aeternae participes fiant, quam Unigenitus tuus promisit cultoribus suis. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Praesentem te in sinu cordis mei habeo et humiliter adoro, Domine Jesu Christe! — Summopere demiror immutabilem tuam erga me caritatem atque benevolentiam, qua me nimis indignum Ecclesiae ministrum multoties admittis ad pretiosum altaris tui convivium. Jam pridem ingratum me peccatorem a facie tua projicere potuisses in ignem aeternum: at infinita tua misericordia se interposuit avertitque periculum. Grates tibi habeo maximas, suavissime Jesu, pro bonitate tua, qua mihi pepercisti; pro summa caritate tua, qua me hucusque fovisti; pro stupenda liberalitate tua, qua mihi jam toties sanctissimum corpus et sanguinem tuum dedisti in cibum et potum. Ex toto corde meo diligo te, Domine Jesu, qui jam iterum amoris tui sacramento refecisti me. Tibi semper adhaerebo: tibi vivo, tibi morior, o Deus cordis mei, qui cunctorum amore hominum dignissimus es.

Ex amore tui, Domine Jesu, diligo etiam inimicos meos, qui me qualicunque injuria vexarunt ac contristarunt. Scio, dulcissime Jesu, quod in nobis nihil aeque placeat tibi, ac caritas fraterna et sincerus inimicorum amor. Ideo namque semel ac iterum dixisti: *Diligite inimicos vestros etc.* Quocirca te humiliter obsecro, bone Jesu, ut hostibus meis id omne concedas, unde feliciores tibique gratiores evadant. Maxime vero tibi supplico pro illis hominibus, a quibus iniqua mea voluntas aliquantum abhorret. Libenter ignosco proximis illis, qui mihi molestias aut injurias intulerunt. Doleo, mi Jesu, quod toties violaverim illud amoris mandatum, a te saepius iteratum; et nunc oro te, Domine, amator

hominum! accende cor meum igne caritatis fraternae, ut amicos diligam in te, et inimicos propter te.

„Jussisti, mitissime Jesu, ut pro illis oremus, qui nobis male cupiunt et male faciunt; idque sanxisti non verbis solum, sed etiam factis tuis ad imitationem nobis propositis. Oro te igitur, ut omnibus nobis tuae mansuetudinis infundas spiritum, quo inimicorum et malevolentiam et maledicentiam patienter feramus, sicut et te fecisse novimus et adhuc quotidie te facere animadvertimus; nec opere reddamus injurias, nec verbis ultionem usurpemus, nec animo vindictam meditemur: ut simus filii Altissimi et vere discipuli tui, Domine, qui pendens in cruce pro inimicis orasti Patrem tuum. Ne perdas impios propter odium nostri, sed potius serva eos ob preces nostras. Emendationem illorum, non perditionem cupimus. Fac, ut omnes nos, amore mutuo hic conjuncti, progrediamur in via, quae ducit ad civitatem coelestem, ubi perpetuo nobis invicem fruamur in caritate tua. Amen.“ *Lod. Viu. in prec. gen.*

FERIA II.

Scientia: 1) sacerdoti est necessaria ad munia sua rite obeunda — ad dirigendas animas — ad tuendam existimationem et defendendam Ecclesiam; 2) comparatur diligenti studio — prudenti ordine — ferventi oratione.

PRECES ANTE MISSAM.

Quanta possum animi demissione ac reverentia compareo nunc coram te, summe Deus, sanctissima Trinitas!

Altare tuum adibo, sacram oblaturus hostiam in honorem adorandae Majestatis tuae et in signum nostrae subjectionis. Suscipe, clementissime Deus, per manus indigni servuli tui venerabile hoc sacrificium in gratiarum actionem pro beneficiis, Ecclesiae tuae hactenus concessis; maxime pro donis eximiis, quibus me jam inde a pueris exornasti. Utinam me semper gratum memoremque servum tuum probassem tibi, Domine Deus meus! At tantum abest, ut tuis in me beneficiis responderim, ut saepius etiam in turpissimum ingrati animi vitium inciderim. Vae diebus ac horis illis, in quibus tibi servire et obtemperare neglexi!! —

Domine Deus, supreme Legislator, miserator et misericors! ignosce mihi ceterisque peccatoribus. Per viscera misericordiae tuae rogamus te, ut omnia nobis peccata dimittas, tam cognita quam occulta. In eorum satisfactionem offerimus hodie sacrificium propitiatorium, demisse precantes, ut et illud et nos oculis clementiae tuae respicias. Da cordibus nostris talem dolorem, ut diu noctuque lugeamus insipientiam et temeritatem nostram, qua legem tuam sanctissimam violavimus. Hujus virtute sacrificii largire nobis gratiam efficacem, Domine Deus, ut deinceps impigre serviamus tibi tuaeque legis jugum suave libenter amplectamur. Tribue nobis auxilium necessarium ad maturandos fructus bonos, ad proferendos dignos poenitentiae fructus, ut illas effugiamus flammas, quibus sine fine cremabuntur arbores malae. Da nobis invictam animorum fortitudinem ad rejicienda sycophantarum axiomata et exempla prava, ne caecos sequendo duces una cum eis corruamus in foveam aeternae perditionis.

„Misericors Deus, in cujus manu est omnis terrena potestas, et omnis magistratus a te constitutus ad sup-

plicium malorum et defensionem bonorum; Domine Deus, in cujus potenti dextera sita sunt omnia jura et leges imperiorum: te supplices oramus pro magistratu nostro tam ecclesiastico quam saeculari, nec non pro iis, qui sunt utrique dignitati a consiliis, et qui rempublicam administrant: ut gladium tam spiritualem quam saecularem, ipsis per te commissum, in fide vera et timore tuo recte gerant eoque pro tuo beneplacito utantur. Obumbret ipsos gratia tua divina. Da illis sapientiam et intellectum, *ne ipsi caecorum duces sint caeci.* Concede principibus pacatam gubernationem, ut subditos suos in fidei veritate et justitia regant ac conservent, quatenus eorum functionibus nomen tuum sanctificetur et laudetur in aevum" [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Beneficium, quod denuo mihi tribuisti, Domine Jesu, talis est excellentiae, ut debitas tibi pro eo grates referre non valeam. Ideoque multis tibi verbis grati animi sensa aperire, supervacaneum existimo. Illud potius hac hora, qua degis in pectore meo, agendum mihi arbitror, ut duplicatis precibus efflagitem opem tuam ad ea constanter exequenda, quae mei sunt officii. Vehementer itaque rogo te, dulcissime Jesu, ut animum meum abstrahas a rebus caducis, ne unquam a te separari possim, qui es Verbum Dei, Rex regum, supremus Dominus et Legislator noster. Aperi oculos mentis meae, ne caecus fiam in negotio salutis aeternae, neque caecorum insistam vestigiis philosophorum, quibuscum facillimum esset in foveam malitiae perditionisque ca-

[1] Jo. Fabr. in prec. christian.

dere. Fac, o Jesu patientissime, ut tuis animatus exemplis aequo animo cunctas sustineam injurias ac contumelias. Eccur enim contumelias indigne feram, cum longe acerbiora te pro me pertulisse sciam? *Non est discipulus super magistrum.* Tunc ero perfectus, si vestigiis tuis constanter inhaesero, Magister optime! — Trahe me post te funiculis caritatis, si tergiversarer sequi te.

Redde me similem arbori bonae, quae facit fructum bonum. Non ignoro, Jesu suavissime, quia fides sine operibus mortua est. Ne permittas igitur, ut sim arbor mala, ne aliquando exscindar et projiciar in ignem aeternum. Da mihi (quaeso) bonam voluntatem: *Arbor enim bona non facit fructus malos.* — Praeterea dixisti: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.* Nonne, mi Jesu, tu solus et unicus es thesaurus cordis mei? Sic quidem mihi persuadeo, sic affirmo, sic cupio. Proh! quam malus et infelix essem homo, si locum darem alteri cuidam malo thesauro, dum multoties in corde gero thesaurum optimum! — Ne patiaris in me tantum nefas. Auxiliare mihi servo tuo infirmo. *Beatus homo, cujus est auxilium abs te.*

Bone Jesu! Domine et Legislator noster! libera nos a vexationibus hostium nostrorum. *Domine, Domine* (Esther. 13.) *Rex omnipotens! in ditione tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israël. Dominus omnium es; nec est, qui resistat Majestati tuae. Et nunc, Domine, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere et haereditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi. Converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine.* In

ista rerum perturbatione non habeo, quem invocem, nisi te, *Domine mi* (Ibid. 14.), *qui rex noster es solus.* Memento Ecclesiae tuae lugentis, *cujus praeter te nullus est auxiliator alius.* Novatores et duces caeci *volunt tua mutare promissa et delere haereditatem tuam et claudere ora laudantium te atque extinguere gloriam templi et altaris tui.* Ne tradas, Domine, servos tuos his, qui oderunt nos, *ne rideant ad ruinam nostram; sed converte consilium eorum super eos. Memento, Domine, et ostende te nobis in tempore tribulationis nostrae.* Qui vivis.

FERIA III.

Periclitatur castitas sacerdotis, qui: 1) negligit orationem, vigilantiam, sensuum custodiam, confidit in seipso; 2) temperantiam non servat in cibo, potu et somno; 3) liberius conversatur cum mulieribus (domesticis — alienis — poenitentibus).

PRECES ANTE MISSAM.

Fulgore majestatis tuae perculsus abjicio me nunc ad thronum misericordiae tuae, Pater omnipotens, aeterne Deus! Suppliciter adoro te, etiam atque etiam obsecrans, ut benigne respicias me famulum tuum indignum, et de manu mea suscipias sacrificium missae, quod immolabo tibi hodie in gratiarum actionem pro universis beneficiis, Ecclesiae tuae concessis, maxime pro gratia vocationis meae ad caelibatum ac clericatum, dum mihi donasti, ut caperem verbum istud, quod non omnes capiunt. Felix eram illo tempore, quo tibi ser-

viebam in omni castitate. Sed, o bone Deus! paulo post, oblitus dignitatis meae, candidam innocentiae stolam misere foedavi sicque ministerium meum inhonoravi. Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum ad deplorandam insipientiam meam? „Innocentiae conscius meae quondam frontem explicui et extuli caput. Depressit utrumque diabolus; suisque me dolis circumventum despoliavit gemma radiis solaribus praestantiori. Heu! qualem infelix jacturam feci!“ *S. Ephraem.*

„Conscientia quidem trepidus ad altare tuum accedo, Domine Deus! sed tamen fiduciam de tua misericordia retineo. Et licet ad celebranda sacrificia semper inveniar indignus, tamen, si recedo, vereor de inobedientia condemnari. Quapropter bonitate paterna, omnipotens Deus, atque placabili vultu interiora cordis mei purgare digneris. Precor etiam, ut, licet culpabilis sim, istud tamen tibi placeat altaris mysterium“ [1].

Pater misericors! offero tibi dilectum Filium tuum, Agnum immaculatum, atque per infinita passionis ejus merita bonitatem tuam deprecor, ut et mihi et ceteris peccatoribus universas condones iniquitates. Da nobis sacerdotibus, ut vocationem nostram ad caelibatum magni faciamus; ut omnem impudicitiae labem, imo vel umbram et nomen incontinentiae horreamus atque munditiam mentis ac corporis impense colamus. Omnibus utriusque sexus Christianis, qui *propter regnum coelorum* caelibem vitam elegerunt suamque tibi castimoniam voto consecrarunt, tribue gratiam, ut integra fide praestent, quod promiserunt. Memento etc.

Ad Christum. „Rex virginum, Amator castitatis! Domine Jesu Christe! da mihi veram et perpetuam ca-

[1] Ex Missa latina saec. VII.

stitatem, una cum ceteris donis tuis, quae tibi placent, ut tibi sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam offerre. Quanta enim cordis contritione, quanta reverentia et devotione, quanta corporis castitate et animi puritate istud divinum ac coeleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua, Domine, in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi sanctorum adest Angelorum praesentia, ubi tu es sacrificium et sacerdos mirabiliter et ineffabiliter? Quis digne hoc potest celebrare, nisi quem tu, Deus omnipotens, feceris dignum? Scio, Domine Jesu, et vere scio, ac idipsum bonitati tuae confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea. Sed scio pariter et veraciter credo, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere de immundis mundos, de peccatoribus justos, de indignis dignos: Per hanc omnipotentiam tuam oro te, Deus Salvator meus! concede mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum exquisita cordis puritate et laetitia spirituali. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae tuae.“ Amen. *S. Anselm.*

PRECES POST MISSAM.

Sponse animae meae! Sponse amabilissime, Jesu Christe! fidenter amplector ac constringo pedes tuos, suppliciter adorans te Dominum Deum meum. Arctissime teneo te, quem diligit anima mea. — O gaudium ingens! o laetitia mirabilis: ego Dilecto meo — et Dilectus meus mihi. — Quid ultra quaeram in mundo, dum mecum habeo summum thesaurum meum, Jesum meum unice delectabilem, unice desiderabilem? — O suavissime Salvator! exopto nunc in amplexu tuo et i-

osculo pacis emori. Utinam debitas saltem grates tibi reddere possem pro singulari tua benevolentia, qua me prae mille aliis hominibus ad caelibatum velut ad coelestem et angelicam vitam vocasti, nec non ad amplissimam sacerdotii cignitatem evexisti. Maximas tibi gratias habeo pro inexhausta bonitate tua, qua mihi jam toties in cibum et potum dedisti sacrum corpus et sanguinem tuum.

„O mi Jesu! o clementissime, dulcissime, liberalissime Sponse animae meae! dum mihi teipsum quotidie tam misericorditer communicas, non peto mihi alios tecum divitiarum thesauros, praeter eos, qui in tui solius amore stabili continentur. O dilectissime Sponse, Jesu Christe! si me interroges, quidnam in dotem mihi dari cupiam, respondeo statim: *Domine, ut amem te.* Si quaeras iterum, respondeo iterum: *Domine, ut amem te.* Si tertio, si centies ac millies idipsum interrogaveris, idipsum ego tertio et centies et millies ac infinities repeto: *Domine ut amem te, ut amem te, ut, si possibile foret, infinities amem te.* Quodsi vero quaesieris ex me, quid ego tibi pro temetipso dare velim; non minus expedite respondeo, quod donem tibi totum cor meum, amore tui plenum, ceteris vacuum.“ *Autor antiq.*

Domine Jesu, Deus cordis mei! tibi libentissime trado plenum dominium cunctarum affectionum mearum. Renuntio rebus caducis sensuumque delectamentis. Amore tui, Domine, respuo foedas corruptelarum illecebras. O bone Jesu! perpetuae castitatis Amator! scio, quod aliter non possim esse continens, nisi tu dederis mihi. Propterea per aeternum amorem tuum, quo dilexisti homines, te precor et obtestor, ut excites in me talem deliciarum nauseam, ne alibi quam in te quaeram

consolationem meam. Tu solus esto cordis mei gaudium. Da mihi, carissime Jesu, veram animi demissionem atque modestiam, ne fortassis superbiendo in luxuriae vitium incidam. Omnem mihi somnolentiam excute, ne arma salutis unquam manibus meis excidere patiar.

Melliflue Jesu! perdilecte Sponse animae meae! eripe me ex omni pecoandi occasione. Sub umbra alarum tuarum protege me ab universis hostium incursionibus atque periculis, et dirige me semper in via mandatorum tuorum. Largire mihi donum abstinentiae ac frugalitatis, quo facilius anima mea, sponsa tua, pura et immaculata permaneat. Fac, o castitatis Amator, ut exteriores sensus meos caute custodiam, ne mors ascendat per fenestras meas. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, qua forte transversum agi possem. Corruptelarum fomitem in me penitus extingue, ut in me maneat virtus continentiae et castitatis. Cor mundum crea in me, Deus sanctissime! nam, prout ipse dixisti: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ab omni reatus macula me purifica purumque conserva, ut anima mea tota pulchra mereatur aliquando ex ore tuo audire: *Veni, sponsa mea! veni, coronaberis.* Amen.

FERIA IV.

Scientia ac prudentia tibi necessaria in confessionali, ut: 1) interroges secundum necessitatem; 2) doceas secd. capacitatem; 3) praescribas secd. statum animae; 4) absolvas secd. leges Ecclesiae; 5) caveas tibi secd. tuam fragilitatem.

PRECES ANTE MISSAM.

Imbecillitatem atque miseriam meam dum mecum attente considero, Jesu Christe, magnum in timorem venio. Crescit autem metus iste, si praesentem circumspicio temporum caliginem ac caecorum multitudinem veteratorum, qui tum minis tum exemplis alios in suas partes, in avia et devia pertrahere conantur. Attamen in hac rerum perturbatione spem salutis non abjicio, sed tuae memor bonitatis atque potentiae fiducialiter ad te recurro, tuam implorans opem.

„Domine Jesu! tu vere bonus, ego malus; tu sanctus, ego miser; tu justus, ego injustus. Tu lux, ego caecitas; tu medicina, ego infirmitas; tu solatium et gaudium, ego ipsissima tristitia. En ad te suspiro, ad te clamo: Subveni mihi et sana me. Sed quid est homo, ut possit alloqui Deum suum? Ignosce mihi servo tuo, qui audeo loqui tanto Domino. Calamitas, quam patior, cogit me loqui tibi. Afflictus sum, ad consolatorem festino; aegrotus sum, ad medicum suspiro; caecus sum, ad lucem propero. Jesu, Fili David! miserere mei. Audi me caecum ad te clamantem. Praebe mihi, Domine, manum tuam, ut ad te perveniam et in lumine tuo lumen videam. Quis sum ego, qui loquor tecum? Infelix ego homo sum, brevi vivens tempore, repletus multis miseriis, caecus, pauper, nudus, plurimisque necessitatibus obnoxius. Te igitur obsecro, Domine Jesu! succurre mihi misero et adjuva me in fortitudine tua. Veni, Lux aeterna, et fulge in corde meo, ut te per te videam et in te solo gaudeam“ [1].

Accedo nunc aram tuam, misericordissime Jesu, ut

[1] Joan. Fabr. ex s. Aug.

offeram missae sacrificium a teipso institutum. Per illud tibi gratias agimus pro beneficiis, quibus Ecclesiam tuam quotidie cumulas, praesertim pro illo lumine miro, quo mundi caecitatem enubilasti. Sed nunc (proh dolor!) offusa temporum caligine lux illa sensim minuitur, quia homines diligunt magis tenebras quam lucem. Ideo cum illis duobus caecis ad te clamamus: *Miserere nostri, Domine! miserere nostri, Fili David!* Audi clamorem nostrum, Fili Dei! intende voci orationis nostrae, caecorum Medice! Oculi omnium in te sperant, Domine! illumina corda nostra, delictorum tenebris obscurata et excaecata. Lucis tuae radiis iterum illustra mentes nostras, vitiis et operibus tenebrarum infuscatas. Clementer etiam respice super omnes incredulas et barbaras nationes, super gentes et regna, quae nomen tuum aut ignorant aut blasphemant. Illumina caecos infidelium animos, ut errores suos agnoscant et abjiciant. Evoca heterodoxos e tenebris haeresum ad lucem veritatis catholicae, ut omnes tibi recta fide, firma spe et ardenti caritate constanter adhaereant. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Unde hoc mihi, Jesu delectabilis, ut ad divinam tuam mensam me rursus admiseris? Undenam mihi tanta dilectio tantae Majestatis, ut indignum me famulum tuum tam clementer audire, tam benigne respicere, tam familiariter visitare, tam liberaliter reficere, tam suaviter, tam misericorditer, tam mirabiliter ad coelum perducere digneris? — Permitte mihi, quaeso, grata mente tantisper recolere bona tua, quae tribuisti mihi a juventute mea. Scio, quod ingratitudo nostra tibi magnopere displiceat tuaeque miserationis fontem obstruat. Idcirco

beneficiorum tuorum memoriam subinde renovo, ne sim ingratus tibi Salvatori meo. Frequenter extraxisti me de ore draconis tartarei, qui jam paratus erat devorare me. Cum mandata tua frangerem, ille jam praesto erat ad deglutiendam animam meam; sed tu prohibebas mihique tempus et auxilium concedebas ad agendam poenitentiam. Haec mihi beneficia tribuebas, Domine! et ego caecus illa non cognovi. Ex innumeris tum corporis tum animae periculis eruisti me nescientem. Tenuisti me dextera tua, ne caderem aeternumque perirem. Plurima ejusmodi beneficia in me contulisti; sed ego caecus homo nullatenus agnovi, donec illuminasti me. Nunc igitur, o Lux animae meae! nunc illuminatus a te cognosco misericordiam tuam, tibique refero grates licet impares beneficiis tuis.

Amo te, Domine Jesu, Lumen oculorum meorum! Incende cor meum ardentiore semper igne caritatis tuae, ut, quemadmodum mihi teipsum totum donasti, ita et ego meipsum amori tuo sacrificem integrum. Bone Jesu, qui gubernas universa sapienter et disponis omnia suaviter: en, pedibus tuis advolutus obsecro te, ut tuae lucis splendore mentem meam amplius et amplius illustrare digneris, ut debita literarum imbutus scientia sequar vocem tuam, omnibusque monitis tuis caecam praestem obedientiam, ne forte, talentis meis (donis tuis) ad superbiam vitae aut saeculi vanitatem abutens, inde mihi sumam pereundi materiam, unde debuissem accipere medicinam. Miserere mei, Fili Dei, et aperi mentis meae oculos, ut clarius clariusque videam omnia dignitatis meae onera et pericula; ut videam, quae mihi sint agenda, quae fugienda. Da mihi stabilem animi firmitatem, ne turbarum aberrantium auctoritae movear; ne monita vel exempla sequar illuminatorum, quorum finis

interitus. Prohibe pedes meos a semitis illorum caecorum, qui nesciunt, ubi corruant. Fac, ut infatigabili studio contendam intrare per angustam portam in regnum coelorum, ubi videndum te praebes electis tuis in admirando lumine gloriae tuae. Qui vivis.

FERIA V.

In ss. sacramentis habes thesaurum pretiosissimum, qui: 1) tanto pretio est comparatus; 2) tam divitem te facit; 3) medium tibi praebet, tanta comparandi merita, et 4) alios quoque locupletandi.

PRECES ANTE MISSAM.

Demisso in terram vultu supplex adoro te, Fili Dei, Jesu Christe, tibique gratias ago pro caritate tua, qua nobis peccatoribus intra tuam Ecclesiam tanta bona largiris; praecipue vero pro illo sacramentorum thesauro, quem in Ecclesia collocasti, ut exinde necessarias hauriamus gratias. Tu enim ex hoc mundo transiturus ad Patrem et ab Ecclesia tua quasi peregre discessurus, eidem hunc pretiosum reliquisti thesaurum, quo interim ipsa viveret ac sustentaretur, quamdiu visibili tua praesentia esset orbata. Thesaurum hunc in rebus externis ac sensibilibus abscondisti ex admirando sapientiae tuae consilio, ut, quemadmodum homo constat ex corpore sensibili et anima invisibili, ita et thesaurus iste partim quidem esset sensibilis secundum id quod extrinsecus apparet, partim vero invisibilis secundum id quod intrinsecus latet. Haec sunt illa septem sacramenta, Do-

mine Jesu, in quibus abscondisti pretiosa gratiarum tuarum dona.

Praecipuam inter illa venerationem et admirationem a nobis exigit altaris sacramentum, in quo, bone Jesu, teipsum, inaestimabilem thesaurum, sub eucharisticis speciebus absconditum, nobis donas totum ac integrum. O Salvator mundi! te mecum habere et possidere cupio. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Tu es thesaurus meus unicus et omnium pretiosissimus. Nihil est in coelo, nihil in orbe terrarum, nihil in toto universo, quod ita mihi placeat, sicut tu, Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum. Totum enim quod coelum habet felicitatis, totum quod mundus iste habet amoenitatis, totum quod res creatae habent venustatis vel utilitatis, totum tibi debent, o Verbum omnipotens! A te habent, quidquid boni aut pretiosi habent.

Admitte me, Domine Jesu, ad altare tuum, ut corde meo recipiam te unicum thesaurum meum, gaudium meum, solatium meum, refugium meum. Quo dignius autem te suscipiam, purifica cor meum, nam ejusmodi thesauro nitida debetur arcula. Da, precor, ut hodie stans ad aram tui amore totus ignescam; ut te solum ibi cogitem et sentiam. Fac, ut anima mea, posthabitis rebus creatis, oculos suos figat in te, qui realiter ades in altaris sacramento. Miserere, benignissime Jesu, tot iniquorum hominum, qui margaritas gemmasque terrenas magni faciunt, coelestem vero doctrinam tuam, quae omni margarita pretiosior est, in minimis ponunt. Adjuva hos miseros, ut fiant prudentiores rerum aestimatores. Omnibus nobis auxiliare, ut pro conservando fidei ac caritatis thesauro libenter rerum fluxarum dispendium faciamus, et in novissimo die una cum justis suscipiamur in regnum gloriae tuae. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Longe felicissimus sum, qui nunc incomparabilem fidelium thesaurum in praecordiis meis possideo. O res mirabilis! illum magnum Dominum, quem nec orbis terrarum nec coeli coelorum capere possunt, totum habeo in tantillo corde meo. — Prae admiratione et laetitia nescio sane, quid agam, quid cogitem, quid dicam. — Jesu dulcissime! nullus dubito, quin me diligas, utut indignum, utut ingratum, utut iniquum. Ab aeterno amasti me; et in tempore plurimis tibi devinxisti me beneficiis eo fine, ut et ego te, summum cordis mei thesaurum, impense diligerem. Quale forem ingratitudinis monstrum, nisi amarem te plus quam omnia creata? Maximas tibi habeo grates, suavissime Jesu, pro singulari benevolentia tua, qua me prae millenis hominibus assidue complecteris, etiamsi tua caritate sim indignus. O Salvator amabilissime! doleo vehementer, quod cordis mei affectum et amorem tibi soli debitum toties transtulerim in creaturas miserabiles. Deinceps autem (adjuvante gratia tua) non ero tam imprudens rerum arbiter, ut tibi pretiosissimo fidelium thesauro praeferam inania saeculi bona. Tibi, Domine, totum cor meum do, dono, dedico, tuisque me imperiis pariturum promitto.

Jam vero beatum adesse momentum scio, quo magna a te beneficia impetrare valeo. Preces meas te ratas habiturum spero, Domine Jesu! quia dona illa, quae jam accepi, multo praestantiora sunt, quam ea, quae adhuc peto. Teipsum habeo totum, thesaurum inaestimabilem, summum Bonum: eccur addubitem minora petere, cum majora dona jam possideam? — Hanc itaque gratiam a te suppliciter efflagito, liberalissime Jesu.

ut evellas e corde meo omnem rerum mundanarum amorem. Tribue mihi veram sapientiam, quo facilius bona vera a falsis discernere possim. Fac, ut transitoria despiciam, nec nisi aeterna magni faciam. Auge mihi fidem, spem et caritatem. Da mihi timorem salutarem, ne graviori me crimine obstringam, neque sacram mensam indignus accedam manusque sacrilegas admoveam sanctissimo corpori tuo, ne cum malis sacerdotibus in novissimo die mittar in illum caminum ignis aeterni, ubi erit fletus et stridor dentium. Largire mihi, bone Jesu, donum perseverantiae et illam singularem gratiam, ut ad finem vitae, in extrema valetudine mea, in illo formidabili mortis confinio, te carissimum thesaurum meum, te dulce solatium meum, te desiderabile viaticum meum, debita pietate et reverentia suscipiam, quo securius aeternitatis meae domum ingrediar, et in consummatione saeculi bonos inter sacerdotes inveniar. Amen.

FERIA VI.

Patientia tibi necessaria: 1) ut Christo assimileris; 2) ut tuam opprimas concupiscentiam; 3) ut proximi superes perversitatem; 4) ut muneris tui officia et difficultates exantles; 5) ut coronae particeps efficiaris.

PRECES ANTE MISSAM.

„Misericordissime Pater, Deus omnipotens! per Filii tui caritatem rogamus te: libera nos a vinculis peccatorum per coaeternum tibi unicum Natum tuum; et quibus propria debita nostra lethalem minantur sententiam,

Filii ad dexteram tuam sedentis interpellatione concede placatus veniam. Quem alium enim tibi dirigamus intercessorem pro nobis, nisi Filium tuum, qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui etiam interpellat pro nobis? Ecce advocatus noster apud te Deum Patrem; ecce pontifex summus, qui non eget alieno prius expiari cruore, quia proprio refulget perfusus sanguine. Ecce hostia sancta, beneplacens et perfecta in odorem suavitatis. Ecce Agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit; qui alapis caesus, sputis foedatus, opprobriis oneratus, os suum non aperuit. En, qui peccatum non fecit, qui peccata nostra sustulit et languores nostros suo livore sanavit. Aspice, piissime Pater, piissimum Filium tuum, pro nobis indignis tam multa indigna passum. Nonne hic est innocentissimus Filius tuus, qui, sicut ovis ad occisionem ductus tibique factus obediens usque ad mortem, non dubitavit atrocissimae necis genus subire pro nobis?" [1]

Respice, Pater, in faciem Christi tui, *qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus:* et tribue nobis gratiam, ut per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Jesum, qui multa passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. — „Offerentibus tibi, sancte Pater, munera in memoriam passionis unigeniti Filii tui, da nobis, quaesumus, et quae ipse propter nos pertulit, digne semper recolere, et adversa omnia, quae pro peccatis nostris patimur, ejus exemplo patienter tolerare" [2]. Memento NN.

---

[1] S. Anselm. Cantuar. [2] Missal. Bellovac.

Ad Spiritum s. „Veni mihi, sancte Spiritus! veni quantocius et illabere cordi meo, ut illud in mansionem dignam praepares unigenito Dei Filio. O Amor! o bone Spiritus! tu si dignaberis ad me venire, certus sum, quod non confundar in adventu Domini Salvatoris mei. Tu enim ubicunque adfueris, illuc omne pariter bonum venit in animam: illic omnis est virtutum ornatus, qui benignissimo Redemtori suscipiendo congruit. Quaeso te, bone Spiritus! noli me abjicere; noli preces meas repellere: nam et Jesus, Patris Filius (a quo tu sicut a Patre procedis) me non parvi fecit, sed magni aestimavit me, pro quo multa et tulit et egit, ut a morte me salvaret in vitam. Christus dilexit me et lavit me a peccatis meis in sanguine suo. Pro me Jesus in cruce mortem obiit, ut de profuso sanguine suo balneum mihi pararet, in quo ab omnibus ego peccatis ablutus et ab omni infirmitate sanatus, plenam reciperem salutem. Sic dilexit me Dei Filius, Jesus Christus. Imo Pater tantopere me dilexit, ut proprio Filio suo non parceret, sed ipsum pro me mitteret in hunc mundum et in mortem traderet. Et tu igitur, o bone Spiritus, ne despicias me, humiliter implorantem gratiam tuam. Dilige et tu pauperculum istum, Amor immense! Emunda et sanctifica sordidum hoc cordis mei hospitium. Si enim usque adeo me dilexit Dei Filius, ut pro me sanguinem suum in cruce fuderit: tu, o Spiritus Dei, non dedignaberis sanctam gratiam tuam infundere cordi meo atque donis tuis salutaribus animam meam pauperem exornare. Tu es enim, qui caritatem diffundis in cordibus hominum, simulque virtutes omnes et bona universa illis affers, quos divina tua visitatione dignos duxeris. Amen.“ *Titelman. Hassel.*

PRECES POST MISSAM.

Humani generis Salvator, amantissime Jesu, qui rursum ad me venire dignatus es! te summa qua decet animi submissione veneror et adoro. Utinam talem tibi honorem exhibere possem, qualem me tibi praestare oportet! Si non parem tuis donis, at (pro meo tamen modulo) meritam debitamque refero gratiam, praesertim pro immutabili benevolentia tua, qua mihi denuo hanc dedisti facultatem, ut in altari manducarem sacrosanctum corpus tuum, propter nos homines aliquando cruci suffixum. Immortales tibi grates habeo, bone Jesu, pro stupenda caritate tua, qua dignatus es pro nostra salute tam multa pati tandemque crudelissimam in crucis patibulo mortem obire.

„O incarnata Sapientia! o Magister amoris! qua arte reparas lapsos! quibus vinculis ad te trahis filios Adam! Qua virtute totum legibus tuis subdis orbem terrarum! — Gravia suades; contraria corpori jubes: et tamen innumeros tibi jungis amatores. Difficiliora quidem praecipis, quam olim in lege veteri: et nihilominus numerosiores tibi aggregas sectatores. Non metu mortis, non terrore judicii, non horrore gehennae subdis jugo tuo colla mortalium, sed solo id agis amore. Jugum enim amoris tui suaviter premens o quam fortiter trahit, quam dulciter capit!! — Amoris tui facibus inflammas tuorum corda fidelium ad currendam viam mandatorum tuorum et ad capessendam perfectionem consiliorum tuoram. Quis secum statueret, omnia terrena relinquere, carnem assidua maceratione domare et crucem suam quotidie bajulare post te, nisi tuo traheretur amore? Intuetur quippe fidelis et devotus homo, his longe graviora teipsum sustinuisse pro se. Et hac contemplatione doctus se tot

exponit pro te, indignum esse arbitrans, ut floreat in saeculo famulus, dum pendet in cruce Dominus. Sic, o Amor melliflue! sic exaltatus a terra omnium corda trahis ad te, rapis post te, ac caritatis igne vulneras de te. Non verbo tantum, o sincere hominum Amator, sectatores tuos ad contemtum rerum terrenarum exhortari voluisti, sed etiam exemplo confirmasti. Naturam tuam humanam, quam propter nos induere tibi complacuit, exposuisti flagellis, sputis, opprobriis mortique; ne id refugerent secutura membra, quod in te sancto capite agnoscerent praecessisse. Paupertatem elegisti, humilitatem ostendisti ceterasque virtutes singulas dicto factoque commendasti, ut cunctos tibi famulantes ad pergendum perfectionis iter animares." *S. Laur. Justin.*

Domine Jesu, qui propter nostram salutem exhausisti amarissimum passionis calicem, mihique hodie bibendum dedisti poculum pretiosi sanguinis tui: da mihi, quaeso, gratiae tuae subsidium, ut alacriter ingrediar vestigia tua. Multis adhuc laboro vitiis; iniquitates meae supergressae sunt caput meum, et sicut onus grave gravatae sunt super me. Nisi tuam mihi porrigas dexteram, miserabiliter in profundum mergi cogor. Miserere mei, Domine, omniumque proximorum, eorum maxime, quorum mihi salus curae ac cordi est. Ne avertas faciem tuam a nobis peccatoribus, o bone Jesu, qui non avertisti faciem tuam ab increpantibus ac conspuentibus in te. Da nobis hic patientiam, postea indulgentiam; ut in die judicii, quando *sicut fulgur coruscans* apparebis in nubibus coeli, nos omnes cum exultatione occurramus tibi. Qui vivis.

SABBATO.

Quoad consacerdotes peccantes: 1) consule eorum famae (non pandendo, imo celando, quantum licet, eorum peccata); 2) adhibe correctionem *vere* fraternam; 3) ora et orari fac pro eorum emendatione.

PRECES ANTE MISSAM.

Pater noster, qui es in coelis! ad te clamamus, ad te suspiramus, bone Deus, qui nos infelices Adami posteros, per peccatum perditos, ab adversarii potestate liberasti et per Unigeniti tui gratiam in filios tuos adoptasti; filiali cum fiducia confugimus ad te, Pater amantissime, qui nos affectu paterno gubernas ac conservas.

Sanctificetur nomen tuum per istud sacrificium, quod tibi hodie offerimus, sancte Pater, ad honorem et gloriam adorandi nominis tui. Laudamus et glorificamus te, Deus longanimis, qui zizania in medio tritici, malos inter bonos crescere sinis usque ad messem, quo magis exinde patescat et tuae bonitatis magnitudo, et justorum fortitudo.

Adveniat regnum tuum, magne Deus, cujus sub imperio regna cuncta sunt posita: subverte diaboli regnum, quod denuo praevalere cernimus; et dilata regnum gratiae tuae per orbem terrarum. Adveniat nobis regnum tuum coeleste, horreum illud amplissimum, ubi solum triticum absque zizaniis erit. O regnum exoptatum, ubi nullus ab hostibus timor! Beati, qui habitant in domo tua, Pater aeterne! fulgebunt enim quasi stellae, imo sicut sol in omnem aeternitatem.

Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra. Si volueris, Pater, ut inter impios et inhumanos homin-

velut triticum inter zizania, quotidie novis premamur incommodis, fiat voluntas tua. Verumtamen nobis tuum largire gratiae subsidium et patientiae donum, ut tam in adversis, quam in prosperis, divinae tuae voluntati morem geramus ac contenti simus.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, ne sub gravi aerumnarum onere succumbamus. *Hodie* potissimum indigemus suavissimo pane consolationis tuae, quia *hodie* peccatores heterodoxi grassantur ubique et zizaniorum plena sunt omnia. Fac, ut digne comedamus panem vivum, panem Angelorum, ut in ejus fortitudine per ignem et aquam transire valeamus ad beatam immortalitatis regionem.

Haud equidem digni sumus, qui cibum adeo pretiosum sumamus, eoquod novos identidem naevos ac culpas contrahimus. Quid ergo? num a divina mensa recedamus et fame pereamus? Absit! non abjicimus animos, sed alacriter recurrimus ad te, misericordissime Pater, et per hujus sacrificii merita fiducialiter oramus ac clamamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Aliorum improbitate saepius exagitamur: attamen hostibus nostris omnes condonamus injurias, quo facilius impetremus delictorum nostrorum veniam.

Et ne nos inducas in tentationem. Memores imbecillitatis nostrae tuam imploramus clementiam, optime Pater, ut tuo nos auxilio corroborare digneris adversus inimicorum insidias, qui nos acriter impugnant et diu noctuque nostrum meditantur interitum. Ne permittas, Pater, ut impiorum consiliis acquiescamus aut consentiamus.

Sed libera nos a malo. Eripe nos e periculis, quae cervicibus nostris imminent. Continua nobis est colluctatio cum infensissimo humani generis hoste, nihil

non machinante, ut nos secum trahat in caminum ignis aeterni. Quocirca, Deus omnipotens! succurre nobis servis tuis et libera nos ab ingenti hoc malo, quo securius aliquando jungamur tibi summo Bono. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Non est aliud quidquam in hoc mundo, quod aeque me consoletur, ut dulcissima haec praesentia tua, Domine Jesu Christe! Talis et tanta est tua in me benevolentia, ut eam nec satis admirari, nec satis depraedicare valeam. Ingrato mihi peccatori quotidie tribuis sanctissimum corporis et sanguinis tui sacramentum, ut exinde recreatus et exhilaratus iniquorum injurias, zizaniorum pressuras, aliasque vitae miserias aequo animo perferre possim. O beneficium incomparabile, quod nuspiam merui!!

Bone Jesu! Fili Dei! suavissime Salvator! jam saepius eripuisti me miserum e faucibus inimicorum meorum, qui aperuerunt super me os suum ad devorandum me. Quin etiam omnia dudum elementa de me nefando malefactore succlamaverant tibi: *Vis, ut eradicemus eum de terra?* Et dixisti: *Non, sed sinite eum crescere.* O verbum amoris suavitatisque plenum! Ubinam modo degerem, nisi dulce hoc verbulum de ore tuo processisset, o Verbum misericors? In camino ignis aeterni jam pridem arderem, nisi tempus et gratiam mihi dedisses ad agendam poenitentiam. Benedictus es, Domine Deus meus, Liberator meus de inimicis meis iracundis! Grates tibi, Jesu clementissime, qui me hactenus a temporanea et aeterna morte liberasti.

Inimici autem mei vivunt adhuc et etiamnum insidiantur animae meae. Ne derelinquas me, Jesu for-

sime, sed dignare me obarmare scuto fidei, galea spei, lorica caritatis, quo facilius hostium incursiones sustinere valeam. Et quia dormientibus hominibus venit inimicus, zizania seminaturus in medio tritici: hinc obsecro te, ut a somno teporis exsuscites me. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. — Spero, Domine, me nunc esse in numero frumenti seu tritici tui; quapropter oro te, ne degenerare me permittas a probitate justorum in feritatem zizaniorum sive malitiam impiorum, qui tempore messis, in consummatione saeculi, mittentur in caminum ignis, ubi fletus erit aeternus, sed supervacaneus.

„Jesu, Deus optime, cujus infinita bonitas longe superat omnium mortalium malitiam: tuo me praesidio subleva et confirma. Horresco, prospectans igneum illud pelagus, quod me (iniquitatum mearum memorem) vehementi concutit timore. O Jesu, Fili Dei vivi! hebescant horribiles illi flammarum vortices ad contactum sacri corporis et sanguinis tui; mihique auxilium imploranti liceat gehennam effugere. Esto mihi, Domine, tot in angustiis perfugium et tutela certissima, meque clementer a reproborum colluvie segrega, quibus sempiternae parantur poenae. Tu, Amor cordis mei, Jesu Christe! meam nunc causam suscipe apud Patrem tuum, cui teipsum pro me hostiam offere non dubitasti.“ *S. Ephraem.*

Quam beati coelites, qui jam in medio Angelorum omnibus affluunt gaudiis! Quam beatum illud triticum, quod in coelesti horreo nullam a zizaniis molestiam sustinet. Vere beata societas supernorum civium, qui, ex impiorum scandalis educti, in coelestem patriam translati, tibique lumini immenso juncti, *fulgebunt sicut sol* in regno Patris tui, ubi nec mali sunt neque mala,

sed gaudia perpetua. Rogo te, benignissime Jesu, ut etiam me (meosque proximos) gratiae tuae viribus illuc pertrahere digneris. Qui vivis.

DOMINICA XXVI. POST PENTECOSTEN.

Dilige Ecclesiam; est enim: 1) Christi sponsa pulcherrima; 2) mater tua beneficentissima; 3) unica generis humani salvatio; 4) summopere ab omnibus sanctis amata, omnibus malis exosa.

PRECES ANTE MISSAM.

Dominator coeli et terrae, Pater sancte, qui Filium tuum, Jesum Christum, constituisti caput corporis Ecclesiae: offerimus tibi hodie sanctum missae sacrificium ad summam adorandae Majestatis tuae gloriam; in honorem quoque ac commemorationem passionis ac mortis ejusdem Unigeniti tui; nec non in gratiarum actionem pro magna tua bonitate, qua Filium tuum carissimum ad nos in hunc mundum misisti; atque pro omnibus aliis beneficiis, quibus indesinenter exornas unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.

Offerimus tibi, Pater sancte, purissimum altaris sacrificium in plenam expiationem et satisfactionem omnium flagitiorum, quae passim a mortalibus admittuntur in universo mundo; praesertim in abolitionem illarum noxarum, quas improbi homines quotidie contrahunt, disturbando fidelium unitatem ac concordiam. Respice, Pater, in faciem Christi tui, qui dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea. Parce, Domine Deus! parce populo tuo, quem Unigenitus tuus redemit sanguine suo.

Benignissime Pater, cujus ab immensa liberalitate nobis omnia proveniunt dona et bona: per virtutem hujus sacrificii concede propitius, ut in universo credentium coetu semper vigeat unitas, tum quoad fidei doctrinam, tum quoad morum disciplinam. Fac, ut etiam hodie, sicut olim in Ecclesia nascente, multitudinis credentium sit cor unum et anima una. Da, quaesumus, ut omnes unum simus animo, fide, spe et caritate, ut credat mundus, quia vere misisti Filium tuum, unicum unitatis istius auctorem. Tribue nobis amorem fraternitatis, et omnis amaritudo et ira et indignatio tollatur a nobis. Fac, optime Pater, ut omnes simus invicem benigni, misericordes, humiles, donantes invicem, sicut et tu in Christo donasti nobis. Jube, Deus omnipotens, universim consopiri discordias, exscindi haereses, dissolvi sectas, quae propter hominum iniquitatem enatae sunt et latius in dies latiusque serpunt. O Deus patientiae et solatii! da nobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificemus te Deum nostrum. Miserere, Pater, illorum hominum insipientium, qui seipsos a corpore Ecclesiae et ab ejusdem invisibili capite Christo Domino segregarunt, dum impia defectione a fide catholica desciverunt. Revoca hos devios novatores ad societatem ac unitatem Ecclesiae, cunctosque restitue religioni verae, ut tandem omnes unum sint in Christo Jesu.

Deus, qui unanimes nos in domo tua praecipis habitare: dissensionum causas placatus depelle, ut competentibus adjuti subsidiis te largiente possimus esse concordes [1]. Pater sancte! da nobis spiritum mansuetudinis et lenitatis, ut alter alterius

[1] Sacram. Gelasi.

onera patienter portemus et sic adimpleamus legem Christi tui. Praesta, quaesumus, ut adunata semel Ecclesiae membra nunquam a Christo capite separentur, sed insolubili caritatis nexu inter se cohaereant ac cum Christo sine fine gaudeant in coelis.

„Adhuc obsecramus te, Domine Deus omnipotens, pro rege nostro et pro omnibus, qui in sublimitate sunt, et pro toto exercitu, ut pacem habeant nobiscum: ut totum vitae nostrae tempus in quiete et concordia traducentes glorificemus te per Jesum Christum, qui est unica spes nostra“ [1]. Memento.

PRECES POST MISSAM.

Obstupesco tuae in me benignitatis ac clementiae magnitudinem, Domine Jesu Christe, invisibile Caput Ecclesiae! Verumtamen admiror illum amorem tuum, quo me peccatorem miserum assidue foves et amplecteris. Undenam ergo tam propensa, tam singularis tua in me benevolentia? Quid denique tantopere tibi placet in me? — Non utique merita mea, quae nulla sunt, sed infinitae miserationes tuae movent te, ut talia mihi quotidie beneficia tribuas. — Suppliciter adoro te, Domine Jesu, Fili Dei, Verbum incarnatum! Omni qua possum animi submissione laudo atque glorifico te, Jesu benevolentissime, qui mihi sacrosanctam carnem tuam, teipsum totum dedisti in cibum animae meae. O quam misericors es erga homines ingratos!!

„Tu, Domine, filios Dei, qui erant dispersi, congregasti in unum. Ecclesia enim ex electis omnibus composita velut unum corpus tuo spiritu vivificatum con-

[1] Constitut. apost.

sistit, cujus te Pater coelestis caput constituit. Ita, benignissime Jesu, Patri tuo complacuit, ut tibi Ecclesiam pro corpore adjungeret; et tibi, Domine, complacuit, Ecclesiam in corpus tibi assumere, ut ipsius caput fieres. Non quod tu ea ad tuam perfectionem opus haberes, sed quoniam ita tibi ac Patri tuo dignanter visum est, illam tuae bonitatis facere participem. Nec inanis est haec appellatio, qua tu *Caput Ecclesiae* diceris; sed per omnia tu hoc praestas Ecclesiae, quod corpori caput exhibet. Quemadmodum enim a capite in-universum corpus reliquum spiritus vitae, sensus et motus derivatur: ita a te, o Jesu, in Ecclesiam sanctam et in singula ejus membra vitae spiritus effunditur, et de plenitudine tua nos omnes accipimus. Et quemadmodum caput est corporis ornamentum et tutamentum, in quo viget prudentia ad prospiciendum toti corpori: sic et tu, Domine Jesu, inaestimabile decus es Ecclesiae ac tutamentum securissimum, cujus providentia nullum unquam ei poterit obvenire periculum interitus. Rursum, quemadmodum caput non solum sibi totum corpus conjungit, sed etiam universa corporis membra per spiritum vitae mirabiliter unit ac continet, ne separentur: ita et tu, Domine Jesu, totum Ecclesiae corpus tibi jungis ac membra singula sic connectis, ne separentur ab invicem, sed ut insolubili caritatis nexu cohaereant.“ *Titelman. Hassel.*

Gratias ago tibi, Jesu benignissime, pro hac caritate tua, qua nos indignos servos tuos ceu membra corporis tui constituere atque ipsemet caput nostrum et dici et fieri dignatus es. Grates tibi, liberalissime Jesu, pro innumeris et inenarrabilibus donis tuis, quibus in Ecclesia nos imples. Adde ceteris beneficiis tuis inaestimabilem hanc gratiam, ut mutuam inter nos caritatem

stabilias et universos fideles ad concordiam adducas; ut omnes unum sint, non modo sententiarum, sed etiam voluntatum consensione, quo digniora fiant Ecclesiae membra.

„Domine Jesu, qui cum Patre in unitate Spiritus sancti unus es Deus et caput nostrum unicum ac invisibile; qui etiam Petrum inter omnes Apostolos unicum pastorem ovium tuarum elegisti, et post ipsum deinceps unumquemque electum Pontificem tuum in terris vicarium habere voluisti, ad quem, velut ad summum Ecclesiae tuae magistratum, quilibet pro causae qualitate recurrat: oro te suppliciter, ut Pontificem nostrum N. ad populi tui gubernationem et ad totius Ecclesiae tuae utilitatem salvum et incolumem tua bonitate conserves; ut sub ipso in recta fide veraque religione gubernemur et in fidei meritis quotidie crescamus, Amen.“ *Frideric. Nouse.*

FERIA II.

In tentationibus: 1) principiis obsta; 2) Deum repraesenta et invoca; 3) respice finem.

PRECES ANTE MISSAM.

Gementes in hac lacrymarum valle, o Pater omnipotens, agnoscimus atque fatemur inconstantiam nostram. Saepe quidem vitae sanctioris aedificium inchoamus; at tantum abest, ut opus istud urgeamus vel ad finem perducamus, ut in ipsis etiam principiis haereamus. Vix initium dedimus bello ac certamini contr

hostes salutis nostrae, jam iterum arma deponimus; imo (quod maxime dolemus) ab inimicis nostris superati non dubitavimus committere bellum adversus teipsum, Regem regum et Dominum dominantium. Ingrati nos atque rebelles subditi tui jugum tuum a nobis excutere tuamque legem violare ausi sumus. — Quo pacto nunc, omnipotens Deus, infirmi nos homines iram tuam mitigare justasque poenas a nobis avertere poterimus? Aliud nobis haud suppetit remedium, quam ut tibi legationem mittamus, rogantes ea, quae pacis sunt. Et quem alium mittamus tibi legatum, nisi Jesum Christum, Verbum tuum incarnatum, Principem pacis? Hunc iterum offerimus in altari tuo, ut ipse causam nostram agat tuamque nobis gratiam restituat.

„Ecce, Pater omnipotens! Filium tuum suppliciter offerimus ac praesentamus tibi, quia in illo tota spes nostra consistit. Dirigimus tibi advocatum nostrum, dilectum Filium tuum; mittimus tibi Natum tuum, inter te et nos mediatorem. Mittimus ipsum intercessorem, per quem confidimus obtinere veniam. Credimus, Verbum tuum nostram suscepisse humanitatem, in qua non horruit perferre vincula, alapas, sputa, irrisiones, flagella, clavos, crucem, mortem. Intende, Pater clementissime, quem genueris Filium, et quos redemeris servos. Benignus aspice Pastorem bonum, et misericors recipe oviculas propriis ipsius humeris allatas. Ecce, Filius tuus carissimus tibi reconciliat servos, quos propria eorum conscientia fecerat fugitivos: ut, qui per se meruerunt poenam, per ipsum mereantur veniam; et qui pro culpis suis exspectabant gehennam, tanto duce nunc confidant se revocari ad patriam. Possumus quidem per nos te Patrem nostrum offendere, sed non possumus per nos te placare. Filius tuus dilectus factus est

adjutor noster, qui nostram participavit humanitatem, ut nostram curaret infirmitatem et, unde culpa emerserat offensionis, inde tibi immolaret sacrificium laudis tuamque nobis misericordiam per hoc redderet placabilem, quod sedens ad dexteram tuam semper nostrae substantiae se ostenderet esse consortem. Ecce, in illo tota spes et fiducia nostra. Si nos pro nostra (ut dignum est) despicis iniquitate, respice saltem misericors in nos pro dilecti Filii tui caritate. Recole, quae bonus perpessus est Filius; et obliviscere, quae mali perpetrarunt servi. Magna quidem est nostra impietas; multo vero major est Redemtoris nostri caritas. Jam igitur, optime Pater! ignosce culpis nostris pro dilecti Filii tui laboribus immensis." *S. Anselm.*

Largire nobis, amantissime Pater, gratiam tuam efficacem, ut unicam habeamus aeternae salutis nostrae curam, quam nobis Unigenitus tuus saepe commendavit ac identidem inculcavit. Da, quaesumus, ut operosum aeternitatis negotium ac christianae perfectionis aedificium assidue persequamur, neque virtutis ardorem in nobis refrigescere patiamur. Praecinge nos etiam virtute ad bellum adversus invisibiles inimicos nostros, ut eorum incursiones fortiter repellamus. Tandem extincto visibilium hostium furore stabilem nobis pacem et tranquillitatem concede. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Amabilissime Jesu, Verbum caro factum! Princeps pacis, unice Mediator Dei et hominum! suppliciter adoro te revera praesentem in pectore meo. Miser ego peccator, advolutus pedibus tuis, Domine, humillimum tibi praesto homagium. Submisso etiam animo a te p

iam audaciae meae, qua denuo peregi tremendum ...issae sacrificium. Tanto vitiorum onere premor, ut nec liceat nec libeat oculos meos levare ad te Deum immensae majestatis. Veneror omnibusque laudum praeconiis extollo singularem hanc clementiam tuam, qua me rursum admisisti ad sacram mensam ibique tam mirabili mysterio refecisti languentem animam meam. Adeo magna sunt ista beneficia, quibus indignum me famulum tuum exornas, Domine, ut illa nec opere compensare, nec ore tibi debitas pro illis gratias agere possim. Id unum mihi superest agendum, ut ex toto corde meo diligam te multumque laboris suscipiam pro nominis tui gloria et animarum salute. Idipsum omni virium contentione deinceps facere propono. Ubique tibi testabor amorem meum.

Quod ut praestare valeam, ope tua vehementer egeo, bone Jesu! nam spiritus quidem promtus est, caro autem infirma et proclivis ad malum. Tibique mihique nota est infirmitas et inconstantia mea. Quandoque vitae sanctioris consilium ineo novoque studio aeternitatis negotium tractare incipio; sed parum constanter in coepto permaneo, quia corpus aggravat animam. Idcirco tuam imploro bonitatem, mundi Redemtor, ut illumines intellectum meum ad agnoscendum omne bonum, et dirigas voluntatem meam ad illud perficiendum. Largire mihi, quaeso, talem animi firmitatem, ut coeptum salutis opus ad exitum perducam, ne humani generis hostes incipiant illudere mihi illudque dicere de me, quod de Juda proditore tuo dicere poterant: *Hic homo coepit aedificare et non potuit consummare.*

„Quidquid gratiarum abs te hactenus accepi, Domine, tibi commendo. Serva, quaeso, haec dona beneficentiae tuae. Non mihi, non diabolo, nec alicui crea-

turae liceat illa subvertere. Attrahe me virtute omnipotentiae tuae et undique me sic constringe, ne propria ego voluntate male utens corruam in conspectu adversariorum meorum et deorsum praeceps agar. Nunquam me mihi relinquas, Domine, sed timoris tui freno me jugiter regas ac contineas. Ubique mei curam gere; et tentationes obvenientes sic tempera, ut ex eis non deficiam, sed magis proficiam. Tu nosti, quam fragilis sim, et quod nulla sit virtus mea. Si me deseris, non possum nisi peccare, obdurescere, obtenebrari, peccata peccatis addere, et in profundum iniquitatis demergi. Dum prospera blandiuntur, guberna me; dum adversa premunt, adjuva me; dum gaudeo, custodi me; dum tristis sum, consolare me. Nunquam permittas, Domine, servum tuum nimia pusillanimitate absorberi, sed sancta et perpetua in te fiducia confirma cor meum. Cinge me undique protectionis tuae muro inexpugnabili, et instrue me virtutis tuae armatura impenetrabili.“ *Lud. Blosi.*

Jesu, Rex regum mitissime! fac, ut adinstar invicti militis sub crucis tuae vexillo stipendia merear aeterna, tibique constanter ad extremum usque vitae halitum adhaeream. Da, ut in spirituali certamine positus semper insistam precibus, jejuniis aliisque piis operibus, neque prius arma ponam quam vitam. O Dux pugnantium! noli me mihi relinquere, sed, qui spectator es belli, esto etiam auxiliator bellantis; et qui mihi dedisti bonum viriliter inchoare, da etiam illud feliciter consummare. Amen.

FERIA III.

Vigilantia 1) sacerdoti inprimis est necessaria (propter periculorum multitudinem — hostium vigilantiam — quia custos est etiam pro aliis); 2) vigilantiae actus: saepe de hostibus et periculis cogitare et timere — in minima incursione statim arma arripere — loca debilia bene observare, clausa et munita habere.

PRECES ANTE MISSAM.

Ecclesiae Sponse pulcherrime! Domine Jesu Christe! maximas tibi grates habeo pro singulari bonitate tua, qua immortalem animam meam, sacro baptismatis fonte lotam, tibi sponsam accepisti, eique praeter candidam innocentiae vestem pretiosam insuper fidei lampadem tradidisti. Utinam mores mei hactenus ii fuissent, qui decent animam tibi desponsatam. Sed o quam imprudenter egi! candidam innocentiae stolam iterum iterumque foedavi, fideique lampadem ardentem oleo caritatis fovere destiti. Attamen non despero: nondum mihi clausa est janua misericordiae tuae. — Quin imo hac ipsa hora clamorem illum audire mihi videor: *Ecce Sponsus venit, exito obviam ei.* Te quoque, Domine Jesu, blande succlamantem audio: *Si aperueris mihi januam, intrabo ad te, et coenabo tecum, et tu mecum.* O vox suavis in auribus animae meae!

En, absque mora somnolentiam meam excutio, Domine Jesu! Accurro laetus atque libenter aperio tibi januam cordis mei, ut denuo ruam in amplexus tuos. Veni, Sponse desiderabilis! ingredere domunculam animae meae. — At quantam mihi sumo confidentiam!! Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.

Tu es enim sponsus virginum prudentium; tu cibus sponsarum innocentium; tu refectio animarum sanctarum: ego vero homo sordidus et imprudens, qui fatuarum ad instar illarum virginum negotio salutis indormivi. Jure proin merito mensam tuam adire timeo: nondum enim ad tanta mysteria rite tractanda paratus sum; necdum ardentem habeo pietatis lampadem; deest mihi sufficiens caritatis oleum; vestisque mea nuptialis, heu! quam multo squalore obsita est? — Supplex igitur obsecro te, Sponse mitissime, ut animam meam expurges ab omni reatus macula et exornes omni virtutum decore; et qui mihi gratis dedisti verae fidei lampadem, da etiam mihi plus olei caritatis tuae, quo dignior fiam introducere te in cubiculum cordis mei.

„Domine Jesu! da nobis omnibus talem caritatem, quae magis accendi sciat, extingui nesciat; quae in nobis ardeat, proximisque luceat. Lampades nostras accende, dulcissime Salvator, quae perenne lumen a te perenni Lumine accipiant, ut tenebrae nostrae illuminentur, mundi vero tenebrae procul a nobis fugiant. Sic lumen tuum largire nobis, ut tantum te videamus et desideremus; tantum te diligamus, te quaeramus ac conspiciamus. Tuum sit, quaeso, nobis pulsantibus monstrare te, amantissime Salvator! ut te solum amemus, te solum desideremus et te solum meditemur die ac nocte. Talem nobis inspirare digneris amorem, qualem tibi debemus; ut totus nos tuus possideat amor, ut praeter te aliud diligere nesciamus, qui sempiternus es Deus“ [1]. Memento etc.

---

[1] S. Columban. Abb.

PRECES POST MISSAM.

Possideo, quem unice desideravi, sponsum meum amabilissimum. ***Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.*** Vivo ego, jam non ego: vivit vero in me Christus; vivit in corde meo Salvator optimus; vivit in me Jesus meus, ***Dilectus meus, candidus et rubicundus, electus ex millibus.*** O dulce solatium! o gaudium inenarrabile! — Pronus adoro te, Sponse divine, speciose forma prae filiis hominum! Adoro te dilectissimum sponsum meum, qui me tibi emisti pretio magno. Laudo et glorifico te, bone Jesu, qui es animae meae sponsus fidelis in omnibus verbis tuis, et sanctus in omnibus operibus tuis. Pedes tuos amplexans et osculans adoro te, Domine, qui tam magno convivio refecisti me. Grates tibi pro tanto beneficio, pro dulci hoc vitae epulo, quo me liberaliter recreasti. Grates tibi, Sponse melliflue, qui me prae millenis hominibus vocasti ad veram fidem et ad dignitatem sacerdotalem, et ita peramanter invitasti me ad illas nuptias in coelo sine fine celebrandas.

Ex toto corde meo diligo te, Jesu suavissime, qui usque in finem amasti me. Scio, Domine, quanta pro me feceris et tuleris. Ut salvares animam meam (sponsam tuam) mortem crucis subiisti. Utinam et ego amore tui, Sponse carissime, vitam cum sanguine possem profundere! pro gloria nominis tui libentissime totum me sacrificarem. Incende me (precor) igne caritatis tuae, ut praeter te nihil aliud habeam in mente, nihil aliud in ore, nihil aliud in corde. Nomen tuum amabile in tabula cordis mei scribe, nulla unquam oblivione, nulla temporum longitudine delendum.

Fac, o Dilecte mi, ut assidue paratus sim ad extre-

mam vitae horam. Excita me somnolentum, ne fatuarum ad instar illarum virginum in utramque aurem dormiam, sed ut rebus meis prudenter prospiciam et ardentem in corde meo caritatis ignem nunquam extingui patiar. Conserva semper in me splendentem fidei lampadem, ut luceat lux mea coram hominibus. Domine Jesu, qui mihi hodie bibendum dedisti *vinum germinans virgines:* tu scis, quod non aliter possim esse continens, nisi tu dederis mihi; fac igitur, o Amator castitatis, ut purus sim mente ac corpore. Da, Sponse delectabilis, ut sancte vivam, sancte moriar, et aliquando virginibus prudentibus, justis illis ac electis animabus, adnumerari merear, quas sine fine laetificabis in coelesti nuptiarum aula. Qui vivis.

FERIA IV.

Sacerdos majorem, quam laici, in divina providentia habeat fiduciam, quia: 1) melius cognoscit divinam bonitatem, potentiam etc.; 2) majorem de sacerdote curam habet Deus (sacerd. curat ea, quae sunt Domini, ideo Dominus curabit ea, quae sunt sacerdotis); 3) magis debet esse avulsus a rebus terrenis.

PRECES ANTE MISSAM.

Unus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, magnus consilio, incomprehensibilis cogitatu, qui fecisti terram in fortitudine tua, et praeparasti orbem in sapientia tua! en ego, servorum tuorum minimus, accedo thronum misericordiae tuae. Debita cordis submissione laudo te, Pater providentissime, qui et volucres coe'

et pisces maris, et bestias terrae mirabiliter nutris, et das escam omni carni. Te suppliciter adoro, Deus omnipotens, qui lilia campi tam speciose vestire novisti, ac cuncta super terram ad hominis servitium condidisti. Glorifico te, o Creator amabilissime, qui me (creaturam tuam ingratam) cura vere paterna hucusque fovisti.

„Deus meus, Pater aeterne! tibi gratias ago, quod me nullius momenti pulvisculum per lavacrum sacri baptismatis ab originali culpa mundaveris et in catholica fide me educari feceris. Tu, Pater benignissime! ab ipso vitae meae exordio dignatus es me liberaliter enutrire et omnia alia suppeditare, quae corpori meo necessaria sunt. Tu, misericors Pater! miserum me, per diversa scelera vagantem, patientissime tolerasti, expectans, donec per gratiam tuam resipiscerem. Tu quoque, Pater amantissime! a periculoso saeculi hujus consortio et a peccandi occasionibus segregatum me adjunxisti servis tuis fidelibus, et opportunitatem tibi serviendi largissime concessisti mihi. Tu, Pater providentissime! ex innumeris tentationibus, angustiis, tribulationibus et periculis me hactenus clementer liberasti, totius vitae meae ordinem inter adversa et prospera mirabiliter dispensans. O suavissime Deus! pro omnibus his beneficiis, quae mihi a prima infantia usque huc elargitus es, ego ex intimis praecordiis tibi gratias ago.“ *Blosi.*

Offero supremae Majestati tuae hoc sacrificium in gratiarum actionem pro universis beneficiis, mihi et toti credentium coetui praestitis; nec non in satisfactionem delictorum nostrorum, praesertim in plenam expiationem nostrae timiditatis et diffidentiae, dum ad inanes infortuniorum umbras injusto saepe metu contremiscimus. Providentissime Deus! ignosce nobis hanc pusillanimitatem; atque per hujus oblationis efficaciam libera nos

a superflua rerum terrenarum sollicitudine. Fac, ut mittamus curas inutiles, quae dedecent filios tuos. Da nobis, dulcissime Pater, ut in omni necessitate ac calamitate mox ad te cum filiali fiducia confugiamus, et tam in adversis quam in prosperis divinam providentiam tuam adoremus. Tandem nos omnes illuc adducito, ubi paterna bonitas tua sine fine collaudabitur a nobis, Memento N.

PRECES POST MISSAM.

Quomodo rursum intrare voluisti aut potuisti cor meum immundum, o Jesu, Fili Dei? Quidnam eo compulit te, ut iterum ad me venires? — Ah, immensus solum amor tuus eousque te inclinavit, ut denuo servum tuum moerentem visitares, pusillanimem erigeres, esurientem cibares, languentem recreares. Maxima qua possum animi submissione veneror et adoro te, Verbum incarnatum! et omni reverentia tibi grates habeo pro stupenda hac caritate et munificentia tua, maxime deprecans, ut clementer ignoscas mihi, quod tam negligenter tractaverim hoc tremendum altaris mysterium.

„Jesu bone, Fili Dei! te adoro, te laudo et glorifico. Tibi Deo omnipotenti et omnibus sanctis tuis confiteor, me miserrimum esse peccatorem, et qualem tu nosti, Domine. Sicut meis meritis justificari non possum, sic tua solum magna misericordia me posse salvari profiteor. Possem quidem omnino desperare, quia longe aliter vixi, quam debui: sed illa tua magna miseratio me desperare non patitur, quae te de coelis evocavit ad terras, ne aeternum perirem.“ *Goffrid. Vind.*

Scio, Domine Jesu, tibi salutem meam curae ac cordi esse; nec ignoro, quod nihil desit homini, qr

suo non defuerit officio. Hinc etsi fortuna adversa me rebus orbaret omnibus, quae carissimae sunt in hac vita, spe tamen aeternae salutis orbare me non poterit. Spero fore, ut assidue permaneam in tua caritate et gratia sanctificante, ut, postquam in terris accurate tibi serviero, in coelis te fruar perpetuo. Idipsum ea causa spero, mi Jesu, quia Pater tuus coelestis etiam meus est Pater providentissimus.

„De tanto Patre meo jam exultat et elevatur cor meum super astra, ut omnia haec inferiora contemnam. Quid ultra mihi cum rebus terrenis? mihi, qui sum filius Dei? Majus utique dedecus esset mihi, appetere honores terrenos, quam Imperatoris filio, appetere stabularii officium. Quid ultra mihi cum divitiis terrenis, qui regni coelestis sum haeres aeternus? Ignominiosius esset mihi laborare de rebus his infimis, quam Imperatoris primogenito, cogitare de fimo animalium suorum. Quid ultra mihi cum deliciis carnis? Longe detestabilius esset mihi (mihi filio summi Regis) oblectari in creaturis, quam Imperatoris filio in sanie foetida.“ *S. Anselmus Lucens.*

O mi Jesu! despicio res caducas, quia complacuit Patri tuo dare mihi regnum aeternum. Nihil boni, nihil pulchri potest amplius in terris allicere me, qui sum haeres regni coelestis, haeres summi Boni. Ubi thesaurus meus, ibi et cor meum. Quem vero alium habeo thesaurum, nisi te, dulcissime Jesu? In te solo meum quaero et invenio gaudium. Providentiae et dulcedinis tuae gustu mirabiliter afficior, o Deus meus et Omnia! Amo te super omnia, quae sub sole sunt; et amore tui jam iterum honores mundanos repudio, voluptates obscoenas aversor et abominor, opesque perituras respuo ac conculco. — Confirma hoc, Deus, quod operatus es in me. Amen.

FERIA V.

De peccato veniali considera: 1) quid sit (quoad Deum); 2) quid efficiat (in anima); 3) quomodo puniatur (in purgatorio).

PRECES ANTE MISSAM.

Infinitae bonitatis atque potentiae tuae memores, Pater aeterne, rerum omnium Conditor, accedimus hodie thronum gratiae tuae: fiducialiter ingredimur aedem sacram ad immolandam coelestem hostiam. Immensae Majestati tuae sacrificabimus, ut coram coelo et terra palam profiteamur supremum tuum in omnes creaturas imperium; et ut tibi gratias agamus pro beneficiis tuis, maxime pro mirabili dispensatione tua, qua legem evangelicam longe lateque per omnes mundi plagas disseminasti, ita ut Ecclesia catholica doctrinam evangelii amplexa, initio tam parva veluti granum sinapis, tandem ad instar arboris amplissimae creverit suosque ramos per universum terrarum orbem diffuderit. Pro grandi hoc miraculo grates tibi persolvimus submississimas.

„Grates et laudes tibi tribuimus, Domine Deus noster, qui dignatus es nos per Unigenitum tuum redimere atque ad tui cognitionem perducere et per sacri baptismatis ablutionem inter filios adoptionis aggregare. Te laudamus, te glorificamus, o bone Deus, qui nos saepe per multa diffluentes vitia ad emendationem patienter exspectasti et a tribulationibus atque periculis multis liberasti. Tibi gratias agimus pro inchoatis in nobis tuae gratiae donis, quae nunc precamur ut misericor-

diter perficias, et omnes nos in viam salutis aeternae dirigas“ [1].

Pater, Domine coeli et terrae, qui abscondis mysteria tua a sapientibus et prudentibus, et revelas ea parvulis atque humilibus: fac nos vere modestos ac humiles corde, quo aptiores simus ad discenda fidei mysteria et ad exequendam evangelii doctrinam. Infunde cordibus nostris amorem legis christianae, quo magis despiciamus illam mundi scientiam, quae inflat. Fac, ut tamquam aquilae sublevemur alis contemplationis ad capiendam quietem in scientia sanctorum. Pater omnipotens, qui perdis sapientiam sapientium: averte sectariorum machinas et dissemina rectam fidem per regiones finitimas. Denique supplicamus tibi, Pater amantissime, ut humiliare digneris Ecclesiae inimicos, qui volucrum more superbia elati altius volant, aut in mirabilibus supra se ambulant. Trahe illos cum ceteris ad sanctam evangelii humilitatem, ut arbor Ecclesiae catholicae non solum in orbe maxima, sed etiam unica permaneat, sub cujus umbra fideles universi quietem inveniant et salutem aeternam. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Factus particeps ineffabilium munerum tuorum, Domine Jesu Christe, debitas tibi refero grates. Humili corde adoro´te Deum Salvatorem meum, qui non sola opinione, sed realiter ades in altaris sacramento. O grande fidei mysterium, quod initio quidem aeque parvum erat ac granum sinapis, sensim autem ad instar

[1] Ludolph. Carthusian.

arboris amplissimae crevit in orbe! O quam dulce hic invenirem refrigerium, si velut aquila supervolarem haec infima! At propria me socordia moratur, quo minus alte volare et optatam requiem in sublimi hoc mysterio invenire possim. Agnosco, Domine, desidiam meam. Parum adhibui diligentiae ad emundandam conscientiam meam; nec sat temporis insumsi parando me ad rem sacram paragendam. Corde frigido accessi magnum hoc amoris tui sacramentum. O bone Jesu! confiteor adversum me injustitiam ac negligentiam meam, cujus veniam a te non solum demisse peto, sed etiam fiducialiter spero: nam magna est fiducia peccatoris, cui nota est misericordia Salvatoris. Intime doleo de hac insipientia et pigritia mea, quae et propriam et alienam salutem in extremum adduxit discrimen.

Serio nunc constitui mecum, evangelicam legem tuam ad amussim servare. In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos. O quam elegantes ac vere coelestes proposuisti doctrinas, amantissime Jesu! — Juravi et statui custodire judicia justitiae tuae. Respuo perniciosa fanaticorum somnia seu sophismata, quae mergunt homines in interitum. Sola lex tua veritas est, Domine, quam per universum terrarum orbem mirifice dilatasti. O Magister verae sapientiae, Propheta magne, potens in opere et sermone, qui parabolas tuas accomodasti magis ad cordium docilitatem, quam ad ingeniorum capacitatem: aptum me redde ad perdiscenda et intelligenda sapientiae tuae arcana. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam et custodiam illam in toto corde meo. Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Scribe doctrinam evangelicam in tabula cordis mei, ut illam semper habeam prae oculis, semper in ore, semper in intellectu atque memor-

Precor te, bone Jesu, ut me meosque proximos gratiae tuae lumine digneris illustrare, ne cavillatorum argutiis aut falsis sciolorum opinionibus decipiamur, sed ut legi evangelicae, tam mirabiliter ubique propagatae, constanter adhaereamus. Et quoniam *non auditores legis justi sunt apud Deum* (Rom. 2.) *sed factores legis justificabuntur:* auxiliare nobis, ut eligamus magis operibus sanctis insudare, quam literarum scientiis aut curiosis lectionibus vacare. Conserva nos semper in illa religione, quam ipse in terris fundasti; tandemque per scientiam sanctorum perducito nos ad beatam societatem electorum tuorum. Qui vivis.

FERIA VI.

Caritas Christi erga nos erat: 1) generalis; 2) sincera; 3) efficax; 4) gratuita; 5) constans. Talis sit tua erga proximum.

PRECES ANTE MISSAM.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus! offerimus tibi *sacrificium latreuticum*, ut palam glorificemus infinitarum perfectionum tuarum plenitudinem, animisque gratis recolamus acerbissimam passionem ac mortem unigeniti Filii tui, qui pro nostra salute saevis inimicorum suorum manibus se sponte tradidit. Offerimus tibi, Pater, eundem Unigenitum tuum, quem olim in miseratione tua multa misisti ad aram crucis, immolandum pro nobis.

Quatenus hoc *sacrificium* est *eucharisticum*, offerimus illud tibi, Pater munifice, in gratiarum actionem pro omnibus donis tuis, quae hucusque nobis dedisti et deinceps daturus es; speciatim vero pro grandi illo beneficio redemtionis atque vocationis nostrae ad veram fidem, ad religionem catholicam et unice salvantem.

Quatenus istud *sacrificium* est *propitiatorium*, illud offerimus tibi, misericordissime Pater, in plenam satisfactionem ac compensationem omnium offensarum, quibus divinam Majestatem tuam adeo frequenter ad iracundiam provocamus. Ecce, Pater, dilectum Filium tuum, qui Judaeorum manibus se non ante tradidit, quam instare cerneret tempus mortis aeterno tuo consilio statutum, tibi factus obediens usque ad mortem crucis. Respice in faciem Christi tui, qui propter nos ad supremum usque vitae halitum paternae voluntati tuae morem gessit. Vide Redemtoris plagas, et dimitte redemtorum culpas.

Quatenus denique hoc *sacrificium* est *impetratorium*, id offerimus tibi, clementissime Pater, pro impetrando christianarum virtutum ornamento et incremento, praesertim obedientiae, humilitatis atque patientiae, quo paratiores simus ad perferendas iniquorum injurias. Largire nobis efficacem gratiam, ut in omnibus, sive prosperis sive adversis, tibi constanter adhaereamus. Deus, qui superbis resistis, humilibus autem das gratiam; qui contritorum non despicis gemitum, ac moerentium non spernis affectum: suscipe preces nostras una cum hoc sacrificio, quod hodie celebramus, tuam implorantes clementiam, ut, quidquid contra nos humana vel diabolica molitur invidia, consilio tuae bonitatis elidere digneris, ut tandem ab omnibus periculis angustiisque liberati, hic in Ecclesia tua militante ti[1]

grates referamus, et ibi cum Ecclesia tua triumphante laudes tuas sine fine concinamus. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Gratuita plane est tua in me caritas, o mi Jesu dulcissime, Redemtor atque Nutritor animae meae! Amori tuo satis non erat, quod tui sanguinis pretio me redemeris ab interitu: voluisti praeterea mihi dare teipsum in cibum et potum. In cruce pro me posuisti vitam: o quanta miseratio! — Nunc corporaliter habitas in pectore meo: o quanta caritas! — Utinam meritam tibi gratiam referre possem pro singulari hac beneficentia tua! — Credo, Salvator amantissime, teipsum in altaris sacramento absconditum delitescere, qui quondam ad festum scenopegiae *non manifeste, sed quasi in occulto* venisti, nec hostium manibus te prius tradidisti, quam adesset dies a Patre tuo destinatus. Adoro te, Jesu mitissime, qui miserias nostras suscepisti, non necessitate, sed amore trahente. Quamdiu fuisti in mundo, mundi laborabas odio. Imo quandoque de te *murmur multum erat in turba.* Sic ergo pro doctrinis recepisti querimonias, pro miraculis blasphemias, pro beneficiis injurias.

„Domine Jesu! quia tu patiens fuisti in vita tua, in hoc maxime implendo praeceptum Patris tui, dignum est, ut et ego miserrimus peccator secundum voluntatem tuum patienter me sustineam, et, donec ipse volueris, onus corruptibilis vitae pro salute mea portem. Nam etsi onerosa sentitur praesens vita, facta est tamen jam per gratiam tuam valde meritoria, atque exemplo tuo et sanctorum tuorum vestigiis nobis infirmis tolerabilior; sed et multo magis consolatoria, quam in lege veteri

fuerat, cum porta coeli clausa persisteret. Et obscurior etiam via ad coelum videbatur, quando tam pauci regnum coelorum quaerere curabant. Sed neque, qui tunc justi erant et salvandi, ante passionem tuam et sacrae mortis debitum coeleste regnum poterant introire. O quantas tibi gratias teneor referre, quod viam rectam dignatus es mihi et cunctis fidelibus ad aeternum regnum tuum ostendere! Nam vita tua, via nostra; et per sanctam patientiam ambulamus ad te, qui es corona nostra." *Imitat. C.*

Jesu patientissime, qui juxta voluntatem Patris tui tam crudele mortis genus subiisti: da nobis talem patientiam, ut in spiritu poenitentiae ac obedientiae quaslibet aerumnas animose feramus. Passionis tuae speculum ac crucis imaginem nobis semper ob oculos pone, ut ne gravemur amore tui modica pati, Domine, qui tam gravia tulisti amore nostri. Age nunc! excita nos torpentes; trahe nos tergiversantes post te, per viam crucis, ad illud domicilium beatorum, ubi diligentiam et patientiam nostram amplissimo beatae aeternitatis praemio decorabis. Qui vivis.

SABBATO.

Cura (in praedicatione, confessionibus excipiendis, visitatione infirmorum etc.) inprimis pauperes, nam: 1) majora habes motiva commiserationis; 2) majora argumenta consolationis; 3) plures occasiones meritorum.

PRECES ANTE MISSAM.

„Omnipotens Pater, sempiterne Deus! tu es vi

mea, tu omne bonum meum et unica felicitas mea. En ego pulvis et miser terrae vermiculus ante faciem tuam appareo, ut tibi laudes persolvam et debitas gratias agam. Ex immensa caritate et omnino gratuita bonitate creasti me ad imaginem et similitudinem tuam. Varias insuper creaturas in usum meum ac ministerium destinasti. Ab exordio vitae meae usque ad hanc horam me quoad corpus et animam pavisti et fovisti. Praeterea me ab innumeris periculis animae ac corporis aut praeservasti aut eripuisti. Quin etiam me peccatorem putidum tot annis tam longanimiter tolerasti, nec, quod centies commerueram, in sceleribus meis damnasti me, sed ad salutis viam me, licet surdum, variis modis et instinctibus admonuisti, et fugientem ac renitentem me tamdiu cohortatus es, donec tandem malitiam meam tua bonitate superasti et ad hunc sanctum salutiferumque vitae statum me convertisti. Ceterum ut in perpetua tecum felicitate gauderem, misisti Filium tuum unigenitum ad dolores et labores, ad plagas et ignominias, ad crucem et mortem.“ *Joan. Landsperg.*

In memoriam ejusdem passionis ac mortis, nec non in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, ab infinita tua bonitate acceptis, offero tibi, clementissime Pater, incruentum hoc missae sacrificium, etiam atque etiam supplicans, ut illud oculis misericordiae respicere ac clementer acceptare digneris. Hujus virtute oblationis indulge tam mihi, quam omnibus illis, quorum pro salute me precari oportet, quidquid unquam in te vel in proximum peccavimus incultis moribus aut aliis quibuslibet offensis. Per infinita hujus sacrificii merita miserere nostri, Pater omnipotens; et ex cordibus nostris evelle radicitus omnem pecuniarum amorem et divitiarum cupiditatem, quo facilius salutem nostram operemur

tutiusque regnum coelorum assequamur. Da nobis spiritum paupertatis, ut omnia bona terrena despiciamus atque coelestia solum expetamus. Praesta, summe Deus, ut egestatis incommoda patienter toleremus ac confidenter regnum coelorum exspectemus. Centuplum a te speramus in hoc saeculo et vitam aeternam in futuro. Fiduciam talem habemus per Jesum Christum Filium tuum: non quod sufficientes simus boni aliquid agere a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex te est. Quae enim impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud te. Fac itaque, bone Deus, ut, si non censu, saltem affectu relinquamus omnia mundi bona, ut inveniamur digni, qui centuplum accipiamus in hoc tempore, teque summum Bonum possideamus in saeculo futuro. Memento etc.

Ad ss. Apostolos. Vos autem obsecramus, o sancti Apostoli, qui olim relictis omnibus secuti estis pauperem Jesum, verum Dei Filium, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus: jam intercedite pro nobis; et qui aliquando in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël: estote nunc prius advocati nostri, quam adveniatis judices nostri. Impetrate nobis intercessionibus vestris divinum auxilium, ut simus fortes in fide, quam praedicastis; dociles in disciplinis, quas tradidistis; magnanimi in rerum omnium despectione, quam et verbo et exemplo docuistis: ut in novissimo die fidenter exspectemus supremi Judicis adventum. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Corde submisso veneror et adoro te, Domine Jesu

Salvator amabilissime, qui me famulum tuum nimis indignum admisisti rursus ad mensam tuam divinam, ibique pretioso corpore et sanguine tuo refecisti languentem animam meam. Maxima bonitatis tuae capior admiratione, Fili Dei vivi, Verbum caro factum! Non solum pro saeculo futuro vitam mihi spondes et paras aeternam, sed etiam in praesenti largissime omnia mihi necessaria suppeditas ad congruam vitae sustentationem. Quin imo (quod plane mirandum) in altaris sacramento teipsum mihi quotidie donas, o summum Bonum! Teipsum, ineffabile gaudium atque solatium animae meae, quotidie recipio; et ita jam in terris illud accipio centuplum, quod discipulis tuis pauperibus promisisti.

Jesu suavissime! omni qua possum animi submissione tibi gratias ago, non tantum pro hodierno mensae tuae convivio, sed etiam pro ceteris tuis beneficiis, quibus unquam me decorasti. Diligo te, mi Jesu, ex totis viribus meis: et utinam te amarem, quantum debeo et desidero! En, nunc omnia despicio transitoria, paratus relinquere omnia, quia te diligo super omnia. Tu es summa beatitudo mea, unica haereditas mea et pars mea in aeternum. —

Domine Jesu, paupertatis amator, qui propter nos egenus factus es, cum esses dives: adjuva me meosque proximos, ut Apostolorum more peritura saeculi bona contemnamus, omnibusque relictis, quae saluti nostrae possent obesse, viriliter insistamus vestigiis tuis. Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos; tu vero nec in praesepio, nec in cruce habuisti, ubi caput reclinares. Fac nos imitari tuam tuorumque discipulorum paupertatem, et ita transire per bona temporalia, ut non amittamus aeterna.

Benignissime Jesu! propter miseriam inopum et ge-

mitum pauperum nunc exurge eisque subveni: tibi enim derelictus est pauper, et orphano tu eris adjutor. Miserere super turbam, quia non habent, quod manducent, atque misere deficient, nisi tu, dives in omnes, des eis necessaria vitae subsidia. Concede illis ante omnia gratiam tuam efficacem, ut vere pauperes spiritu facti semperque animo contenti te reverenter adorent et benedicant in omnibus. Da mihi, quem in loco pascuae collocasti, sic intelligentem esse super egenum et pauperem, ut videam et sublevem teipsum in minimis fratrum tuorum; ut sciens penuriam pati pro ipsis subtraham mihi superflua, ut habeam, unde tribuam necessitatem patienti. Fac, amantissime Redemtor, ut pauperes non refugiam, sed diligam, eisque, prout possum, animo libenti distribuam de substantia mea, quae tua et illorum est. Utinam mea omnia impendam et superimpendar ipse, ut omnes lucrifaciam et eleemosynis peccata mea redimam!

Divitibus hujus saeculi potenter auxiliare, Salvator, ut habentes alimenta et vestimenta, his contenti sint, et superflua facile tribuant egentibus, quo ditiores fiant in bonis operibus. Effice, precor, ut inanes rerum fluxarum curas ceu gravissima nostrae salutis impedimenta rejiciamus, ne incidamus in laqueum diaboli, sed ut expedite nunc in via mandatorum tuorum pergamus, et tunc in novissimo die laetantes occurramus tibi Judici supremo, qui servos tuos, spiritu quidem pauperes, sed meritis (donis tuis) divites coelo recipies, ubi tu Deus noster eris omnia in omnibus. Amen.

DOMINICA XXVII. POST PENTECOSTEN.

Sacerdos paupertati studens: 1) imitatur paupertatem Christi (quae erat extrema — molestissima — voluntaria); 2) liber est a multis curis, dissipationibus, periculis; 3) consolatione fruitur divina et amore gregis; 4) multa potest merita colligere magnumque comparare praemium.

PRECES ANTE MISSAM.

Tanta est tua in me benevolentia, Domine Jesu Christe, ut te hodie jam iterum mihi donare digneris. Infinita bonitas tua provocat omnem avaritiam meam, eoque me stimulat, ut intrepide petam et accipiam, non id tantum, quod habes ac possides, sed id potius, quod ipsemet es. Te solum anhelo, desideratissime Jesu! ad te suspiro, te possidere cupio, qui es unica dulcedo ac consolatio mea. Propero nunc ad pretiosam mensae tuae alimoniam, ut inde recreatus incipiam novo mentis ardore servire tibi. — Dulci quidem isthoc convivio minime dignus sum: frequenter enim offendi te, bone Deus! Sed doleo sincere de peccatis meis, spondeoque morum emendationem. Esto mihi propitius, o Jesu, et dele iniquitatem meam. Fac, obsecro, ut, dum altare tuum accedo, nihil amplius sit in me, quod displiceat tremendae Majestati tuae. Purga cor meum ab omnibus avaritiae sordibus, quo puriorem tibi mansionem invenias. Animum meum expedi curis domesticis ac cogitationibus vanis, ne hujus celebratio missae mihi proveniat in judicium et condemnationem. Succurre paupertati meae ex immenso meritorum tuorum thesauro, et exorna me decenti virtutum decore, quo dignius sacris operari valeam. Amen.

Ad Patrem. Homagium nostrum ut denuo praestemus adorandae Majestati tuae, Pater omnipotens, aeterne Deus, jam offerimus tibi sanctissimum missae sacrificium, enixe rogantes, ut illud suscipias in gratiarum actionem pro omnibus bonis et donis, quae hactenus a te, bonorum omnium fonte, tam largiter in nos promanarunt. Per infinita hujus oblationis merita remitte nobis omnes iniquitates, illas praecipue, quas immodica rerum terrenarum cupiditate patravimus. Vide, Pater, Unigenitum tuum, qui tam indigna passus est; et reminiscere, pro quibus passus est. Da nobis, quaesumus ut, incertam mortis horam assidue prae oculis habentes, terrenas opes spernamus, bona vero coelestia sitienter appetamus. Fac, ut avaritiae labem aversantes liberali stipe sublevemus aliorum inopiam, quo pluribus misericordiae operibus affluamus. „Deus misericors et clemens! suscipe propitius munera nostra, et in cordibus nostris tuae caritatis ardorem accende, ut misericordiam erga proximum sectantes vitam consequi valeamus aeternam [1]. Memento.

PRECES POST MISSAM.

Explevisti famam sitimque meam, o Jesu delectabilis! Satiasti cordis mei desiderium, ita, ut de rebus terrenis cogitare jam ultra minime libeat. O Jesu! tu in me, et ego in te! — O felicitas inenarrabilis! o bone Jesu! o unicum gaudium meum! — Tu es portio mea, Domine! tu pars haereditatis meae. Eligant sibi alii, quidquid voluerint: ego autem teipsum mihi elegi, te summum Bonum, te pretiosissimum thesaurum, qui

[1] Missale Cluniac.

modo teipsum mihi donasti totum ac integrum. Quid tibi retribuam, mi Jesu, pro incomparabili hoc dono? quidve rependam pro ceteris totius vitae meae beneficiis, quae plane magna et innumera sunt? — Non sum compensando miserationes tuas, Domine, quia *misericordia tua magna est super me.* Saltem pro viribus semper laudabo et amabo te, clementissime Jesu, qui propitiaris omnibus iniquitatibus meis, qui reples in bonis desiderium meum et tam munifice provides singulis necessitatibus meis. Haec etiam maxima est consolatio mea, quod illuc aliquando venturum me sperem, ubi perpetuo te laudare potero.

Interim, amantissime Salvator, amore tui cunctas res terrenas aspernor ac contemtim habeo. Non spero, neque sperabo unquam in incerto divitiarum, sed in te Domino Deo solo, qui nobis omnia praestas abunde ad fruendum. Nolo de illorum esse numero, qui in multitudine divitiarum suarum gloriantur. *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* Conabor omni virium contentione fieri dives in bonis operibus mihique thesaurizare fundamentum bonum in futurum, ut apprehendam vitam aeternam. Opitulare mihi, Domine Jesu, ne unquam inficiar avaritiae labe, quam in servis tuis admodum aversaris. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam. Averte oculos meos, ne videant vanitatem, nec auri vel argenti splendore perstringantur. Fac, ut nunquam immisceam me negotiis saecularibus vel litibus alienis, unde plus damni quam emolumenti solet oriri.

Domine Deus, qui vitae et mortis habes potestatem: forsitan (nescio sane) forsitan *hac nocte* repetes animam meam a me; tu enim omnibus nobis in hac vita degentibus constituisti terminum, quem praeterire non

possumus. Effice, quaeso, ut finem meum non oblivi. sed ut diu noctuque memor sim mortalitatis meae. I. mina oculos meos, ne unquam obdormiam in mor. peccati. Da, Jesu carissime, ut non confidam incertitudini praesentis vitae, sicut dives ille stultus, cujus anima spe citius ab eo repetebatur: sed ut quotidie me praeparem ad exitum ex hoc ergastulo meo. Ratum fixumque mihi est, disponere domui meae, et illud ante omnia tractare negotium, unde mea pendet aeternitas. Absit a me, Domine, ut in re tanti momenti sim adeo incurius, stultus aut temerarius: absit, ut emendationem vitae differam de die in diem. Hodie adhuc inchoabo sancte vivere. *Dixi, nunc coepi.* Amen.

FERIA II.

Abusus gratiarum: 1) contumeliam Deo irrogat; 2) funestissimas habet sequelas (pro hac vita et altera); 3) utrumque inprimis in sacerdote (gratiae majores, scientia clarior, negligentia inexcusabilior, ingratitudo pejor — ideoque et poena atrocior).

PRECES ANTE MISSAM.

Parasti in conspectu meo mensam, o Jesu Christe, ubi solatium et auxilium invenio adversus eos, qui tribulant me. Verum mensam hanc coelestem adire vereor ac contremisco, quia vitiis undique scateo. Igitur, o tremenda Majestas! ego miser inter angustias deprehensus ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino; sub tuam protectionem confugio: et quem Ju

dicem sustinere nequeo, Salvatorem habere desidero. Miserere mei, bone Jesu! Propitius esto mihi peccatori, quem tuo sanguine redemisti. Amplius lava me ab iniquitate mea, quo purior accedam mysteria tua. Concede, Salvator, ut hoc missae sacrificium, quod ego indignus sacerdos tuus hodie peracturus sum, mihi ceterisque fidelibus prosit ad salutem aeternam. Domine Jesu, qui olim Hierosolymae ruinam aperte praedixisti, atque dissipata gente judaica credentes innumeros congregasti sub pennis misericordiae tuae: ne, quaeso, derelinquas nos propter iniquitates nostras, nec ita nos punias ob gratiarum tuarum abusum, sicut ingratos punivisti Judaeos. *Miserere plebi tuae* (Eccli. 36.) *super quam invocatum est nomen tuum.* Esto advocatus noster, et una nobiscum offer hodie Patri tuo cuncta passionis et mortis tuae merita, quo facilius omnium delictorum nostrorum veniam impetremus: ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Amen.

Ad Patrem. „Misericordissime Pater! peccavimus, impie egimus, quoniam obliti sumus mandatorum tuorum. Post cogitationes nostras pravas ambulavimus, quoniam non ita vitae nostrae rationem institutam habuimus, sicut vocatione nostra ac Christi tui evangelio dignum erat. Dilecto Filio tuo, Pater, probro fuimus et dedecori. Sacerdos juxta ac populus turpiter a te descivimus; omnes declinavimus, simul inutiles facti sumus. Miserationes tuas ob improbitatem nostram nobis ipsi praeclusimus. Tu equidem bonus; at nos inique gessimus. Tu clemens; at nos verberibus digni. Paucis pro delictorum nostrorum atrocitate flagris hucusque vapulavimus. Tu terribilis es: et quis resistet tibi? A facie tua montes contremiscunt: et magnitudini brachii tui

quis resistet? Facile est in oculis tuis, Pater omnipotens, pauperem facere et ditare, mortificare et vivificare, percutere et sanare. Peccavimus: ideo facti sumus opprobrium vicinis nostris. Usquequo, Domine, irasceris nobis? Quiesce, Domine! remitte, propitius esto. Ne nos propter iniquitates nostras in perpetuum deseras, nec alios per supplicia nostra erudias. Castiga nos, Pater, sed in mansuetudine, non in ira tua, ne paucissimos nos facias et contemtissimos omnium, qui habitant terram" [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Suavissime Jesu! debitum tibi adorationis cultum exhibeo, ac cum omni reverentia grates habeo pro summa bonitate tua, qua me rursum ad divinam mensam tuam admisisti ciboque pretiosissimo refecisti animam meam. Ignosce, Domine! ignosce mihi indigno sacerdoti tuo, quod ausus fuerim altare tuum adire et te Deum omnipotentem accipere corde meo. Domine metuende nimis, qui praedixisti ruinam urbi Jerusalem, et universae genti judaicae gravissimas irrogasti poenas ob iteratum gratiarum tuarum abusum: totus exhorresco ac contremisco, si propriam meam expendo malitiam, quae Judaeorum improbitati non multum absimilis est. Quoties voluisti me ad frugem revocare, et nolui vocem tuam audire? Plane commerui, sicut Hierosolyma, derelinqui et projici a facie tua.

„Intonas super me judicia tua, Domine, et timore concutis omnia ossa mea; et expavescit anima mea valde. Sto attonitus et considero, quia coeli non sunt

[1] S. Gregor. Nazianzen.

mundi in conspectu tuo. Si in Angelis reperisti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? Ceciderunt stellae de coelo: et ego pulvis quid praesumo? Nulla est sanctitas, si manum tuam, Domine, subtrahas. Nulla prodest sapientia, si gubernare desistas; nulla juvat fortitudo, si conservare desinas; nulla secura castitas, si eam non protegas; nulla propria prodest custodia, si non adsit sacra tua vigilantia. Nam relicti mergimur et perimus: visitati vero erigimur et vivimus. Instabiles quippe sumus, sed per te confirmamur; tepescimus, sed a te accendimur." *Imit. C.*

„O Sapientia aeterna! o Lux vera, in qua nulla sunt tenebrae! o Lux meridiana, quam inspicere, felicitas est; quam cognoscere, vita beata; quam laudare, gaudium ineffabile; quam ex toto corde diligere, summa dulcedo; cujus pulchritudinem intueri, sempiterna est jucunditas, perpetua jubilatio, immensa suavitas, perfecta laetitia, immortalis vita et consummata satietas. Quis comprehendere valet, Domine! quis enarrare sufficit, quanta sit tua erga nos caritas? Parum tibi fuit, pro nobis mortalem naturam assumere, humanitatis perferre incommoda, esurire, sitire, laborare, peregrinari, flere, contumelias pati, flagellis caedi, spinis coronari, injuste condemnari, clavis configi et demum in crucis patibulo mori. Super haec omnia, ut indicibile tuae caritatis insinuares arcanum, et beneficiorum magnitudine ad te mortalium adtraheres corda, quotidie per adspirantem gratiam et veritatis lumen atque per internam vocem, quam nemo intelligit, nisi qui secum habitare conatur, interioris hominis pulsas ad januam, non propter teipsum, sed pro hominis bono." *S. Laur. Justin.*

Suppliciter oro te, benignissime Jesu, ne desinas

clamare et pulsare ad januam cordis mei, donec intelligenter audiam et illico sequar vocem tuam. Loquere mihi, Verbum caro factum, habitans in me! Dehortare et avoca me ab omni vitio, ne forte similis efficiar ingratae genti judaicae, quae Prophetas tuos, imo teipsum occidere non dubitavit. Fac, ut etiam a levissimis abhorream noxis. Justitiae tuae rigorem mihi jugiter ob oculos pone, ne in vacuum gratiam tuam recipiam, nec abutar unquam misericordia tua; sed ut voluntariis corporis castigationibus et sponte susceptis poenitentiae operibus debitas poenas in tempore dependam tibi Judici meo. Qui vivis.

FERIA III.

Zelus, quo ardere debet sacerdos, sit: 1) purus — absque lucri vel honoris intentione; 2) universalis — absque personarum discrimine; 3) prudens — absque praecipitatione vel amaritudine; 4) constans — absque pigritia vel pusillanimitate.

PRECES ANTE MISSAM.

Liberalissime Pater, aeterne Deus, Rex regum et Domine dominantium! te reverenter adoro, te diligo, et ab omni creatura te conglorificari desidero. Laudo potentiam tuam, qua creasti omnia; laudo sapientiam et bonitatem tuam, qua gubernas ac conservas universa. Utinam illo caritatis igne semper arsissem, quem unigenitus Filius tuus venit mittere in terram et voluit ubivis accendi! Utinam omnes mecum homines supplici ter adorarent te, simulque hodie mecum offerrent tibi

sacrosancta haec munera super altari! Sed dum mortalium plurimi (proh dolor!) extra tuam Ecclesiam circumerrantes te blasphemant ac inhonorant, in eorum supplementum suscipe hoc sacrificium laudis de manibus Unigeniti tui, qui primarius offerens atque vehementi caritatis igne ardens seipsum in holocaustum acceptabile tibi repraesentat.

Aram tuam accedo, clementissime Pater, ut debitas tibi referam grates pro beneficiis humano generi datis. Immensa tua in nos beneficentia praeprimis elucet in incarnatione Verbi tui, Domini nostri Jesu Christi, cujus praeceptis informamur, cujus exemplis edocemur, cujus morte vivimus, cujus meritis ditamur, cujus gratia roboramur, cujus corpore et sanguine vescimur. Elucet infinita bonitas tua, non solum in sanctis tuis, quos singulari gratia praeventos ad coelestem gloriam evexisti, sed etiam in Ecclesia tua militante, quam et sacramentis et auxiliis tuis confortas suaviterque perducis ad vitam aeternam. At ego speciatim maximas tibi debeo grates pro naturae et gratiae donis, quibus indignum me cumulasti.

Pater amantissime! tibi nunc offero missae sacrificium in expiationem noxarum mearum, quibus offendi paternam bonitatem tuam, et de quibus intime doleo. Tibi jam offero ipsum Unigenitum tuum, hostiam propitiatoriam pro peccatis tam propriis quam alienis. Respice, Pater, in faciem Christi tui, qui propter nos miseros peccatores acerbissimo sanguinis sui baptismo baptizatus est, dum ipse corpus suum flagris dilacerari, spinis ac clavis perfodi, et in cruce necari permisit. Vide Salvatoris supplicia: et dimitte salvandorum peccata.

Denique per infinita hujus sacrificii merita rogo te, sancte Pater, ut tuam in cordibus nostris caritatem

accendere digneris. Fac, ut ex totis viribus diligamus te, et proximos nostros propter te. Da nobis sanctum ardorem, animas ad virtutis studium adducendi. Separa nos ab impiorum consuetudine, ne pravis aliorum exemplis a fide vel probitate transversum agamur, nec in novissimo die tradamur exactoribus atrocissimis, neque mittamur in illum carcerem ignitum, ex quo nulla redemtio: sed ut illuc ascendamus, ubi perpetua viget caritas et aeterna beatitudo. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Genibus flexis adoro te, Domine Jesu Christe, qui personaliter habitas in hoc cordis mei domicilio! Suppliciter a te peto veniam audaciae meae, qua miser ego peccator ad altare tuum accedere praesumsi. Inexhausta misericordia tua vocavit me pauperem ac quodammodo compulit adire mensam tuam, ubi divinae tuae reperitur affluentia largitatis. Haud enim mihi tantum sumsissem, ut tremenda tua tractarem mysteria, nisi notissima mihi fuisset dilectio tua, qua me continue prosecutus es. Grates tibi maximas habeo, suavissime Jesu, pro divino isthoc epulo, quo me hodie liberaliter refecisti; et pro ceteris omnibus donis ac bonis, quibus indignissimum me servum tuum inde a puero hactenus exornasti.

Si praeterea recogito, quanta pro salute mea feceris et tuleris, stupore defixus haereo. Dum ageres in terris, desiderio desiderasti pro me pati, pro me mori, ac cruento illo passionis baptismo baptizari, qui donec omnino perficeretur, ineffabili modo coarctatus es. Omnis mora nimis longa videbatur amori tuo. Quis non amet te, Redemtor amantissime? Cur ego hic non mo-

rior amore tui? — O me glaciem! o me lapidem! — Jesu dulcissime, qui tanto flagrabas desiderio, pro me fundendi sanguinem tuum: incende ac emolli cor meum igne caritatis tuae, ut etiam ego sincere cupiam multa pro te facere, multa pro te pati. O bone Jesu! Amor mi unice, unicum solatium ac gaudium meum! o Deus Salvator meus! ignem venisti mittere in terram: et quid voluisti, nisi ut accendatur? Succende me, inflamma me, combure me ferventissimo caritatis ardore, quo citius expediar omni peccati macula et affectione mala. „Incendatur cor meum flamma caritatis tuae, velut igne silva condensa: ut omnes cogitationes pravae tamquam spinae ac tribuli comburantur in me.“ *S. Ephraem.*

Tu ipsemet, Domine Jesu, vivus es ignis: absume in me, quidquid in me displicet oculis tuis purissimis. Ignis es divinus: accende cor meum lapideum ibique tam magnum excita incendium, ut despiciam omnes res humanas atque caducas. Ignis es immensus atque sempiternus: inflamma cor meum frigidum, ut ignis amoris tui et proximi semper ibidem ardeat. Fac, amabilissime Jesu, ut etiam inter res turbidas et afflictas ignis tuae caritatis in corde meo crescat ac magis semper exardescat. Nequissimus ego peccator ignem aeternum commerui. Age, mitte me, Domine, in ignem inextinguibilem aeternae caritatis tuae, ne virtutis ardor iterum incipiat defervescere in me, sed ut indesinenter amore tui ardeam per infinita saecula saeculorum. Amen.

FERIA IV.

Et die 29. August.

In decollatione s. Joan. Bapt.

Ebrietas sacerdotis: 1) sacerdotium dedecorat; 2) in alia vitia facile praecipitat; 3) gregem graviter scandalizat; 4) sacrilegia vix non semper post se trahit.

PRECES ANTE MISSAM.

Blanda voce nos omnes velut amicos tuos invitas ad coenam magnificam, mitissime Jesu! mensam in Ecclesia parasti lautissimam, ubi teipsum, panem Angelorum, nobis manducandum praebes. Audire mihi videor te clamantem: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* En ego non modo laboribus, sed etiam multis oneratus sum peccatis. Hinc adire timerem illud grande convivium, cui adsistunt Angeli ministrantes, nisi perspectum exploratumque haberem, te vere bonum atque liberalem esse credentium amicum. Universa, qua late patet, Ecclesia miratur atque veneratur inscrutabilem miserationum tuarum abyssum. Pleni sunt coeli et terra, non solum majestatis gloriae tuae, Domine, sed etiam abundantiae bonitatis tuae. —

Omnia, quae humano generi praestitisti beneficia, luce clarius ostendunt, incircumscriptam esse tuam erga homines caritatem. Foedissima quidem nequitiae monstra fuimus: at per te, Jesu melliflue, gratissimum aeterno Patri tuo spectaculum facti sumus. Jamjam in faucibus draconis tartarei haerebamus: nunc autem pe

te, Redemtor amantissime, nos in Deo, et Deus in nobis. Indigni quondam eramus intuitu divino: per te jam digni sumus amplexu tuo. Eramus servi, perpetuis apud inferos incendiis mactandi: per te nunc amici regesque sumus in coelo coronandi. Mortalium nemo satis intelligit, quousque nostra nos praecipitaverit malitia, et quousque tua nos exaltaverit bonitas.

Postquam infausto primi hominis lapsu omnes prolapsi sumus in miseriam miserrimam, plus satis pro nobis fecisses, Domine, si vel inducias justitiae et poenae nobis impetrasses a Patre; at obtinuisti nobis plenam debitorum remissionem. Plus satis fecisses, o bone Jesu, si vel solam nobis conciliasses veniam: at insuper comparasti nobis incomparabilem Patris tui gratiam et amicitiam. Plusquam satis pro nobis fecisses, si tantum obtinuisses nobis Dei benevolentiam: at etiam acquisivisti nobis munera divina, dona pretiosissima, meritorum thesaurum inaestimabilem ac aeternam in coelis haereditatem. Omnia denique nobis donasti, dum teipsum nobis dedisti. Semel quidem in ara crucis sacrificasti te pro nobis in expiationem delictorum nostrorum; nunc insuper teipsum totum offers et donas nobis in augustissimo altaris sacramento. Quotidie corpus et sanguinem tuum tribuis sacerdotibus in cibum et potum.

Quis non speret in te misericordissime Jesu? quis non amet te, Amice liberalissime? Auge (precor) in me fiduciam ac caritatem, ut his velut duabus alis ad mensam tuam advolare possim. Ab omni reatus macula expurga cor meum, ut ibi condignum invenias habitaculum. O Verbum omnipotens! corrobora me meosque proximos auxilio gratiae tuae, ut aversemur Herodis incontinentiam, et imitemur Praecursoris tui constantiam atque magnanimitatem. Dirige sacros Ecclesiae praesules

ac optimates, qui tam honori nominis tui, quam animarum saluti prodesse vel etiam obesse possunt. Viris apostolicis infractos adde animos, ut de exemplo Praecursoris tui sceleratorum petulantiam redarguant suoque munere rite fungantur. Fac, ut fidem nostram intrepide profiteamur et impiorum vexationes animose patiamur. Da nobis sacerdotibus, ut, quemadmodum ille praeco poenitentiae Joannes tamquam veritatis ac castitatis martyr occubuit, ita et nos pro tuenda veritate ac castitate usque ad mortem impavide certemus. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Miser ego vereque miserabilis homo, qui ne hominum quidem amore vel favore dignus sum, in corde mecum habeo teipsum, unigenite Fili Dei! — Si maximam inter te et me differentiam cogito; si magnificentiam tuam et vilitatem meam, si sanctitatem tuam et foeditatem meam, si bonitatem tuam et ingratitudinem meam, si justitiam tuam et incuriam meam, si magnitudinem tuam et parvitatem meam attente considero, jure metuo ac contremisco. — Eccur ad tantae Majestatis praesentiam prae admiratione non obstupescit anima mea? Numquid dignus eram (ego peccator) adire mensam tuam terribilissimam? Quomodo tantum mihi sumere potui, ut impuro corde meo susceperim te Deum purissimum, cujus in nomine flectatur omne genu? —

Nisi tua me consolaretur infinita misericordia, suavissime Redemtor, esset sane, cur et spem et animum abjicerem. Attamen cum sciam, quod omnium fidelium fidelissimus sis amicus, eapropter animum resumo et in spem novam erigor. Si tuam erga me caritatem at-

tentius inspicio, video plane, me plus a te diligi, quam amicus ab amico diligi soleat aut valeat. Nullus enim mortalium pro amico se catenis adstringi, sputis foedari, flagris dilacerari ac contumeliis onerari permittit. Nemo pro amico suo fit instar vermis opprobrium hominum et abjectio plebis. Miraculo foret omnibus, si amicus ullibi pro amico necem subiret atrocissimam. Haec omnia, Domine, quin imo graviora pro me sponte sustinuisti. — Quis autem amicus sua propria carne pascit amicum suum, sicut tu, bone Jesu? Hoc enimvero superat angustos ingenii mei limites. Praeterea nullus amicus tali patientia toleraret injurias ab amico illatas, sicut tu hactenus sustinuisti culpas et offensas meas. Denique nuspiam invenire est amicum, qui universam haereditatem suam amico velit donare: tu vero, Domine, vis habere me cohaeredem tuum. — Talia mihi promisisti, Domine Jesu! talia pro me fecisti atque tulisti.

Quid ego hactenus ad haec omnia? — Ah! vel unica recordatio mihi rubori est. — Te amicum meum optimum offendi saepius, et quidem noxia verecundia praepeditus. Frequenter officio meo defui, ne displicerem homini. Heu! quam longe abfui a magnanimitate Praecursoris tui! Sed ecce! pudet poenitetque me timiditatis et ignaviae meae. In posterum munia mea viriliter obibo et ad mortem usque agonizabo pro justitia. Derideant me zoili, nihil moror: dummodo me non damnes cum impiis, quorum in interitu ridebis. Tuum unice favorem aucupor; tibique soli placere desidero. Non imitabor regis Herodis intemperantiam, sed potius invictam Praecursoris tui patientiam ac constantiam. In eo cura mea versabitur omnis, ut nihil boni praetermittam ignominiae metu, nihilque mali committam amore vanae gloriae. Adhaereat lingua mea faucibus meis,

antequam vel unum proferat verbulum ad captandam inanem gloriam. Arescant prius manus meae, quam aliquid operentur, quod arrogantiam oleat.

Da, precor, Amice suavissime, ut, quae mihi nunc in animo sunt, animose perficiam, et ad tuum honorem omnia referam. Tempore tentationis in mentem mihi revoca illa Praecursoris tui verba: *Non licet tibi, non licet.* Fac, ut tibi amico meo fidelissimo fideliter adhaeream, et tecum intime conjunctus permaneam. Largire mihi perseverantiae donum inter res duras et asperas. Conforta me gratiae tuae subsidio, ne unquam indignus accedam mensam tuam terribilissimam: et tandem finita peregrinatione mea propediem me admitte ad coeleste convivium, una cum Angelis et electis amicis tui sine fine celebrandum. Qui vivis.

FERIA V.

In publicis calamitatibus: 1) excita populum ad poenitentiam et confidentiam; 2) placare stude iram Dei (oratione, oblatione, mortificatione); 3) consolare et subleva egentes vel aliter afflictos.

PRECES ANTE MISSAM.

Fabricator hujus mundi, Gubernator universi! Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis! ad te miserrimi nos peccatores in necessitatibus nostris confugimus: etenim acerbis calamitatibus populus tuus premitur variisque tribulationibus affligitur. Sectae ac haereses perturbant Ecclesiam tuam; proelia et sedi-

tiones in aliis aliisque regionibus grassantur; surgit gens contra gentem, et alibi ac alibi tumultus excitantur adversus magistratum tam civilem quam ecclesiasticum: ideoque multa animarum millia temporalis pariter ac aeternae salutis jacturam misere patiuntur. Nos vero quid dicemus ad haec? ***Justus es, Domine, et rectum judicium tuum.*** Flagella tuae iracundiae pro peccatis nostris meremur; visitas in virga iniquitates nostras, et in verberibus peccata nostra. Proin nos indignos reputamus, qui compareamus ante conspectum tuum, aut oculos ad coelum levemus.

Pater amantissime! noli sic attendere malitiam nostram, ut obliviscaris bonitatem tuam. Reminiscere miserationum tuarum, et mitiga justitiae tuae rigorem. Averte faciem tuam a peccatis nostras, et respice in faciem Christi tui, quem hodie ad aram offerimus in satisfactionem delictorum nostrorum. Respice Filium tuum unigenitum, qui sibi Ecclesiam acquisivit sanguine suo eamque sustinet ut firmum fundamentum. Propter gloriam nominis tui libera nos ab illis calamitatibus, quae reipublicae christianae gravia infligunt vulnera. Misericorditer audi clamorem Ecclesiae, et vide magnam afflictionem plebis tuae. Dolosa hostium nostrorum consilia destrue, quibus avitae religioni nostrae perniciem machinantur. Pater omnipotens! leva manus tuas in superbias eorum, qui super populum tuum malignaverunt consilium et cogitaverunt adversus sanctos tuos. —

„Deus, qui contritorum non despicis gemitum et moerentium non spernis affectum: adesto precibus nostris, quas bonitati tuae pro tribulatione nostra fundimus, implorantes, ut eas clementer suscipere digneris tribuasque, ut, quidquid contra nos diabolicae vel hu-

manae moliuntur adversitates, ad nihilum redigas et consilio bonitatis tuae confringas, ut nullis adversitatibus laesi, sed erepti de omni tribulatione et angustia, laeti tibi in Ecclesia gratias referamus per Christum, per quem te, summe Deus, rogamus, ut preces has attendas et propitiabili dignatione ad hanc nostram orationem respicias, quam tibi pro erectione a pressura nostrae infirmitatis offerimus. Jam, Domine Deus, respice super nos vultu placabili, et misericordia singulari procul a nobis amove, quod impiorum saevitia minatur, quod inimicorum pravitas infert, quod pravorum conspiratio machinatur" [1].

Respice de coelo, Domine Deus, et hominum corda, fraudibus diabolicis in varias sectas miserabiliter distracta, rursum in unione fidei pacisque conjunge. Principibus catholicis da veram inter se concordiam, ut Ecclesiam tuam sanctam ab omni heterodoxorum insultu (quoad ejus fieri poterit) sartam tectamque conservent. Largire nobis invictam fidei constantiam, ne seducamur Illuminatorum erroribus atque vaniloquiis. Neque permittas nos ire post eos, qui pestiferis suis opinionibus animos nostros depravare nituntur. Fac, ut armis spiritualibus indesinenter utamur ad repellendos inimicorum impetus. Excita in nobis amorem pariter et timorem Majestatis tuae, quo sollicitius ab omni peccato caveamus. Dirige gressus nostros in semitis tuis, ut inter res tristes aeque ac laetas viam mandatorum tuorum inoffenso pede curramus, donec aliquando feliciter attingamus metam exoptatam et de manu tua percipiamus immarcescibilem gloriae coronam. Memento etc.

---

[1] Ex Missa latina saec. VII.

PRECES POST MISSAM.

Vere habitat in corde meo dilectus Dei Patris Filius, Jesus Christus, Amor meus; Pulchritudo perfectissima, cujus visione delectantur omnes Angeli; Bonitas inexhausta, cujus thesauro ditantur omnes fideles; Potentia infinita, cujus robore fulcitur Ecclesia. In corde meo Lux vera, cujus splendore fugantur errorum tenebrae; Veritas aeterna, cujus magna vi confutantur mendacia; Sapientia increata, cujus ope franguntur impostorum consilia. — Ita sane, Jesu dulcissime! credo firmiter, in eucharistiae sacramento te realiter esse praesentem. Id docet Ecclesia tua, veritatis magistra, quam nullus unquam error decipere, nec ulla secta a vero abducere, nec ulla persecutionum incursio a firmitate sua poterit evertere. Tu enim asseverasti, Domine, aedificatam illam esse supra firmam petram, ita, ut nec portae inferorum praevalere possint adversus eam. Et Apostolus tuus ait: *Est Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.* Semper itaque stabit Ecclesia, quia nititur in te uno, tamquam firmo et immobili fundamento.

Saepe quidem, Domine, credentium coetum multis sane molestiis conflictari permittis: attamen semper rebus desperatis opportunum fers subsidium; et post labores quietem, post nubila lucem, post tempestates tranquillitatem reducis. Itaque non timebo, dum turbabitur terra et transferentur montes in cor maris. Si exurgat adversum me proelium, in te sperabo; etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. „Scio, bone Jesu, quia magna est multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te. Ergo sperabo in te, Domine, cujus sapientia non potest falli, potentia non vinci, beneficentia non fatigari, nec caritas

imminui. Si me flagellaveris, si secueris, si combusseris, si occideris me, sperabo in te, dummodo adjuves me.“ *Petr. Bles.*

Diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum et refugium meum! Nolo diligere terram, quae repentino ac improviso quandoque motu homines una cum aedibus suis deglutire, aut urbes integras sterilitate frugumque inopia premere minatur. Nolo diligere mundum, ubi tot infortunia, incommoda, proelia, scandala, incendia, jurgia, pericula et alia id genus mala grassantur innumera. Coelestem unice desidero patriam, ubi jamjam Ecclesiae tuae pars gloriosissime triumphat, ubi nihil est adversitatis sed tranquillitas aeterna, securitas optatissima, et laetitia perennis. Ex hac lacrymarum valle propediem transire cupio ad illam immortalitatis regionem, ubi tecum perpetuo laetabuntur et exultabunt sancti in gloria.

„Domine Deus salutis meae! ostendisti mihi recte vivendi viam; dedisti gradiendi scientiam et potentiam; minatus es mihi gehennam; pollicitus es mihi paradisi gloriam. Nunc confige timore tuo carnes meas, ut, quae minaris, metuendo evadam; et redde mihi propitius laetitiam, ut, quae spondes, diligendo percipiam. Fortitudo mea, Domine, firmamentum meum et refugium meum! suggere mihi, quibus te verbis invocem et quibus te operibus mitigem. Unicum scio, quo placaris. Est utique spiritus contribulatus tibi sacrificium gratum, nec despicis cor contritum et humiliatum. His me dita muneribus; his contra inimicos me custodi protectionibus. Fac, Domine, virtus salutis meae, ne sim in illorum numero, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Obumbra caput meum in die belli; esto spes mea in die afflictionis, et salus

mea in tempore tribulationis. Qui vivis.“ *S. Anselm. Cantuar.*

FERIA VI.

Confer laborem, qui a te exigitur, cum mercede, quae tibi promittitur: 1) Labor exiguus, merces copiosa; 2) l. consolationibus conditus, m. nullo labore turbata; 3) l. brevis, m. aeterna.

PRECES ANTE MISSAM.

Haud exiguo tui desiderio teneor, o Jesu suavissime! Jesu delectabilis! — Laboribus ego et aerumnis oneratus ingenti aviditate propero ad mensam tuam, ad illud ineffabile convivium, ubi servos tuos, pro nominis tui gloria laborantes, dulci recreas solatio, ubi moerentes exhilaras spiritali gaudio, ubi languentes confortas praesenti auxilio, ubi esurientes reficis sacri corporis tui epulo, sitientesque potas sanguinis tui poculo.

„Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te. Inebriantur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potas eos. Haec profecto sunt, Domine Jesu, stipendia christianae militiae. Haec sunt dona, quae spondes tuis erogare militibus, qui calcatis saeculi prosperitatibus abrenuntiatisque temporalibus divitiis tibi famulari non cessant. In te delectantur, de te ditescunt, tuoque eruditi exemplo minime verentur perferre damna, incommoda, opprobria, vincula et carceres. Eligunt potius affligi fame, siti, frigore et nuditate, quam temporalis felicitatis habere jucunditatem. Jugum tuum suavissimum assumunt, sibi nullatenus parcentes, ut tuo sine fine fruantur aspectu

jucundissimo. Hac de causa crucem suam alacriter bajulant et sequuntur te. Tu vero in eorum praecordiis delectabiliter requiescis, quemadmodum Sapientis ore (*Prov. 8.*) manifestasti, dicens: ***Deliciae meae esse cum filiis hominum.*** Non quasi homines tibi valeant aliquas conferre delicias; sed quoniam ex infinita bonitate tua delectaris communicare delicias tuas cum filiis hominum, tamquam mater, quae proprias arbitratur esse filii sui delicias. Quamobrem qui te suscipere merentur in se, tuis saginantur deliciis, teque imitari desiderant." *S. Laur. Just.*

Jesu patientissime! fac, ut in altaris sacramento digne te suscipiam. Obsecro te per merita hujus oblationis sacrae: conforta me proximosque meos, ne unquam fatigemur in via crucis, sed ut novo in dies ardore succensi saeculi blandimentis ***usque ad sanguinem*** resistamus, ***adversus peccatum repugnantes.*** Offerimus hoc sacrificium in memoriam passionis ac mortis tuae, nec non in honorem sanctorum Martyrum tuorum, qui traditi in custodias inde trahebantur ad reges et praesides propter nomen tuum; qui vapulabant in synagogis et erant odio omnibus gentibus. Memor esto, Domine, caritatis et patientiae servorum tuorum, qui olim pro nomine tuo dirissimos inter cruciatus vitam cum sanguine profuderunt. Per intercessionem illorum sanctorum Martyrum et per hujus virtutem oblationis da nobis donum patientiae ac perseverantiae finalis, et effice, quaeso, ut cupiditates nostras tyrannis saeviores vincamus et palmam de inimicis feramus, tandemque triumphum in coelis agamus jucundissimum. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Deliciis omnibus affluo, dum mecum in corde Dilectum meum habeo. Effertur anima mea summo gaudio, et exultat spiritus meus in Deo Jesu meo. Quid hoc, amabilissime Salvator? Quare non totus tuae caritatis admiratione capior et in exstasin abripior? — Eccur in amplexu tuo, Domine, non emorior? — O mi Jesu! quam bonus, quam suavis, quam benignus et patiens es Dominus! Quam magna misericordia et munificentia tua! — Amori tuo insatiabili satis non erat, pro me crudelissimam in cruce mortem obiisse: voluisti praeterea quotidie languentem animam meam visitare et dulci praesentia tua recreare.

Ah! cur infinitum amorem tuum rependere nequeo amore pariter infinito? Utinam saltem et ego tui causa diros exhaurire cruciatus atque me propter te in acerbissimam mortem tradere possem! libenter amore tui tormentis immanissimis offerrem me excarnificandum. Pudet poenitetque me, quod a cruce, a miseriis, a difficultatibus et aerumnis hactenus abhorruerim illatasque mihi injurias tam moleste tulerim. Detestor etiam turpem negligentiam et incuriam meam, qua semel atque iterum indormivi gravissimo salutis meae negotio, ita, ut oscitanter pugnaverim cum adversariis et denique cesserim eorum illecebris.

„Omnia tu vincis, Domine Jesu! at ego, tuis licet instructus armis, hostibus meis victas dedi manus. Imbellis sum, nec ad pugnam satis idoneus. Imbecillitatem igitur et socordiam meam virtute tua corrobora. Contere tela inimicorum meorum, o Rex potentissime! concede mihi, ut (dum vixero) sim totus tuus; ut, quidquid tibi placuerit, fortiter ac sine metu peragam. Cumque

semel coepero virtutis opera exercere, in dies magis per te, Domine, roborer, ut te bene juvante laudabiliter ad extremum usque vitae halitum perseverem. Negligentem me caritas tua ad egregia quaevis opera excitet, ne ullum mihi pretiosi temporis momentum praetereat bonis fructibus vacuum." *S. Ephraem.*

Jesu dulcissime, qui semper ab aeterno dilexisti me: fac, obsecro, ut et ego constanter in amore tui permaneam. Tribue mihi talem animi firmitatem, ut nullis a te flagellis vel laboribus avertar. Et quia nondum virtutis est, bene coepisse; praesta, ut illam salutis viam, ad quam me perduxisti, continuo pergam, et in fide, spe ac caritate firmiter ad mortem usque persistam: *qui enim sustinuerit usque in finem, hic salvus erit.* Domine Jesu, qui tum monitis tum exemplis tuis ad invictam nos animasti patientiam: adesto mihi jugiter auxilio gratiae tuae, ne gravi calamitatum oneri succumbam, sed ut infracto animo cunctas afflictiones meas sustineam.

„Domine Jesu, Redemtor mitissime, qui a Patre coelesti in hunc mundum missus lubens volensque pro nobis acerbissimos dolores pertulisti, tuamque crucem propriis humeris bajulasti, ut invicta haec patientia tua saluti nobis esset et exemplo: oro te miser ego peccator et tibi humillime supplico: propter illam tuam immobilem patientiam, quam in omni vita tua, praecipue vero tunc ostendisti, dum te vesani Judaei calumniis ac contumeliis obruerunt; dum in faciem tuam exspuerunt et colaphos impegerunt; dum funibus ligatum te crudelissime flagellarunt; dum capiti tuo spineam coronam impresserunt; dum manus tuas, in cruce extensas, ferreis clavis transfixerunt: dum sitientem te in summo dolore potaverunt felle et aceto; dum peractis

omnibus spiritum tuum in manus Patris commendasti et inclinato capite dixisti: *Consummatum est:* propter haec omnia, mitissime Jesu, peccator ego miserrimus infinitam misericordiam tuam imploro, ne me deseras unquam; sed ut tua mihi passio subveniat et donum perseverantiae finalis impetret, ut ad aeternam felicitatem perducar. Amen" [1].

SABBATO.

Abominatio desolationis in anima sacerdotis est peccatum mortale: 1) profanat, polluit templum Dei viventis et facit illud ditionem diaboli; 2) fugat decorem gratiae, virtutum, meritorum et inducit turpitudinem et foeditatem extremam; 3) aufert benedictionem et ingerit maledictum.

PRECES ANTE MISSAM.

Immortalis aeterne Deus, Pater omnipotens, Domine fortis, juste, magne atque terribilis! qui aliquando civitati Jerusalem attulisti vastitatem; qui hucusque poenas de Judaeis sumsisti gravissimas; qui visitas in virga iniquitates hominum, et in verberibus peccata eorum: ad immensam bonitatem tuam confugimus, accedentes sacrum altare tuum, ut inter Angelorum frequentiam offeramus tibi sacrificium propitiatorium pro peccatis nostris, quibus in dies offendimus te tuamque in nos iracundiam provocamus aequissimam.

---

[1] Jo. Fabr. in Prec. christian.

„Deus clemens et misericors! propitiare peccatis nostris et praesta, ut peccata, quae commisimus, non ad judicium tuum discutienda reserves. Si culpas, quas fecimus, et plagas, quas excipimus, conferamus: minus est, quod patimur; majus est, quod meremur. In flagellis tuis fragilitas nostra frangitur; et iniquitas nostra non mutatur. Vita nostra in dolore suspirat; sed in opere se non emendat. Si percutis, clamamus, ut parcas; si parcis, iterum provocamus, ut percutias. Illata plaga vix praeteriit; et jam obliviscitur mens ingrata, quod pertulit. Te volumus servare, quod promisisti; et nos recusamus observare, quod jussisti. Habes, Domine, confitentes reos. Parce nobis, quia bonus es.“ *S. Ansel.*

Obsecramus te, Pater amantissime, per infinita merita dilecti Filii tui, quem in medio Angelorum ad aram hodie immolabimus: ut in ira tua, quam toties provocamus, recorderis infinitae misericordiae, quam nunc imploramus. Quiescat ira tua, Domine Deus! et esto placabilis super malitia populi tui. Rogamus te, clementissime Pater, ut, quas offensus immisisti miserias, jam propitiatus submoveas. Benigne nos respice, qui spem nostram in tua bonitate habemus repositam. Averte, quaesumus, optime Pater! averte a nobis omnia mala praesentia et futura, quae meremur; ut omnes agnoscant, te indignante flagella multum ingravescere, et denuo te miserante cessare.

Pater dulcissime! per virtutem hujus sacrificii libera nos a gravi malo, a summo malo, videlicet a peccato, quod omnium malorem est principium. Ne sinas istam *abominationem desolationis* irrepere in corda nostra, quae tuae debent esse Divinitatis templa sive sacraria. Da servis tuis talem animorum fortitudinem, ut a saeculi

vanitatibus *fugiant in montes*, et aquilarum more sursum ad coelos inflammato studio rapiantur. Largire fidelibus tuis auxilium gratiae, ut a vicino peccandi periculo celerrime *discedant*, et si casu devenerint in occasionem malam, *non intrent in eam*. Poenitentes corrobora, ut a melioris vitae proposito *non descendant* in imam vitiorum voraginem, sed ut constanter in bono permaneant usque ad mortem. Hanc igitur oblationem nostram, quaesumus, ut placatus accipias diesque nostros in tua pace disponas; atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Omni qua possum animi submissione ac reverentia te adoro, Domine Jesu, te solatium afflictorum, te gaudium Angelorum, te praemium electorum. Quam mirabilis est tua in me benevolentia! — Tu rursum ad me venisti, Deus misericors ad hominem miserum, Verbum magnum ad terrae vermiculum, Creator beneficus ad creaturam ingratam, Dominus bonus ad servum inutilem, Medicus ad aegrum impatientissimum, Magister ad discipulum immorigerum, Judex ad malefactorem sceleratissimum. — Unde hoc mihi, Domine, ut iterum me permiseris appropinquare altari tuo ibique rem sacram conficere? — Repleatur os meum laude, ut decantem gloriam tuam et enarrem universa mirabilia tua. Vere magnus es Dominus et laudabilis nimis. Satis ego te laudare nequeo pro beneficiorum tuorum magnitudine. Eapropter agnoscens imbecillitatem ac impotentiam meam id unum omnibus votis exopto, ut universae creaturae in coelo et in terra mecum et pro me laudent et

magnificent nomen sanctum tuum. Benedicant et glorificent te omnes Angeli et Archangeli, qui throno divinae Majestatis tuae semper adsistunt.

Ignosce mihi, dulcissime Jesu, quod ad sacrosanctum corpus tuum non aquilarum spiritalium more, sed ut graculus accessi, sine devotione, sine mentis ardore, perturbatis cogitationibus huc illuc abductus. Parce, Domine, huic negligentiae et temeritati meae, qua hodie sacris operatus sum. Agnosco miseriam meam; fateor improbitatem meam. Ex animo vere doleo de peccatis meis omnibus, quibus unquam offendi summam bonitatem tuam. In posterum abhorrebo ab omni graviori noxa. Cane pejus et angue declinabo hanc *abominationem desolationis*. Omni cautela vitabo quascunque peccandi occasiones. Dum tempus habeo, bonum operabor, antequam me senectutis hiems occupet. Cum autem ex meipso nihil possim, necessariam a te peto gratiam. Adjuva me meosque proximos, ut nec latum unguem a susceptis melioris vitae consiliis deflectamus.

„Misericordia tua, Domine, nobis bonum concedat finem. Nosti quidem, multas esse iniquitates nostras: sed nos quoque novimus, multas esse miserationes tuas. Et nisi miserationes tuae suam pro nobis interponant gratiam, propter scelera nostra omnis salutis spes nobis praecisa est, et perimus. Domine, Domine! ne deseras nos, quos sacro corpore et sanguine tuo pavisti. Fili Dei! salva nos et animas nostras tuere. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut peccata nostra dimittas et ignorantias nostras dissimules. Aperi nobis januam miserationum tuorum. Quieta nobis tempora tribue, et nostras propitius ratas habeto preces. Qui vivis.“ *S. Ephraem.*

DOMINICA ULTIMA POST PENTECOSTEN.

Cura etiam minima, nam: 1) minima in servitio magni Domini non sunt parva; 2) a minimis saepe pendent maxima; 3) in minimis potes probare dilectionem (aliquo modo) majorem; 4) etiam de minimis judicaberis, remuneraberis vel punieris.

PRECES ANTE MISSAM.

Complaceat tibi, Pater omnipotens, aeterne Deus, acceptare de manu mea hostiam sanctam, quam hodie oblaturi sumus in honorem adorandi nominis tui et in nostrae subjectionis testificationem. Volumus per sanctum altaris sacrificium divinae Majestati tuae illum adorationis cultum exhibere, quem tibi Domine Deo ac Creatori nostro debemus; ardentissimam simul gratiarum actionem pro cunctis beneficiis, quae hactenus a te bonorum omnium fonte largiter in nos emanarunt. Volumus etiam praestare satisfactionem pro peccatis nostris et tuum implorare auxilium ad emendandos mores nostros, ut in novissimo die securi exspectemus supremi Judicis adventum.

„Pater misericordiarum et Deus totius consolationis! oramus te per nomen unigeniti Filii tui et Salvatoris nostri Jesu Christi: respice de coelo et intuere multiplicem hanc afflictionem, qua Ecclesia catholica in his aerumnosis temporibus misere vexatur, deserta penitus et desolata, nisi tu, misericors Pater, auxiliatricem manum admoveris. Infideles enim atque sectarii nos undique premunt, illi formidanda tyrannide, isti fraudibus atque mendaciis; illi corpus invadunt, hi perdunt animas. Nos quidem omnes ac singuli te graviter offen-

dimus et ad iracundiam concitavimus. Praecepta tua saepe transgressi sumus et per inobedientiam nostram haec tua in nos flagella provocavimus. Verumtamen recordare, te Patrem esse. Non in perpetuum irascaris nobis, quos ad imaginem tuam creasti et pretioso Filii tui sanguine redemisti. Ne respicias innumera delicta nostra, sed infinita Christi merita, quorum participes fieri optamus" [1]. Memento etc.

Ad Christum. „Novi, Domine Jesu Christe, indignum me esse, qui fiam particeps immaculati tui corporis et sanguinis pretiosi. Reus sum, mihique judicium manduco et bibo, si non dijudico corpus et sanguinem tuum, o Christe Jesu! Deus meus! — Sed miserationibus tuis fretus venio nunc ad te, qui dixisti: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Ah! miserere mei, Domine Jesu! neque repellas me peccatorem, sed age mecum secundum misericordiam tuam; et fiant mihi haec sacra mysteria in medelam, in purificationem, in illustrationem, in remedium salutis, in sanctificationem animae ac corporis, in propulsationem omnis imaginationis noxiae et actionis pravae; sint mihi haec mysteria in fiduciam et dilectionem, quae tendat in te; in emendationem vitae, in augmentum virtutis et perfectionis, et tandem in viaticum vitae aeternae, nec non in defensionem apud tremendum tribunal tuum. Amen" [2].

PRECES POST MISSAM.

Reapse praesens es in pectore meo, Domine Jesu!

[1] Mathias Sittard.
[2] S. Basili. lib. orat. veterum Graecor.

Sic credo, sic coram coelo et terra profiteor. Tota cordis ac corporis mei submissione reverenter adoro realem tuam in hoc sacramento praesentiam, eamque propter summam oraculorum tuorum et Ecclesiae tuae auctoritatem indubitata fide teneo. *Coelum et terra transibunt*, tua autem verba, Domine, non transibunt, nec unquam erunt inania. In hoc sacro mysterio nobiscum es semperque manebis usque ad consummationem saeculi. *In generationem et generationem anni tui* (Psal. 101.): *Initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli; ipsi peribunt, tu autem permanes;* illi *mutabuntur, tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* — Domine Jesu, Deus aeterne, qui terrifica extremi judicii signa praedixisti: heu, quomodo mihi tantum sumere potui, ut altare tuum accederem et te corde meo squalido susciperem? — Quomodo peccator ego, tot criminum reus, te Judicem meum ad aram manibus meis tam indigne tractare sum ausus? Cogitans terribilem diem illum, quo venturus es in nube cum magna majestate, merito jam nunc contremisco. Judiciorum tuorum aspectu horret anima mea, quia tu reddes unicuique juxta opera sua. Obsecro te, Judex tremendae majestatis! esto mihi propitius et clemens. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.

„Domine Jesu Christe, qui solus misericors es atque compatiens: effunde super me peccatorem multam bonitatem tuam. Suscipe deprecationes meas et dele multitudinem iniquitatum mearum. Ne rejicias me pigrum et impatientem; neque dicas mihi in die judicii: *Quid sustinuisti pro me?* Non enim est mihi misero ulla patientia. In die illa horrenda et terribili, cum totum mundum judicabis, dices nobis peccatoribus: *Nostis*

optime, quid ego pro vobis, o homines, passus sim. Deus existens, vestri causa carnem indui: propter vos in terra persecutiones tuli; et cum sine crimine essem, vestri causa fui cruci affixus mortemque sustinui ignominiosissimam; universa haec tuli propter vos: quid ergo vos, o homines, propter me passi estis? — Ad haec quid dicam ego miser peccator? Tunc quidem Martyres sua monstrabunt vulnera, tormenta et productam ad finem usque tolerantiam. Ascetae vero monstrabunt tibi jejunia, vigilias, lacrymas, voluntariam paupertatem, labores ac corporum afflictationes: ego vero peccator ignavus quid tunc ostendere habebo praeter ingluviem, iracundiam, impatientiam, arrogantiam et inertiam? Si tunc a me rationem exposces, Domine, de concesso mihi tempore ad agendam poenitentiam, quomodo excusabo negligentiam meam? Si autem etiam usque ad verba otiosa, usque ad cogitationes pravas examen subibo, qualis ibi formido, qualis trepidatio me miserum occupabit? Qualis vero postea me castigatio excipiet? — Parce, Domine Jesu! parce, Misericors! — parce, Benigne! parce, qui bonus es Dominus: neque me existimes indignum miserationibus tuis, neque in ira tua corripias me. Ne recorderis iniquitatum mearum antiquarum neque recentium. Memor esto, Domine Jesu, te omnium nostrum factum esse refugium atque salutem omnium sperantium in te. Miserere mei propter solam bonitatem tuam. Qui vivis.“ *S. Ephraem.*

FERIA II.

Deus permittit tentationes: 1) ut nos humiliet et salutarem nobis injiciat timorem; 2) ut studium nostrum inflammet; 3) ut ad se nos attrahat, ad orationem excitet; 4) ut meritorum occasionem nobis praebeat.

PRECES ANTE MISSAM.

Quamvis et gravia et innumera sint delicta mea, Domine Jesu, Fili Dei; quamvis undique vitiis scateam miser et in easdem semper incidam negligentias, quibus immensam offendo Majestatem tuam; nihilo tamen secius humili cum fiducia divinam accedo mensam tuam, fretus infinita bonitate tua, quae miseros non refugit, animos submissos non despicit, nec ullos rejicit poenitentes, sed omnes e vitiis emergentes in gratiam clementer recipit. Fiducialiter itaque venio propius ad te, o Jesu misericordissime! Te enim esurio, te valde sitio, te unicum consolatorem meum ore ac corde suscipere vehementer exopto.

„Hoc enim a nobis exigis, Domine Jesu, ut, qui in te credimus tuaeque bonitatis desideramus effici participes, teipsum in eucharistia latentem ore sumamus ad refocillationem et nutrimentum animarum nostrarum. Quicunque te cum debita reverentia, in vera fide, spe firma et ardenti caritate in memoriam acerbissimae passionis ac mortis tuae digne suscipiunt, hos per invisibilem tuam operationem omnibus bonis exornas; hos de virtute in virtutem progredi facis; hos in omni bono confirmas et aptas adversus omnia, quae illis undecunque potuerint obvenire, sive a propria carnis concupis-

centia, sive a pravis diaboli suggestionibus, sive a blandis mundi maligni illecebris et incantamentis. Sic tu in hoc sacramento digne ac reverenter in cor fidele ac humile susceptus omnia tecum bona affers animae, et quidquid in ea boni inveneris, confirmas atque multiplicas. Quemadmodum e contrario, qui te indigne suscipiunt, in mala majora (justo tuo judicio) incidere permittuntur." *Titelman. Hassel.*

„Domine Deus meus! praeveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuae, ut ad tuum magnificum sacramentum digne ac devote merear accedere. Excita cor meum in te, et a gravi torpore exue me. Visita me in salutari tuo ad gustandum in spiritu suavitatem tuam, quae in hoc sacramento, tamquam in fonte, plenarie latet. Illumina quoque oculos meos ad intuendum tantum mysterium; et ad credendum illud indubitata fide me robora. Est enim operatio tua, non humana potentia; tua sacra institutio, non hominis adinventio. Non enim ad haec capienda et intelligenda aliquis idoneus per se reperitur, quae angelicam etiam subtilitatem transscendunt. Quid ergo ego peccator indignus, terra et cinis, de tam alto sacramento potero investigare et capere? Domine, in simplicitate cordis mei, in bona firma fide, et in tua jussione ad te cum spe ac reverentia accedo; et vere credo, quia tu praesens es hic in sacramento, Deus et Homo." *Imit. C. l. 4. c. 4.*

Per hujus virtutem sacrificii concede nobis omnibus, amantissime Jesu, ut timore sancto concussi diligenter vigilemus et instanter oremus, ne forte cadamus in laqueos adversariorum nostrorum. Largire nobis debitam salutis nostrae curam ac providentiam, ne unquam discedamus a conscientia recta, sed ut omnia deinceps peccata sollicite caveamus. Da nobis animos impavidos,

ne malis aliorum moribus depravemur aut vitiis imbuamur, sed ut sanctorum vestigiis inhaerentes eamus de virtute in virtutem, quo paratiores simus ad adventum tuum. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Singularem tuam in me beneficentiam et dilectionem iterum iterumque laudo, clementissime Jesu! tibique grates habeo maximas pro summa benignitate tua, qua mihi millena inter animae pericula versanti, mihi hostibus undique cincto, mihi per viam arctam ad coelum peregrinanti, pretiosum corpus et sanguinem tuum dedisti in cibum et potum, quo facilius universa valeam pericula vitare, hostes meos superare, feliciusque salutis iter conficere. Ex hoc dulci viatico, Domine Jesu, luculenter agnosco tuam in me benevolentiam, quae nihil non in dies agit, ut salvet animam meam. O quam somnolentus fui hactenus inter tanta salutis discrimina! Etsi non raro legerim et audierim illa tua verba: *Vigilate et orate*, nihilominus oscitanter egi omnia, preces imminui vel omisi, rebusque meis propemodum indormivi.

„Confiteor tibi, Salvator mundi, omnem malitiam meam. A prima aetate factus sum reus; ad bonum tardus, ad malum pronus promtusque fui. Verum tu, Domine, miserias et iniquitates meas longanimiter tolerasti propter multas miserationes tuas, o Fili Dei! Ad vitam quidem me gratia tua vocat et trahit: sed ego promtior ad mortem pergo; nam ignaviae consuetudo me etiam nolentem ad se trahit. Ex consuetudine laqueis obstringor miser, ac inde me liberare non volo, negligentia atque socordia detentus. Proh pudor! Quo-

tidie hac super re lugeo ac suspiro: et iisdem semper affectionibus implicatus reperior. Quid tandem in die judicii faciam, quando coram tribunali tuo manifestabis omnia? Magno cor meum assidue sollicitatur timore, quoniam catenis innumerarum iniquitatum mearum constrictus sum. Scio me ibi poenas daturum, nisi jam hic te Judicem meum per lacrymas placavero. Quocirca tuis confisus miserationibus, Domine Jesu, Fili Dei, tibi supplex procido et tuam imploro misericordiam. Adjuva me, Domine! et ex iniquitatum vinculis eripe animam meam, antequam ad formidabile judicium tuum abire cogar, ubi nullum poenitentia locum habet." *S. Ephraem.*

Adjuvante gratia tua, bone Jesu, deinceps acrius vigilabo et ardentius orabo, quoad victurus sum; magnis enim passibus appropinquo ad domum aeternitatis meae. Sum adhuc in stadio, ubi currendum; in acie, ubi certandum; in procellis, ubi remigandum; in vinea, ubi laborandum; in specula, ubi excubandum. Cum autem sine te nihil possim facere, vehementer a te peto gratiam necessariam, ut possim in stadio indefesse currere, in acie viriliter dimicare, in procellis assidue remigare, in vinea tua strenue laborare, et in specula mea diligenter ad instar janitoris excubare. Dixi, nunc coepi. Tuo roboratus auxilio non desinam vigilare, orare, laborare; donec finitis vigiliis atque laboribus a te consequar mercedem magnam, requiem optatissimam, vitam aeternam. Amen.

FERIA III.

Sacerdotis, qui non praeparat se ad mortem, mors erit amara propter: 1) separationem (a propinquis, amicis — divitiis, commoditatibus — proprio corpore); 2) recordationem (gratiarum neglectarum — scelerum commissorum — damni illati); 3) exspectationem (rationis reddendae — confusionis subeundae — poenae infligendae).

PRECES ANTE MISSAM.

Missae sacrificium hodie rursum offerre cogito, Pater omnipotens, aeterne Deus, ut coram coelo et terra profitear summam potestatem tuam in omnes creaturas simulque nostram subjectionem et dependentiam. Offero tibi hanc immaculatam hostiam in gratiarum actionem pro beneficiis tuis toti Ecclesiae concessis, praecipue vero pro singulari benevolentia tua, qua speciatim me famulum tuum inde a puero fovisti, et tam misericorditer ad veram fidem, ad dignitatem sacerdotalem, ad aulam tuam coelestem vocasti. — Scio, Pater amantissime, duas solum esse vias ad coelum, nempe viam innocentiae viamque poenitentiae. Quia vero (proh dolor!) ab innocentiae via procul aberravi, sola mihi poenitentiae via superest, a me continue pergenda, si cupiam felicem oppetere mortem aeternamque consequi vitam.

Saepius equidem ad agendam poenitentiam invitasti me, bone Pater! ego autem tamquam surdus non audiebam, haerens semper in eodem luto, in eodem torpore. Post tot admonitiones ac illustrationes, post tot sacras exomologeses, semper idem mansi peccator, de incerta mortis hora minime sollicitus. Identidem peccavi, Pater! et identidem mihi pepercisti, incolumem me servasti, centiesque me reum mortis ex innumeris eripuisti vitae

periculis et incommodis. Ubique tuam expertus sum opem: et dum ubique salvus evasi, iterum iterumque peccavi, et velut undique tutus in utramque aurem dormivi. Quodsi vero monitis tuis ac conscientiae stimulis impulsus obdormire non poteram et timore salutari concussus ad frugem redire statuebam, paulo post in eandem malam occasionem, in idem me periculum ultro conjeci. Et quid factum (fluite lacrymae!)? In eundem impegi scopulum, in easdem incidi sordes ac negligentias, et ita perstiti peccator inveteratus.

Pater augustissime, cui proprium est misereri semper et parcere: tibi gratias ago pro stupenda longanimitate tua, qua tamdiu peccantem me tolerasti; suppliciter etiam oro et obtestor te, Deus misericors, ut omnia mihi delicta benigne condones. Munda cor meum ab omnibus scelerum maculis, quo dignius hodie possim operari sacris. Adjuva me ceterosque mihi similes peccatores, ut deinceps ab omni peccato abhorreamus, nec unquam a conscientia recta discedamus, quo paratiores semper ad Domini Judicisque nostri adventum simus. Assidue nobis ob oculos pone vicinam mortis horam, ex qua pendet totius sors aeternitatis nostrae. *„Omnipotens sempiterne Deus! te humiliter deprecamur, ne permittas nos perire creaturas tuas, sed concede nobis vitae spatium, ut ante diem exitus nostri per veram poenitentiam morumque emendationem tibi omnipotenti Domino in hac praesenti vita placere mereamur“* [1]. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Beneficentiam tuam, Domine Jesu, caritatem tuam,

[1] Ex Missa latina saec. VII.

qua tecum me quotidie conjungis, nec animo comprehendere, nec ore satis unquam depraedicare valeo. Rursus admisisti me peccatorem ad divinam mensam tuam, ibique recreasti me mirifico amoris tui mysterio, inaestimabili epulo, dulcissimo aeternitatis viatico, ut inde refocillatus, instaurato mentis ardore incipiam in stadio salutis currere. Grates tibi, Domine Jesu, pro incomparabili hoc beneficio. Effice, quaeso, benignissime Salvator, ut coelestis haec alimonia desideratum in me producat effectum. Fac, ut anima mea hoc convivio roborata non tantum omnem peccati umbram anxie refugiat, sed et tota virium contentione ad majorem quotidie perfectionem tendat. Sine te quid boni facere possum? Ah! propria edoctus experientia satis agnosco, quanta virium mearum imbecillitas sit.

Miserere mei, Domine (Psal. 6.) *quoniam infirmus sum:* respice misericorditer peccata mea ut aegritudines animae meae, quibus omnino fractus et debilitatus sum. *Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea:* parum in me roboris est; nutat fortitudo mea. *Et anima mea turbata est valde:* exarescit jam mentis meae vigor, resque meas emendari non video, hinc *anima mea turbata est valde.* In via sanctimoniae regredior potius quam progredior, et quolibet titubo gradu; ideo *anima mea turbata est valde.* Video, mihi jam mortis horam esse vicinam, meipsum vero piorum operum meritis vacuum, vitiis plenum omnisque consilii inopem; hinc *anima mea turbata est valde.* Centremisco totus, si miseriam meam propius inspicio. — *Sed tu, Domine, usquequo?* Quamdiu tardabis mederi malis meis? *Convertere, Domine, et eripe animam meam:* erue me ab omnibus iniquitatibus meis, antequam vadam, et non

revertar, ad terram tenebrosam. *Salvum me fac propter misericordiam tuam.* A morte aeterna libera me, bone Jesu, non propter merita mea, sed propter infinitam bonitatem tuam. Si enim mecum judicio contendere volueris, ipsus ego prior adversum me loquar, reumque mortis sempiternae meipsum pronuntiabo.

„Tibi jam nunc confiteor, Domine Jesu, cui totius aliquando viae meae rationem reddere debebo: tibi confiteor, quia nullum mandatum tuum a me perfecte custoditum scio. Cogitatione, verbo et opere me deliquisse profiteor. Sed nunc, o Domine, praevenio faciem tuam in confessione: veniam postulo pro delictis meis, teque obsecro, ut in hoc tempore acceptabili exaudias me et in his diebus salutis adjuves me, ut in praesenti valeam expiare peccata mea veniamque mereri delictorum meorum; quatenus ad tremendum judicium tuum securus ab omnibus adversarii accusationibus perveniam“ [1].

Amantissime Jesu! ad adjuvandum me festina. *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Dimitte ergo mihi poenitenti, quidquid peccavi in te. Non intres in judicium cum servo tuo, qui non habet, unde se defendat vel excuset. Patientiam habe in me, donec cunctas anteactae vitae noxas hic expiavero. Fac, ut incertam mortis horam diu noctuque prae oculis habeam et tempestive me praeparem ad adventum tuum, ne culparum mearum metus in extrema mortis hora nimium me perturbet, sed ut potius laeta recipiendae mercedis aeternae spes imperterritum reddat. Amen.

[1] Ex eadem Missa latina.

FERIA IV.

Jesus vult, ut servus suus sit: 1) bonus (per gratiam — studium perfectionis etc.); 2) fidelis (in doctrina tradenda — gratiis adhibendis — sacramentis administrandis); 3) prudens (in hostibus arcendis — occasionibus capessendis — animabus dirigendis).

PRECES ANTE MISSAM.

Gravissimo delictorum onere pressus iterum ad thronum gratiae tuae recurro, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus! Tibi supplex hic confiteor ingentem miseriam ac negligentiam meam. Debueram equidem esse *fidelis servus et prudens*, imo pius sanctusque sacerdos; id etiam esse poteram adjuvante gratia tua. Verum ego defui officio, occasioni, mihimetipsi. Si forsan alii habuissent ea salutis subsidia, quibus ego sum abusus, magnos in sanctitate progressus fecissent. Video inter laicos, inter rudes ac indoctos, qui in mediis saeculi procellis ad eximiam eluctantur sanctitatem; dum interim ego sacerdos tuus (tantis instructus adjumentis, inter tanta mysteria, quae toties accipio vel dispenso) semper in eodem languore jaceo, et illos nec a longe sequor, quos praecedere deberem. Ita, Pater! fateor culpam meam: servus tuum eram, non solum mihimet imprudens, sed etiam injuriosus in te, injuriosus in Ecclesiam tuam, injuriosus in proximos meos. — At talis in posterum non amplius ero. Jam mecum constitui, cunctas evitare negligentias, fidelius tibi servire, omnique virium contentione ad sanctitatem tendere.

Quamvis autem infirmus sim homo, multis undique cinctus inimicis: haud tamen despero, clementissime

Pater! sed demisso ac contrito corde ad immensam tuam bonitatem confugio, in qua spem meam collocatam habeo. Te igitur obsecro, bone Deus, Fabricator coeli et terrae, qui non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat: converte me per gratiam tuam in alium virum, in sacerdotem probum, in servum fidelem atque prudentem, qui tuae se voluntati semper et in omnibus accomodet. Aufer a me cor lapideum et suffice carneum, quod facillime flectatur ad nutum tuum.

Cor mundum crea in me, Deus, illudque splendido virtutum decore nunc exorna, quo honorificentius hodie sacris operari valeam. Animus enim mihi est, divinae Majestati tuae sanctissimum missae sacrificium offerre ad honorem adorandi nominis tui; in gratiarum actionem pro beneficiis tuis, toti familiae christianae praestitis; nec non in satisfactionem omnium delictorum nostrorum; et denique pro impetranda ope tua nobis omnibus necessaria. Auxiliare praesertim nobis sacerdotibus tuis, et effice nos servos tuos fideles atque prudentes: ut in hora mortis pleni meritis inveniamur et digni, quos super omnia bona tua constituas. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

„Tune, mitissime Domine, tune dignatus es me nequissimum servum tuum invisere? Sed quid dixi, servum? imo vero hostem potius, et quidem ingratissimum, qui tantis abs te cumulatus beneficiis mandata tua non feci, sed tuam toties Majestatem laesi. Domine Jesu! rogo te per infinitam illam caritatem, qua genus humanum amplecteris, quaeque te de coelis ad nos deduxit in terram et te nostrae humanitatis induit involucris;

PRECES ANTE MISSAM.

„Etiam nunc atque hodie, vultu pudore suffuso et in terram dejecto, te Dominum Deum meum omniumque rerum Conditorem alloqui audeo. Terra sum et cinis, vermis profecto et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis, sane reprehensibilis, totus dolore oppressus plenusque confusione. Quomodo in bonitatem tuam, Domine Deus, oculos meos intendam? vel quomodo confessionis meae initium faciam? Extra modum miser ego nomen tuum irritavi, et magis quam prodigus ille vixi luxuriose. Quod in me erat secundum imaginem tuam, misere corrupi, tuorumque praeceptorum vocem non observavi. Ante faciem tuam, Domine Deus, stare vix possum ad orandum. Sursum respicere et intueri coelorum altitudinem non audeo, quia turpibus desideriis januam aperiendo miserrimam meam animam pravis affectionibus inquinavi; quia illicitis cogitationibus, verbis ac operibus ad iracundiam provocavi Majestatem tuam. Conscientia mea me reprehendit vultumque meum rubore suffundit. Habeo luxuriam existentem in me, quae toties de me triumphat, quoties in gulae coeno volutor. *S. Ephraem.*

Ubinam, o Domine Deus, his malis ac incommodis meis remedium quaeram aut inveniam? Non habeo, quo confugiam, praeter mensam sacrosanctam, quam parasti in medio templi tui. Illic coeleste habetur antidotum, quo a peccatis praeservamur; ibi pabulum illud dulcissimum, quo pro laboribus subeundis roboramur. Ibi pharmacum immortalitatis et pignus futurae gloriae. Admitte me igitur, omnipotens aeterne Deus, ad coeleste hoc convivium, quod parasti in dulcedine tua pauperi servo tuo. Vehementer esurio *panem de coelo*, omne delec-

tamentum in se habentem. Summopere sitio calicem salutis perpetuae; ut inde recreatus incipiam novo mentis ardore, quae mei sunt officii, praestare. Bone Deus! munda, quaeso, cor meum ab omni vel minima peccati labe, ut rem sacram decenter peragere pretiosumque vitae pabulum digne possim accipere. Per infinita vero hujus oblationis merita rogo te, Domine Deus, ut et me et omnes conservos meos a gula et acedia longe removeas, summumque virtutis studium in nobis accendas. Miserere quoque helluonum illorum, qui negligenter agunt omnia, neque salutis suae cura tanguntur. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Habitaculum cordis mei squalidum ingressus es, Domine Jesu Christe, tuaque jucunda praesentia mirum in modum exhilaras animum meum. Omni qua possum religione adoro te, Jesu Fili Dei, tibique pro incomparabili hoc beneficio debitas refero grates. Tuus in me amor eximius est et omnino gratuitus. Ubinam gentium talis dominus, qui servum suum inutilem ac immorigerum ita fovet, ita nutrit, ita sustinet, sicut tu, Domine Deus meus? Amo te, Jesu melliflue! Saltem desidero atque votis omnibus exopto, te ardentissimo caritatis aestu complecti tibique penitissime jungi.

„Incredibilis pulchritudo tua, Domine Jesu, ineffabilis bonitas et mansuetudo tua omnium mortalium cogitationes longe excedunt. Tu solus amabilis ac desiderabilis es Dominus. Nos autem infelices ac caeci homines plus creaturas quam te diligimus. Bona caduca prae aeternis, terrena prae coelestibus, praesentia prae futuris amamus. Quis itaque servorum tuorum fidelium a

lacrymis temperabit? Ecquis talem hominum caecitatem atque proterviam non lamentabitur? Quis tantam tuam patientiam, Domine Deus, non venerabitur, non admirabitur? Quis tremendi judicii tui retributionem non timebit, gehennae videlicet ignem intolerabilem et nullis extinguendum saeculis, ubi fletus et stridor dentium, ubi dolor inconsolabilis ac cruciatus inexplicabilis?" *Simeon Jun.*

„Vix apud me sum prae formidine, si tacitus mecum ipse memoria repeto gravissima illa verba: *Serve nequam! recede a me in tenebras exteriores.* Domine Jesu Christe! si tunc temporis, ubi lolium a tritico separabitur, illa voce perjucunda: *Euge serve bone et fidelis! intra in gaudium Domini tui*, me recreare volueris, id muneris ego eximiae benignitati tuae tribuendum unice ducam, magnificeque praedicabo sine fine." *S. Ephr.*

„Domine Jesu! justissime Judex! hanc abs te gratiam peto, ut in praesenti hac vita mei ipsius omniumque mearum actionum aequus judex fiam, non palliando nec excusando peccata mea, sed ut illa sincere ac integre cum vera contritione et satisfactione saepius confitear, ut in hora mortis a te non judicer neque condemner. Adhaec supplex oro te, Domine, ut in hac vita potius ob peccata mea puniar, quam ut illorum multatio reservetur in alteram vitam." *S. Fr. Sales.*

Serva me, Domine Jesu, ab omni vitio, praesertim gulae et acediae. Da, precor, ut sacram eucharistiae mysterium debita semper reverentia percipiam, maxime vero in extrema valetudine mea, in illa tremenda hora, qua iturus sum in domum aeternitatis meae. O suavissime Jesu! dirige me meosque proximos omnes in via veritatis et salutis, ne damnemur *cum hypocritis*, sed

ut salvemur cum electis amicis tuis, quos aeternum inebriabis ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis. Qui vivis.

FERIA VI.

Arrogantia sacerdotis se manifestat in modo, quo agit cum 1) superioribus; 2) aequalibus; 3) inferioribus et subditis.

PRECES ANTE MISSAM.

Permitte mihi, benignissime Domine Jesu, ut iterum conscendam altare tuum, ut edam et bibam super mensam tuam sacrosanctam, quam disposuisti nobis in Ecclesia tua. Tu Princeps regum terrae in medio servorum es, sicut qui ministrat. In qua nocte tradebaris, in illa suprema coena, postquam humiliter ablueras Apostolorum pedes, recumbens iterum accepisti panem, et frangens dixisti: *Accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facile in meam commemorationem.* Similiter et calicem accepisti, dicens: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facile, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.*

„O stupendum miraculum! o incomprehensum ac ineffabile mysterium, in quo tu, jam sedens ad dexteram Patris in coelo, tuum corpus et sanguinem nobis donas in terris: vere corpus idem, quod olim in cruce clavis transfixum pendebat, nunc autem gloriosum in dextera Majestatis Dei residet; et vere sanguinem eundem, qui

olim e vulnerato corpore tuo in pretium redemtionis humanae profluxit. O inaudita dilectio! o mirabilis amor! Usque adeo dilexisti nos, suavissime Jesu, ut teipsum non modo Patri tuo dare volueris pro nobis in oblationem et hostiam placationis, sed etiam nobismet in cibum et potum. Cum advenisset tempus transeundi ex hoc mundo ad Patrem, non permisit caritas tua, te prorsus absentem esse a nobis, nequidem secundum humanitatem. Nam secundum divinitatem tuam omnino impossibile scimus, uspiam abesse te, qui coelum et terram imples. Fecit igitur amor tuus, ut, licet ad Patrem redieris, nihilominus nobiscum etiam secundum humanam naturam permaneas; ut, in Patris dextera gloriose residens, simul etiam apud nos in occulta humilitate lateas. Illic es in magnifica gloria cunctis coelorum ordinibus manifestus et prae ceteris eminenter conspicuus: hic autem in humilitate sub vilium specierum tegumento, sub modicae massae operimento occultatus. O rem admirandam! o sacramentum incomprehensibile! Te omnium Creatorem, immensae majestatis tuae praesentia coelos et terras implentem, ab eis tamen nequaquam comprehensum, te Angelorum Dominum, qui sedens ad dexteram Patris praecellenti claritate tua laetificas universos angelicos ordines, ad nos velle proxime accedere, apud nos velle delitescere atque morari sub eucharisticis speciebus, majestatem tuam abscondendo sub modica panis massula et paucissimi vini liquore.“ *Titelman. Hassel.*

Domine Jesu Christe! qui servis tuis cibum ac potum pretiosissimum ministras: da mihi, quaeso, necessarium gratiae subsidium, ut decenter atque revereater accedam ad hanc mensam tuam. Exorna me virtutibus sanctis, et tribue mihi augmentum fidei, spei caritatis-

que. Fac me hodie tanta animi puritate et demissione sacris operari, ut haec oblatio prosit omnibus fidelibus, vivis atque defunctis. Da, precor, benignissime Jesu, ut interim, dum praesentis exilii calamitatibus affligor, in mystica mensa tua refrigerium inveniam; et cum aliquando corporis mei deposuero sarcinam, a te recipiar in regnum tuum, ut edam et bibam super mensam tuam coelestem, quam praeparasti diligentibus te. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Clementissime Jesu, Salvator mundi! suppliciter adoro te, tibique debitum latriae cultum tribuo. Plane bonus es Dominus, qui servos tuos tam eximia complecteris benevolentia. *Reges gentium dominantur* in homines: tu autem in medio credentium es *sicut qui ministrat.* Grates tibi, Domine Jesu, pro benignitate tua, qua mihi (servorum tuorum minimo) super mensam tuam dulce viaticum ministrasti. Diligo te ex toto corde meo, Jesu liberalissime! Convivium enim, quo me hodie tam clementer accepisti, totius cordis mei amorem et affectum merito postulat, suaviter allicit, fortiter attrahit, vehementer accendit. Optimo jure diligo te, qui prior amasti me; me nondum existentem, imo resistentem me semper amasti. Jam ab aeterno mihi disposuisti gratiarum thesaurum in regno Ecclesiae tuae. Ab aeterno parasti mihi bona et dona spiritualia, quae abs te partim accepi hactenus, partim accepturus sum in posterum.

Quem diligis, o Jesu, quem diligis? Servorum tuorum ultimum diligis, quem ambitio tenet, quem arrogantia frequenter eo stimulat, ut inter alios eminere contendat. Diligis me — terrae vermiculum, quem mul-

toties superbiae tumor inflat. Heu! qua fronte ausus sum intrare sanctuarium tuum, adire mensam tuam, ibique vesci pane Angelorum? O mi Jesu! propitius esto mihi peccatori. Satis intelligo nunc insolentiam et audaciam meam intolerabilem. Ecce demitto nunc elatum spiritum meum. Propter te, Magister humilitatis, sub aliorum pedibus me humiliter incurvo, et eligo abjectus esse in domo tua. Ex meipso nihil habeo, unde gloriari possim. Agnosco et fateor, quod ex me nihil sciam nisi errare, nihil valeam nisi peccare, nihil merear nisi vapulare. Te juvante subsisto: te recedente cado.

„Tristis experientia docuit, Domine Jesu, me tum maxime lapsum esse, dum me firmiter stare credidi. Certe confidentia in meipso nunquam non causa fuit ruinae meae. Tanta est ad malum inclinatio mea, ut, nisi tuo me auxilio retineas, mea voluntas ceu pes saucius ad lapidem quemque obvium impingat. Hanc igitur imbecillitatem meam cum consideres, Redemtor mi, fac, ut infinita caritas tua me foveat ac corroboret et voluntatem meam sanet, quae sine adjutorio tuo semper infirma, languida, miserabilis et lubrica est. Perseverat in me peccati fomes, et inclinationes pravae me semper sollicitant. Vix erigo me, denuo relabor, quin propriis viribus surgere possim. Cum igitur agnoscas, Domine mi, fragilitatem meam, adhibe remedium, fer auxilium, succurre necessitati meae, conforta lassitudinem meam, medere plagis meis. Tu, Domine Jesu, tota mea fortitudo es et securitas; tu tota mea perfectio et gloria. Sine te non est gloria, non est perfectio; sine te possibile haud est, ut debilitas mea fortis evadat; et sine te nullam in periculis securitatem obtineo. Quocirca rogo te, Servator animae meae! age mecum secundum omnipotentiam et misericordiam tuam.

Aufer a voluntate mea duritiem, ab anima mea repugnantiam, a spiritu meo arrogantiam, ne ulla me subigat tentatio, nec ulla me difficultas absterreat, quin sancta proposita mea constanter exequar.“ *Palafox.*

Bone Jesu! redde me modestum et parvulum in oculis meis, ut secundum exemplar tuum sim in medio fratrum meorum *sicut qui ministrat.* Fac, ut dignitatem meam, quam mihi prae mille hominibus concessisti, moribus sanctis excolam, et tandem ad regnum tuum perveniam. Hanc gratiam a te spero, mi Jesu! Qui enim mihi teipsum dedisti manducandum, quid mihi denegabis in futurum? Qui tale mihi viaticum ministras in via, quomodo me satiabis in patria? Profecto tu ipsemet eris praemium meum inexplicabile gaudiumque meum sempiternum. Amen.

SABBATO.

Ut perseveres usque in finem: 1) ora, meditare, saepe confitere etc.; 2) time, vigila, fuge; 3) mortis semper memor esto; 4) recollectionem saepe adhibe spiritualem (inpr. exercitia spiritualia).

PRECES ANTE MISSAM.

Deus misericors, Creator omnipotens, *Pater noster*, qui nos bonitate tua, cum non essemus, ad imaginem tuam creasti; qui nos Adae filios, per peccatum perditos ac Christi tui morte redemtos, inter adoptionis filios adsumsisti; *Pater noster*, qui caritate ac cura vere paterna nos alis, foves, doces, gubernas atque conser-

vas: te supplices oramus, ut digneris tuam nobis elargiri gratiam, qua roborati mandatis tuis alacriter obtemperantes, te vere Patrem nostrum appellare mereamur. Deus immense, *qui es in coelis!* en nos filii tui, velut exules a patria, hic lugemus in terra aliena. Ad te levamus oculos nostros, qui habitas in coelis; enixe rogantes, ut animos nostros a terra sursum erigas.

Ante omnia vero, Pater coelestis, vehementer optamus, ut *sanctificetur nómen tuum:* ut, quod in seipso sanctum est ac gloriosissimum, etiam ab universis hominibus una colatur ac concelebretur; ut omnes nationes, a solis ortu usque ad occasum, te solum verum Deum adorent, diligant et timeant. Effice, Pater omnipotens, ut homines singuli religionem a te revelatam amplectantur, omnesque suas cogitationes, locutiones et actiones ad tuam unius laudem et gloriam dirigant.

Et cum abs te uno sit omnis potestas et dominatio: petimus, sancte Pater, ut in nos *adveniat regnum tuum*, ut per gratiam ac caritatem tuam ipse habites et regnes in cordibus nostris, profligatis inde tyrannicis affectionibus ac curis anxiferis, quae mergunt hominem in interitum. Fac, ut in vitae nostrae termino transire mereamur e regno gratiae ad regnum illud gloriae et beatitudinis aeternae, ubi te coram videbimus et ardenter amabimus; ubi plenissime satiabimur et replebimur in bonis domus tuae.

Pater providentissime! *fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra.* Istam nobis tribue gratiam, ut, quemadmodum in coelis Angeli divinae voluntati tuae semper obsequuntur, ita et nos in terris, in tristi hoc exilio degentes, omnia secundum sanctissimam voluntatem tuam cogitemus, loquamur, faciamus aut effugia-

mus: ut, seu vivere seu mori detur, sive prosperis sive adversis agas nobiscum, in omnibus tibi gratias agamus.

Liberalissime Pater, qui cuncta sub coelo nutris animantia: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Tribue nobis necessaria vitae subsidia, quo liberius tibi servire valeamus. Fac, ut bonis transitoriis transitorie utamur iisque caute fruamur, ne forte graventur corda nostra in crapula et ebrietate et curis hujus vitae. Cum autem non in solo pane vivat homo, da nobis etiam panem verbi tui divini veramque fidei firmitatem, ne novatorum erroribus involvamur. Adhaec, o bone Pater, da nobis digne manducare panem vitae, panem Angelorum, ut inde reficiamur ac confirmemur ad viam salutis expeditius percurrendam.

Misericordissime Pater, cui proprium est misereri semper et parcere! vides utique, talem esse carnis nostrae fragilitatem, ut iterum iterumque in eandem incurramus improbitatem; ideoque clamamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Fac nos injurias condonare conservis, ut et nos veniam consequamur et digni habeamur, in illo tremendo judicii die stare ante Filium hominis.

Dulcissime Pater! undique a salutis nostrae hostibus obsidemur et impugnamur: ideo nostrae memores imbecillitatis ad te confugimus, orantes, ut nobis in tantis inimicorum incursionibus succurras, *et ne nos inducas in tentationem.* Adde nobis animos impavidos et gratiae robur, ne unquam incidamus in adversariorum laqueos, sed ut animose pugnemus, et tandem ut invicti heroës abs te coronemur in coelis.

Bone Pater! nunquam ita nos deseras, ut consentiamus tentatori, lethiferum admittentes delictum; *sed libera nos a malo.* Sunt autem innumera mala, quae,

ut a te longius abducamur, assidue nos premunt et urgent. Sunt quotidianae necessitates; sunt diversa morborum genera; sunt bella et incendia; sunt haereses animorumque dissensiones, et alia hujus vitae incommoda. Idcirco te rogamus per hujus sacrificii virtutem, ut ab omnibus nos malis liberatos in coelestem aliquando transferas patriam, ubi nullum malum sed omne bonum. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Laudate Dominum omnes gentes; laudate Jesum meum omnes populi! Laudate eum, sol et luna! laudate eum, omnes Angeli! *quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis.* O benignissime Jesu! ego certe nunquam te satis laudare valeo neque tibi debitas referre grates pro miserationibus et beneficiis tuis, quibus me quotidie cumulare dignaris. Multo major est tuus in me amor, quam ut eum mente capere vel ore satis laudare queam. O si pari caritatis ardore te redamare possem! Accende, quaeso, dulcissime Hospes animae meae! benignissime Salvator ac Consolator meus! accende in me tui amoris ignem, ut diligam te super omnia bona creata. In te summo Bono principium est omnis amoris sancti ac consummatio omnium piorum desideriorum. Quale bonum in terra quaeram extra te, Domine Jesu, qui fons et plenitudo es omnis boni? Avelle cor meum a rebus terrenis, et tua id reple caritate et gratia, ne forte incidam in desideria inutilia et nociva.

„Domine, hoc opus est perfecti viri, nunquam ab intentione coelestium animum relaxare et inter multas curas quasi sine cura transire. Obsecro te, praeserva

me a curis hujus vitae, ne nimis implicer; a multis necessitatibus corporis, ne voluptate capiar; ab universis animae obstaculis, ne molestiis fractus dejiciar. Non dico ab his rebus, quas toto affectu ambit vanitas mundana: sed ab his miseriis, quae animam servi tui (communi maledicto mortalitatis) poenaliter gravant atque retardant, ne in libertatem spiritus, quoties libuerit, evadere valeat introire. O Deus meus! Dulcedo ineffabilis sis mihi in amaritudinem omnem consolationem carnalem, ab aeternorum amore me abstrahentem. Ecce cibus, potus, vestis ac cetera utensilia ad corporis sustentaculum pertinentia ferventi spiritui sunt onerosa. Fac tribue talibus fomentis temperate uti, non desiderio nimio implicari." *Imit. C. l. 3. c. 26.*

Saepe video vel audio, suavissime Jesu, alios ante me homines mori vel ad tumulos deferri. Cum autem in alios jam mortuos oculum circumfero? An non mihi mors impendet? Dic ergo mihi, carissime Jesu, sed ita dic, ut audiens ultra non obliviscar: *Dispone domui tuae* (Isai. 38.), *quia morieris tu, et non vives.* Haec mihi crebro succlama, vel potius indulge mihi tempus et auxilium, ut disponam domui meae, quae jamjam (adverto perbene) ruinam spectat, et si repentinus turbo ingruerit, subvertetur. Fac itaque, dulcis Jesu, ut vel hodie adhuc disponam domui meae tam ruinosae, quia nescio, quid crastina die futurum sit mecum.

Quandocunque autem tibi placuerit, Domine, me rebus humanis eripere, non reluctor; fiat voluntas tua. Desidero morte mea tibi debitum offerre sacrificium pro peccatis meis. Quidquid mors habet doloris et terroris, aequo id animo suscipio in poenam scelerum meorum. Mortis sententiam humiliter accepto, Judex tremendae

Per hóc sacrificium tibi gratias agimus, Pater aeterne, pro summa benignitate tua, qua dilectissimum Filium tuum nobis dedisti, non solum gloriosae resurrectionis nostrae obsidem, sed et doctorem justitiae, qui huic muneri suo secundum voluntatem tuam integre satisfecit, *erudiens nos* (Tit. 2.) *ut, abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo.*

Utinam pronis semper auribus audivissemus eundem Filium tuum, amantissime Pater, prout in ipsius transfiguratione praecepisti nobis! Sed, o quam negligenter hactenus divini Praeceptoris nostri monitis auscultavimus! Non absque rubore nec sine dolore fatemur, nos immorigeros esse ac indociles Christi discipulos. O clementissime Pater! ignosce nobis hanc inobedientiam et insipientiam nostram, cujus in expiationem offerimus hanc placationis hostiam una cum infinitis meritis passionis ac mortis ejusdem Salvatoris nostri.

Benigne suscipe munera nostra sacratissima, Deus misericors! et respice in faciem Christi tui, qui pro nobis deprecabitur jacens in altari. Hic est Filius tuus dilectus, in quo tibi ab aeterno bene complacuisti. Effice, Pater optime, quod ex animis optamus, ut universi mortales audiant illum Praeceptorem magnum, quem de coelo in hunc mundum misisti. Fac (obsecramus) ut, qui olim audiendo serpentem antiquum amiserunt paradisum, nunc audiendo Filium tuum dilectum obtineant coelum; et qui olim audiendo inimicum mendacem incurrerunt in mortem, nunc audiendo Magistrum veracem perveniant ad vitam. Da, benignissime Pater, ut non auscultemus impostoribus pessimis, sed optimo Praeceptori nostro: ut aures praecludamus, dum argutatur falsitas, attentosque praebeamus animos, dum loquitur

Veritas. Fac, Omnipotens, ut animose resistamus impiis, quos odio habes; firmiter autem adhaereamus dilecto Filio tuo, in quo tibi bene complaces: ut et nos aliquando post animae gloriam, quam speramus, eidem Unigenito tuo post carnis resurrectionem configuremur in gloria corporis. „Deus, qui fidei sacramenta in Unigeniti tui gloriosa transfiguratione Patrum testimonio roborasti, et adoptionem filiorum perfectam, voce delapsa in nube lucida, mirabiliter praesignasti: concede propitius, ut ipsius Regis gloriae nos cohaeredes efficias, et ejusdem gloriae tribuas esse consortes“ [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Favoris et amoris tui in me pignus ad aram accepi, Domine Jesu Christe! Pro munere hoc inaestimabili, quo nunc exhilarasti me, tota virium contentione tibi gratias ago. Praesentia tua maximae mihi consolationi est atque laetitiae. Domine! bonum est mihi, te hic esse in domuncula cordis mei. Vitiorum equidem hic vides squalorem, quo divinae tuae Majestatis oculi multum offenduntur. Sed ecce! gemens obsecro te, Fili Dei, ut abluas cor meum a scelerum maculis, quo libentius isthic habites. Adoro te, Rex aeternae gloriae, qui miranda nobis tuae Divinitatis indicia dedisti, dum in monte transfiguratus es. O Jesu pulcher ad intuendum! amabilis ad contemplandum! delectabilis ad diligendum! inflamma cor meum unico solius tuae pulchritudinis amore. Tu solus ille credentium es thesaurus,

[1] Missale Roman.

quo nullus major, nullus melior; quo nullus pulchrior, nullus suavior, nullus amabilior.

In illa mirabili transfiguratione tua, Domine Jesu, venit paterna vox de nube, dicens: ***Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*** Fac itaque, sanctitatis Magister, ut tibi libenter auscultem et obtemperem. Absit a me, ut audiam illos salutis humanae hostes, quorum hodie lenociniis atque suggestionibus tot homines ad interitum misere trahuntur. Te solum audiam in posterum. Si tuis hucusque paruissem monitis, o quantos in via sanctimoniae fecissem progressus!! — Quod autem neglexi hactenus, duplicato posthac animi fervore conabor resarcire. Adesto mihi, gloriosissime Redemtor, ut tuis praeceptis salutaribus semper ducendum me praebeam, et illuc aliquando perveniam, ubi coelites te contemplantur in gloria tua.

„Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te. Hanc ut paululum gustavit Petrus in monte, omnium inferiorum oblitus clamavit, dicens: ***Domine, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula.*** Unicam dulcedinis tuae stillam gustavit Petrus, et omnem alium fastidivit dulcedinem. Quid ergo dixisset, Domine, si ~~magnam~~ illam multitudinem dulcedinis Divinitatis tuae gustasset, quam abscondisti timentibus te“ [1]? „Si bonum fuit Petro, hic esse tecum in exilio, longe melius erit, tecum esse in patria. Si bona fuit momentanea jucunditas, multo melior erit aeterna felicitas. Si Apostolum tuum ita delectavit tua ad tempus glorificata Humanitas; incomparabiliter ex-

[1] S. Augustin.

cellentius oblectabit tua perpetuo conspecta Divinitas; Divinitas illa, in quam desiderant Angeli tui prospicere" [1]. Proin et ego te coram in coelo videre cupio. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Quando veniam et apparebo ante faciem tuam? Omnibus diebus, quibus nunc milito, exspecto, donec veniat immutatio mea. Tu es unicum desiderium et gaudium meum; unica requies et beatitudo mea: tu es Deus cordis mei et pars mea, Deus, in aeternum. Amen.

Die XV. August.

ASSUMTIO B. M. V.

Maria 1) concepta est cum caritate; 2) vixit in caritate; 3) mortua est ex caritate; 4) coronata est propter caritatem; 5) intercedit pro nobis per caritatem.

PRECES ANTE MISSAM.

Indignus ego sacerdos tuus suppliciter adoro te, Domine Jesu Christe, Fili Dei unigenite, qui propter nos perditos homines de excelso coelorum habitaculo venisti in hanc terram miseriarum, ut ab interitu nos vindicares. Laudo et magnifico te, clementissime Jesu, qui ex Maria Virgine humanam assumsisti naturam, ut nobis coelum aperires illucque viam monstrares. Summas tibi grates habeo, Domine, pro eximiis gratiae do-

[1] S. Petrus Cluniac.

nis et virtutibus, quibus dilectam Matrem tuam exornasti; pro mirabili gloria et honore, quo Mariam in coelum assumtam coronasti, eamque super omnes Angelorum choros elevatam in throno locasti ad dexteram tuam; nec non pro singulari benignitate tua, qua illam nobis dedisti matrem atque patronam.

„Gratias ago tibi, amantissime Jesu Christe, pro innumeris beneficiis tuis, mihi indignissimo praestitis. Gratias ago tibi pro tua incarnatione, nativitate, infantia, adolescentia, passione, morte, resurrectione et ascensione. Gratias ago, quod me vilissimum peccatorem admittere dignaris ad vivificum sacrae mensae tuae convivium. Bone Jesu! per illum amorem, qui te pro me mori coëgit, oro te, ut ab omni peccato me penitus emundes tibique per omnia gratum acceptumque reddas. Exorna pauperculam animam tuis meritis ac virtutibus. Praesta, ut humili reverentia et ardentissimo caritatis affectu offeram tibi sanctum missae sacrificium in memoriam eorum omnium, quae pro salute mea fecisti et tolerasti. Fac, ut illud devote perficiam ad gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimae Genitricis tuae Virginis Mariae, ad utilitatem Ecclesiae tuae, ad salutem meam et omnium fidelium vivorum ac defunctorum“ [1]. Memento etc.

Ad B. V. Mariam. „Sancta Maria! exaltata super choros Angelorum, gloriosa in perpetuum Regina coelorum, quae benigna es omnibus ad te clamantibus! exorabilis esto mihi peccatori, te humiliter invocanti. Adjuva me, quaeso, per gaudia gloriosae tuae assumtionis in coelum. Intercede pro me, ut sancte vivere et finem vitae meae in confessione peccatorum meorum,

[1] Ludov. Blosi.

insuper, quod majus est, in vera fide, in confessione nominis Jesu, et in perceptione corporis et sanguinis ejus feliciter terminare possim. Ora pro me, sancta Dei Genitrix, ut per tuam intercessionem aliquando merear in regnum aeternum ingredi, in quo tu gloriosa exultas, Regina Angelorum et hominum. Amen." *S. Anselm.*

PRECES POST MISSAM.

Humiliter abjicio me ad pedes tuos, Domine Jesu, Rex immensae majestatis! Submisso corde peto veniam nimiae temeritatis meae, qua denuo celebravi tremendum altaris sacrificium et tam indigne sumsi sacrum corpus et sanguinem tuum. O benignissime Salvator! misericorditer respice ministrum tuum, qui suam hic agnoscit et deplorat inertiam. Suscipe servum tuum in bonum, Domine Jesu, qui ex Maria Virgine formam servi accepisti. Miserrimi hominis, tuis pedibus advoluti, miserere, bone Jesu, qui propter miseros homines homo factus es. Confidens ego de tua tuaeque Matris benignitate tantum mihi hodie sumseram, ut accederem mensam tuam.

In gratiarum actionem pro dulci hoc cibo et potu non habeo, Domine, quod tibi retribuam vel offeram, nisi cor meum. Incende illud totum igne amoris tui, suavissime Jesu! Fili Mariae! Avelle cor meum ab omnibus saeculi vanitatibus, et purga illud a qualibet affectione mala. Tibi soli junge me vinculo caritatis arctissimo, ne quid ultra me possit a te separare. Cur non et ego mori valeo prae amoris vehementia, sicut amantissima Mater tua Maria? Utinam mihi quoque vitam adimeret fortis ut mors dilectio! — Cupio dissolvi et esse tecum in coelis. Desidero post hanc vitam illuc

assumi, ubi Mater tua Maria super Angelorum choros exaltata sedet a dextris tuis. Ah quando liberabor de corpore mortis hujus, de hoc ergastulo ruinoso?

Dulcissime Jesu! fac me vivere sine peccato et sine adhaesione ad res creatas, ut cum Maria moriar sine timore et sine tristitia. Et qui cordis humilitatem esse solam exaltationis viam docuisti, concede propitius, ut exemplo Matris tuae Mariae hanc, qua tibi placuit, virtutem sectando, illius gloriae merear esse particeps. Elationis spiritum a me longe repelle, ac concede mihi donum modestiae et patientiae, ut tandem ad supernam immortalitatis regionem pertingam, ubi perdilectam Matrem tuam gloria et honore coronasti. Qui vivis.

Ad B. V. Mariam. Benignissima Virgo Deipara! Regina Angelorum, quae nobis verae humilitatis exempla praebuisti: impetra mihi similem animi demissionem, quae ad supernam me provehat gloriam; et quae stetisti juxta crucem Filii tui morientis, adsiste mihi aliquando cum morte luctaturo. „O benedicta Maria! per ultima illa verba, quibus te Filius tuus alloquebatur in cruce, dicens: ***Mulier, ecce filius tuus;*** supplex oro te, ut me in filium tuum suscipias pro ultimo illo testamento. Materno semper affectu prosequere me. Et quamquam nunc in coelo sedeas exaltata, maternum tamen affectum non depone, Virgo benedicta! nec enim decet, ut obliviscaris testamenti Filii tui. Ipse pro me hostia esse non desinit, etiamsi nunc in coelo ad dexteram Patris sedeat: tu quoque mihi mater, ut eras, semper maneas. Et jam in coelis habitans eo magis te mihi matrem exhibeas, quo plus (utpote proxima Deo) apud eum vales. Postula pro me salutarium dona gratiarum, ut per Filii tui passionem ac mortem haereditatem vitae aeternae tecum merear adipisci, pariterque in

aspectu Filii tui laetari per infinita saecula. Amen.“ *Titelman. Hassel.*

Die XXIV. August.

S. BARTHOLOMAEI APOST.

Ut Feria IV. intra Hebd. V. post Pentecosten.

Die XXIX. August.

DECOLLATIO S. JOAN. BAPT.

Ut Feria IV. intra Hebd. XXVII. post Pentec.

Die VIII. Septemb.

NATIVITAS B. V. MARIAE.

1) Magna est Mariae gloria, quod in gratia est concepta et nata — magna nostra ignominia, quod in peccato sumus concepti et nati; 2) major est Mariae gloria, quod gratiam semper conservavit — major nostra ignominia, quod gratiam per peccata perdidimus; 3) maxima Mariae est gloria, quod per ipsam et alii gratias accipiunt — maxima nostra ignominia, quod per scandalum a nobis datum etiam alii gratiam amiserunt.

Preces ut in festo immac. concept. VIII. Decembr.

Die XIV. Septemb.

EXALTATIO S. CRUCIS.

Crux 1) quondam lignum ignominiae — nunc signum honoris; 2) quondam lignum maledictionis — nunc signum et fons benedictionis; 3) quondam lignum dolorum — nunc fons dulcedinis et consolationis.

PRECES ANTE MISSAM.

Amabilissime Deus, optime Pater, qui totum mundum in maligno positum et in flagitiorum squalore jacentem per Unigeniti tui humilitatem erexisti: concede nobis famulis tuis, ut ejusdem passionis ac mortis memoriam ad altare tuum recolentes divinissima munera digne offeramus in gratiarum actionem pro gloriosissimo crucis triumpho, illius nempe crucis, in qua Salvator mundi exaltatus a terra mortem devicit criminumque nostrorum vincula disrupit, omnia trahens ad seipsum. Gratias agimus tibi, clementissime Pater, pro stupenda illa caritate, qua dilectus Filius tuus propter nos offerri et mactari voluit in ara crucis, cujus hodiedum effigies in altaribus nostris exponitur ad populi venerationem.

Offerimus tibi, Pater omnipotens, Unigenitum tuum qui pro nobis in cruce pendens emisit spiritum. Respice in faciem Christi tui, qui hodie velut in ara crucis a sacerdotibus in altum elevatur populoque adorandus ostenditur. Respice, Pater, in faciem Christi tui, *qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.* Vide illas Unigeniti tui lacrymas pro nobis effusas. Audi preces supplicationesque Filii tui,

qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Exaudi clamorem validum hujus summi pontificis nostri Jesu Christi, qui, sicut olim exaltatus in cruce, ita quotidie jacens in altari, acclamat tibi: *Pater, dimitte illis.*

Deus misericordissime! Pater coelestis! dimitte nobis debita nostra per infinita Christi crucifixi merita; et, si forte *princeps hujus mundi* nos oppugnaverit, tuo nobis adesto gratiae subsidio, ne succumbamus illius tentationibus sive machinamentis. Ad meliorem mentem revoca seductores vaniloquos, *inimicos crucis Christi;* dissipa novatorum consilia malignantium, qui nos a cruce Salvatoris abstrahere nituntur. Da quaesumus, ut ad unum omnes crucem diligamus, crucem teneamus, crucem adoremus, eamque tam arcte complectamur, ut inde nulla vi dimoveri valeamus. Largire nobis per merita Mediatoris nostri crucifixi, quem oblaturi sumus ad aram, ut tantum in ejus cruce quaeramus gloriam ac consolationem nostram. Memento etc.

PRECES POST MISSAM.

Domine Jesu Christe! Amor mi crucifixe! jam denuo intrasti cor meum, ut expansis veluti brachiis animam meam exciperes eamque traheres ad te. Ruo in amplexus tuos, dulcissime Jesu, ibique suaviter requiesco. Magnam nunc sentio laetitiam ac consolationem, dum in brachiis tuis haereo, considerans caritatem tuam perpetuam, qua me tam blande traxisti ad fidem, ad literarum studia, ad sacerdotium, ad altare tuum, ad teipsum. Ut pro peccatis meis satisfaceres et redimeres me, post alia supplicia manus pedesque tuos clavis perforari ac cruci affigi permisisti. Per saluti-

fera haec vulnera tua, quae reverenter exosculor; per has plagas, quas in cruce positus et exaltatus tulisti pro me, suppliciter obsecro te, ut ignea caritatis tuae cuspide vulneres animam meam. Amor tuus aeque, ac sermo tuus, vivus est et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti. Transfige, Domine, transfige cor meum gladio dilectionis tuae, ut ex hoc amoris vulnere ubertim mihi fluant lacrymae. Tu olim in cruce exaltatus a terra paulo post traxisti ad te nationes innumeras, *quia fortis ut mors dilectio.* Crux tua facta est Apostolorum laetitia, Martyrum gloria, afflictorum consolatio, credentium spes unica. Proh caecos saeculi amatores, qui non in cruce tua gloriantur, sed in divitiis, in honoribus aliisque vanitatibus!!

„Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce tua, Domine Jesu! Magna quidem mihi gloriatio, quod pro me coelum, sidera et alias creaturas fecisti: sed multo major mihi gloriatio, quod tu pro me formam servi accipiens factus es similis mihi. Magna mihi gloriatio, quod me cunctis animantibus praeposuisti: sed sine comparatione major mihi gloriatio, quod teipsum, totius creaturae Dominum, pro me puellae Virgini et fabro subdidisti. Magna mihi gloriatio, quod (si amicus tuus fuero) me coronaturus es in coelo: sed major mihi gloriatio, quod pro me inimico tuo flagellatus, illusus ac consputus es. Magna mihi gloriatio, quod (si justus fuero) me ditaturus es in regno tuo: sed multo mihi major gloriatio, quod pro me peccatore in extrema paupertate pependisti ex crucis arbore. Pro me tu morte turpissima condemnatus et cum latronibus es crucifixus. Mihi ergo absit gloriari, nisi in cruce tua, Domine.“ *S. Laur. Just.*

„Avelle cor meum a rebus terrenis, et trahe me

ad te, Domine Jesu! dixisti enim: *Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.* O felices, quoscunque diligis, quoscunque trahis! Quo autem trahis, quos diligis et amplecteris, nisi ad cor tuum dulcissimum? Beati, quos tuus illuc trahit amplexus; beati, quos in medio cordis tui abscondis, foves ac protegis. O quam suaviter in abscondito cordis tui requiescunt justi, dulcissima spe exspectantes mercedem promissam" [1]. Bone Jesu! ecce, princeps hujus mundi, per crucem tuam ejectus foras, etiamnum me a te abstrahere conatur. Semper itaque mihi adesto, et daemonis incursiones a me propulsa. „Nec in manibus inimici hujus relinquas me, neque ratos esse conatus ejus improbos sinas, Domine Jesu, qui corpus et sanguinem tuum immiscuisti mihi, et frontem meam regali crucis tuae signo decorasti. Qui vivis." *S. Ephraem.*

Die XXI. Sept.

S. MATTHAEI APOSTOLI.

Ut Feria VI. intra Hebd. XXII. post Pentecost.

---

[1] Guilhelm. Cluniac. Abb.

Die XXIX. Sept.

S. MICHAELIS,

et omnium ss. Angelorum.

SS. Angeli sacerdotum exemplar: 1) Deum laudant, et ad laudandum Deum homines invitant; 2) spiritus sunt et sancti, et ad vitam spiritualem (castam) et sanctam homines incitant et adjuvant; 3) beati sunt, et ad beatitudinem homines (animas sibi commissas) perducunt.

PRECES ANTE MISSAM.

Dominator coeli et terrae! Pater immensae majestatis! denuo quidem ingredi cupio sanctuarium tuum, sed vix audeo. Timeo plane vilis ego terrae vermiculus adrepere ad altare tuum et in conspectu Angelorum operari sacris. Tremendam Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Columnae coeli contremiscunt et pavent ad nutum tuum. Quanto itaque metu peccator nefandus concutiatur necesse est, qui toties se reum fecit criminis laesae majestatis? Quomodo progrediar ad aram tuam? qua fronte veniam in conspectum tuum, Deus terribilis, qui vel in Angelis tuis reperisti pravitatem? Totus expavesco, si horribilem cogito lapsum Luciferi et Angelorum ejus complicium, quos propter suam superbiam de coelorum altitudine projecisti in profundissimum poenarum barathrum.

„Deus, propitius esto mihi peccatori. Indulge mihi indigno famulo tuo, quia peccator sum et indignus, qui

praesumam ad sanctum altare accedere et invocare te, quia peccavi coram te et coram sanctis Angelis tuis. Sed per illorum intercessionem tribue mihi indulgentiam delictorum meorum" [1].

Miserere mei, clementissime Deus, et purifica me ab omni reatus macula, ut animo puro conscendam altare tuum. Exorna me congruo virtutum decore, quo decentius in medio Angelorum choro hostiam coelestem immolare valeam. Per infinita hujus sacrificii merita nobis omnibus tuam largire gratiam, omnipotens Deus, ut juxta exemplum Michaëlis Archangeli sanctum induamus zelum nominis et honoris tui divini, nec aliud spectemus, quam ut in omnibus glorificeris Deus. Fac, Optime, Maxime, ut sanctorum Angelorum more pareamus ad nutum tuum semperque faciamus voluntatem tuam, unice intenti promovendae gloriae tuae et animarum saluti. Memento NN.

Ad ss. Angelos. Vobis quoque supplicamus, o sancti Angeli et Archangeli, qui Christo Domino in coelis regnanti semper ad ministrandum adsistitis, ac celebrantibus sacerdotibus frequentes altaria cingitis: orate pro nobis, ut eundem Jesum, vestrum nostrumque panem, ita tractemus ac comedamus, ut digno illius esu et usu corda nostra confirmentur ad exequenda Dei mandata. O sancti Angeli! comitamini nos ad aram; custodite nos in omnibus viis nostris, donec tandem eductos nos ex ista temporum caligine ad lucem aeternam, ad patriam coelestem deducatis. Amen.

---

[1] Ex Missa latina saec. VII.

PRECES POST MISSAM.

„Miser ego peccator et indignus sacerdos flecto genua mea coram te Domino et Salvatore meo, qui me creasti, redemisti, conservasti. O Jesu Christe! verus Deus et Homo! te in corde meo praesentem adoro, de vivi corporis et sanguinis tui veritate atque praesentia nihil omnino dubitans. Et utinam te ita contemplari ac cognoscere, ita diligere, adorare et laudare possem, sicut tot sanctorum Angelorum millia summo gaudio te contemplantur, adorant, diligunt atque collaudant, nullo unquam in tuis obsequiis taedio vel fastidio affecti. Ave, salus mundi, aeternum Patris Verbum, hostia viva, vita aeterna! O vere pretiosum thesaurum mundorum cordium! o vivum Angelorum cibum! o panem coeli longe praestantissimum! Tu certa fidelium spes; tu vera poenitentium salus; tu languentium efficacissima medicina; tu miserorum ac inopum dulcissima consolatio. Benedictus sis igitur, o dilectissime Domine Jesu Christe! Tibi omnes Angeli, tibi Cherubim ac Seraphim una cum universis creaturis laudes et gratiarum actiones concinunt, quod amore nostri de coelo descendens immaculatum corpus tuum pro nobis in ara crucis obtuleris; quod in coelum ad Patrem rediens nobis idipsum vivum et immortale corpus, in solatium simul ac salutem, tam benigne donaveris, ac in pignus summae tuae erga nos dilectionis in hoc sacramento reliqueris“ [1]

Diligo te, bone Jesu! ideoque de peccatis atque negligentiis meis sincere doleo. Maxima sollicitudine deinceps invigilabo saluti meae. Sed quid ego boni

[1] Petr. Canisi.

praestare possum ex me? Angelicae Potestates, spiritus coelestes, nihil a se boni habent, sed omnia perceperunt a te. Quid igitur a me homine miserrimo poteris exspectare, Rex Angelorum, nisi quod tu gratis mihi donaveris? Obsecro te itaque, Jesu suavissime! da mihi gratiam tuam, ut totis viribus imitari studeam sanctorum Angelorum innocentiam, puritatem, obedientiam, modestiam ac caritatem.

Quemadmodum magna est benignitas tua, Domine, dum nobis spiritus coelestes deputasti custodes atque ministros, ut nos ubique dirigant: ita vicissim magna est ingratitudo nostra, dum illorum ministeria parvi facimus, eorumque salutaria monita rejicimus, malignis autem diaboli suggestionibus toties acquiescimus. Parce nobis, o Jesu, Fili Dei! parce nobis caecis hominibus. Da nobis veniam insipientiae nostrae, qua perniciosis potius daemonum consiliis, quam Angelorum sanctorum monitis auscultavimus.

Parcite et vos, sancti Angeli, humanae salutis custodes! parcite nobis hominibus ingratis, qui tam saepe vos gloriosos principes, spiritus coelestes, et in vobis vestrum nostrumque Dominum Deum inhonoramus ac offendimus. Impetrate nobis apud communem totius universi Monarcham criminum nostrorum remissionem; et assidua protectione vestra nos ita defendite, ut ex hac lacrymarum valle, superatis omnibus obstaculis, ope vestra illuc perveniamus, ubi vestrae adscripti jucundissimae societati Deum ac Creatorem nostrum una voce laudabimus in aeternum. Amen.

Die XXVIII. Oct.

SS. APOSTOLORUM
SIMONIS ET JUDAE THADDAEI
et in Primitiis Neo-Mystae.

Per ordinationem: 1) a mundo es segregatus; 2) Deo mancipatus; 3) ad divina destinatus; 4) potestate et gratiis vere divinis armatus. Quaenam igitur obligationes tuae? quaenam proposita?

PRECES ANTE MISSAM.

Domine Jesu Christe! Verbum caro factum! Agnus Dei! benignissime Redemtor, qui pridie, quam passus es, in suprema coena missae sacrificium instituisti, et sanctos Apostolos eorumque successores novi foederis sacerdotes designasti: non dubito, quin me singulariter ames. Si namque praeteritos vitae meae annos respicio, certissima tuae in me benevolentiae ac caritatis indicia deprehendo. Non modo fortunae et gratiae bona tribuisti mihi, sed etiam ex singulari favore provexisti me ad eximium sacerdotii honorem. Profecto non ego te elegi, Domine, sed tu gratis elegisti me in sacerdotem tuum et posuisti me in hoc sublimi dignitatis gradu, ut irem de virtute in virtutem et sanctimoniae fructum afferrem in patientia. Ex tanta hominum multitudine elegisti me, ut essem minister Ecclesiae tuae et dispensator mysteriorum tuorum. Quis ego, Domine Jesu? aut quaenam merita mea, ut tantis hucusque me cumulaveris beneficiis? Sola bonitas tua eo te compulit, ut ingratum me peccatorem in amplissimo dignitatis gradu collocaveris.

„O quam honorabilis sacerdotii dignitas! Haec enim eximia gratia et excellens potestas sacerdotum, te Deum et Dominum infinitae majestatis contingere manibus et aliis dando porrigere! Super insigni hoc spectaculo stupet coelum, miratur terra, contremiscit homo, reveretur angelica celsitudo. Sed unde hoc mihi, Domine Jesu, ut ego vermiculus reptans super terram, ego pulvis et cinis, te praesentem habeam prae manibus et oculis? te, qui sedes ad dexteram Patris? te, qui uno eodemque momento, ab ortu solis usque ad occasum, ubique praesens es, unus in multis, idem in diversis locis. Unde hoc mihi? Certe non ex debito, non ex merito meo, sed ex propensa voluntate tua et ex dulcedinis tuae beneplacito“ [1].

Parasti in conspectu meo mensam, o bone Jesu! Convivium magnum hodie parasti in dulcedine tua pauperi, Deus! — Quamvis igitur ob piacula mea minime dignus sim operari sacris, omni tamen cum fiducia progredior ad mensam convivii tui, ad sanctum altare tuum, ut totius Ecclesiae nomine divinum illud offeram sacrificium, quod ipsemet instituisti et offerri praecepisti. Jam nunc id offerre intendo ad laudem et gloriam adorandae Majestatis tuae; in honore beatae virginis Mariae, sanctorum tuorum Apostolorum omniumque coelitum; in memoriam acerbissimae passionis ac mortis tuae; in gratiarum actionem pro universis beneficiis, mihi totique credentium coetui unquam praestitis vel praestandis; in plenam satisfactionem omnium delictorum nostrorum; et denique pro impetranda gratia tua, mihi sacerdoti tuo et omnibus proximis meis necessaria.

---

[1] Anonymus saec. XII.

„Memento, Domine, Episcopi nostri N. cum reliquis omnibus Episcopis orthodoxis. Canitiem ipsis venerandam concede: multis annis eos conserva, pascentes populum tuum cum omni pietate et sanctitate. Memento, Domine, presbyterii et omnis ordinis ecclesiastici. Memento etiam paupertatis meae, Domine Deus, qui me (licet indignum) ad te vocare dignatus es. Delicta juventutis meae et ignorantias meas ne memineris, sed secundum multitudinem miserationum tuarum memento mei. Si enim iniquitates observaveris, Domine, quis poterit coram te sustinere? Quia apud te propitiatio est, visita me et purifica me. Ubi abundavit peccatum, ibi superabundet gratia tua. Memento etiam, Domine, fratrum nostrorum infirmorum, et eorum, qui male affecti sunt. Eripe nos, Domine Deus, ab omni machinatione et infestatione perversorum hominum, ab omni plaga a te immissa, quae peccatorum nostrorum causa nobis accidit; et conserva nos in fide orthodoxa et in observatione mandatorum tuorum“ [1]. Memento NN.

PRECES POST MISSAM.

Summa religione veneror et adoro te, Domine Jesu Christe, qui nunc in pectore meo verissime praesens es. Indubitata fide credo, teipsum in altaris sacramento realiter adesse. Grates tibi, Redemtor mundi, pro singulari tua benevolentia, qua me peccatorem in sacerdotum tuorum numero posuisti, meque hodie ad aram tuam, ad sacrum mensae tuae convivium admisisti. Grates tibi, Jesu amantissime, pro aeterna providentiae

[1] Ex Liturgia s. Jacobi Apost.

tuae dispositione, qua elegisti me sanctorum Apostolorum successorem tuorumque dispensatorem mysteriorum. Haud ignoro, Domine, praestantissimam esse sacerdotii dignitatem: at aeque scio, quantum mihi oneris, quantum laboris impositum sit; simulque fateor et agnosco virium mearum inbecillitatem.

Quapropter, o Jesu! per infinitum amorem tuum, quo humanam induisti naturam mortemque crucis subiisti; per immensam bonitatem tuam, qua sanctos Apostolos in universum mundum misisti ad praedicandum evangelium; per caritatem tuam perpetuam, qua me segregasti a plebe, ut tuus essem minister: per ineffabile corporis et sanguinis tui sacramentum, cujus me hodie fecisti participem: oro et obtestor te, ut efficacem mihi largiaris gratiam ad obeunda munia mea. Redde me virum apostolicum, ut talentis a te acceptis diligenter utar, et in omnibus functionibus meis (ad exemplum sanctorum Apostolorum) aliud non quaeram, nisi nominis tui gloriam, proximorum salutem, propriamque mei ipsius perfectionem. Domine Jesu, qui in amplissimo dignitatis gradu me posuisti, quo uberiorem sanctimoniae fructum afferrem: illumina mentem meam splendore gratiae tuae, ne unquam obliviscar officii mei, nec audiam hujus saeculi prudentiam a te reprobatam, sed ut attentius auscultem tibi divino Doctori justitiae moresque meos instituam secundum normam evangelii, quod Apostoli nobis scripto reliquerunt. Et si forte (quod absit) propter nimiam naturae meae fragilitatem ab officio vel paululum discederem, absque mora reducito me ad bonam frugem, ne profundius ruam. Accende me tali proximorum amore, ut omnibus omnia fiam. Corrobora me adversus injustum mundi odium, quod praenuntiasti ministris tuis. Assi-

duum denique precandi studium mihi tribue, bone Jesu, qui dedisti fidem, id omne nos impetraturos, quodcunque petierimus Patrem in nomine tuo. Amen.

Ad Patrem. „Gratias tibi ago, Pater omnipotens, quas possum maximas pro universis donis ac beneficiis tuis, quibus me miserum peccatorem cumulasti, maxime vero, quod non meis meritis, sed tua gratuita bonitate, justa vocatione, manuumque impositione ac episcopali benedictione, me ad sacerdotale munus eligere dignatus es, majorem mihi quam Angelis sanctis tribuens potestatem, nimirum ut sacri corporis et sanguinis Filii tui Jesu Christi essem dispensator. Per hanc tuam immensam misericordiam, quae superat omnia opera tua, te invoco, benignissime Pater, ut sacrificium, quod ad tui sanctissimi nominis gloriam obtuli, per intercessionem beatorum Apostolorum omniumque sanctorum tibi Deo meo sit gratum et acceptum, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, salutarem praebeat effectum; peccata mea praeterita deleat, a futuris me custodiat, devotionem in me semper augeat, a perversis cogitationibus me expediat, nec non a subitanea et aeterna morte me eripiat; fidem solidam, spem firmam, caritatem perfectam, omniumque virtutum perseverantiam mihi tribuat, ac omnibus vivis et defunctis ad vitam et requiem sempiternam proficiat. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen“ [1].

---

[1] Ex Manuali Joan. Suicard. Ep. Mogunt.

Die I. Novemb.

OMNIUM SANCTORUM.

Inter sanctos prae ceteris sacerdos venerari, invocare, imitari debet (post B. V.): 1) ss. Apostolos aliosque sacerdotes apostolicos; 2) sanctum cujus nomen gerit; 3) patronos suae ecclesiae v. parochiae; 4) sanctos, qui iisdem, quibus ipse, tentationibus laborarunt, vel quorum virtutibus characteristicis praecipue eget.

PRECES ANTE MISSAM.

Pater omnipotens, sempiterne Deus! ecce, nos miseri homines, nos exules filii Evae, continuo suspiramus ad terram repromissionis, ad illam coelestem patriam, quo jam innumeri fratres nostri, naturae quondam conditione nobis simillimi, te auxiliante praecesserunt, quo et nos (adjuvante gratia tua) per illorum vestigia et patrocinia perventuros speramus. Bone Pater, qui tam abundanter reples desiderium omnium sanctorum: numquid non reservasti et nobis filiis tuis unam benedictionem? En filiali cum fiducia confugimus ad thronum gratiae tuae tibique nunc offerimus altaris sacrificium in gratiarum actionem pro multiplicibus donis, quibus Ecclesiam tuam, et militantem in terris, et triumphantem in coelis, largiter exornasti; maxime pro tantis gratiarum subsidiis, quibus sanctos tuos sic corroborasti, ut per medios hostium laqueos ad altissimum perfectionis gradum ascenderint et tam eximia nobis virtutum exempla praebuerint.

Sed o quam procul aberravimus a sanctorum tuorum vestigiis! Erravimus a via virtutis, et lassati sumus in via iniquitatis. Miserere nostri, clementissime

Pater, et respice in faciem Christi tui, quem hodie super altari offerimus, ut per infinita ejus merita et per omnium sanctorum intercessiones exsolvas nos criminum vinculis. Da, bonorum omnium Largitor, ut sanctorum tuorum vestigiis alacriter insistamus, *et tantam habentes impositam nubem testium* (Hebr. 12.) *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Fac, ut omni studio semper ad altiorem sanctimoniae gradum nitamur, tot antecessorum exemplis animati, tot praesidiis muniti, tot praemiis invitati. *Mirabilis Deus in sanctis tuis!* da fortitudinem plebi tuae ad sequenda illorum vestigia.

„Deus misericordiarum! dignos effice nos, ut omnium illorum, qui a saeculo tibi placuerunt, memoriam agamus, Patrum sanctorum, Patriarcharum, Prophetarum et omnium sanctorum. Rogamus te, Domine! constitue nos in illa beata congregatione; statue nos per gratiam tuam inter electos illos, qui scripti sunt in coelis. Idcirco enim memoriam illorum agimus, ut, dum ipsi stant coram throno tuo, nostrae quoque tenuitatis et infirmitatis meminerint, tibique nobiscum offerant sacrificium hoc tremendum et incruentum, ad custodiam quidem eorum qui vivunt; ad consolationem infirmorum et indignorum, quales nos sumus; et ad quietem eorum, qui in fide vera dudum obierunt. Amen“ [1].

Ad omnes sanctos. Invocamus etiam vos, o sancti gloriosissime cum Christo triumphantes in coelis! obsecramus vos per infinitam misericordiam, qua Deus vos ab aeterno praedestinavit, vocavit, justificavit ac glorificavit: orate pro nobis Optimum Maximum, qui vos pridem ex hac lacrymarum valle transtulit in re-

[1] Ex Liturg. s. Jacobi Apost.

gionem immortalitatis; intercedite pro nobis, ut divino adjuti subsidio calcatam a vobis virtutis viam ingrediamur. „Miseremini nostri saltem vos amici nostri! Nostis ipsi periculum nostrum; nostis figmentum nostrum; nostis ignorantiam nostram et dolos adversariorum nostrorum; nostis illorum rabiem et nostram fragilitatem. Vobis supplicamus, qui in eadem tentatione fuistis, qui eosdem superastis conflictus et eosdem laqueos evasistis; qui didicistis ex his, quae passi estis, compassionem“ [1]. Intercedite pro nobis, ut tandem mereamur associari vobis in coelesti gloria. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Gaudio magno replevisti animum meum, o Jesu melliflue! Exultat spiritus meus in te, Domine Deus, qui es caput ac corona sanctorum omnium. Vere bonus atque misericors Salvator es, qui me languentem in hac peregrinatione cibo potuque divino jam denuo recreasti, quo ardentius festinarem ad terram promissionis, ad coelestem patriam. Pro hac inaestimabili benevolentia tua nescio tantas tibi reddere grates, quantas debeo et ex animo reddere cupio. Omnium itaque sanctorum invoco turbam magnam, ut omnes illi mecum et pro me debitas tibi grates laudesque tribuant. Innumera mihi hucusque dedisti beneficia, Domine Jesu! Grato nunc animo recordor illius bonitatis tuae, qua me famulum tuum indignum ad venerandam sacerdotii dignitatem evexisti et eximiis ornasti donis. Praeterea mihi optabilem promisisti gloriae coronam, perpetuam in domo tua mansionem ac coelestis aulae beatitudinem.

[1] S. Bernard.

Quocirca volo deinceps (juxta sanctorum exempla) viriliter pugnare contra hostes salutis meae, sciens, neminem coronari, nisi qui legitime certaverit. Peccata quaelibet anxie vitabo, quia peccatores, nisi resipiscant, arcentur ab aula tua coelesti, *nec intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Volo sanctorum tuorum pressius sequi vestigia, quoniam ad coelum mihi haud alia patet via.

Attamen ego imbecillis homo quid possum absque auxilio gratiae tuae? *Velle adjacet mihi* (Rom. 7.), *perficere autem bonum non invenio*, nisi tu, Domine, mihi subvenias et operi manuum tuarum porrigas dexteram. Te juvante, te operante, sancti tui quondam mira fecerunt et tulerunt. Non est abbreviata manus tua, o Antique dierum! Tu *heri et hodie* et in omnia saecula semper idem Dominus omnipotens et misericors. Idcirco supplex opem a te peto necessariam et efficacem, ut hodie adhuc incipiam, nec unquam desinam inhaerere sanctorum tuorum vestigiis et ire de virtute in virtutem: *Haec est enim voluntas tua, sanctificatio nostra.* Succurre mihi, bone Jesu, et ducito me per medios inimicorum laqueos, per hujus vitae miserias, per viam crucis ad coelestem patriam. Illic absterges omnem lacrymam ab oculis meis. Illic adornasti mihi coenam magnam, convivium longe splendidissimum. O Jesu delectabilis, qui me sic cibas in via, quomodo me satiabis in illa patria! *Beati, qui habitant in domo tua, Domine!* Revera beati coelites, qui de modico labore ad requiem aeternam, de brevi certamine ad triumphum perennem, de tristi exilio ad patriam jucundissimam pervenerunt! Adjuva me, Domine Jesu, et redde me sanctum, ut aliquando merear una cum omnibus sanctis tuis inebriari ab uber-

tate domus tuae et torrente voluptatis tuae potari. Amen.

Ad omnes sanctos. Obsecro vos omnes electos et amicos Dei, ut benigne respiciatis me ceterosque conservos meos, etiamnum lugentes in ista miseriarum valle. Impetrate nobis auxilium divinum, ut assidue persequamur vestigia vestra, quo facilius jungamur vobis hic in Dei gratia, et illic in coelesti gloria. „O vos felices sancti, qui jam pertransistis hujus mortalitatis pelagum et pervenire meruistis ad portum perpetuae quietis, securitatis et pacis: qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis. Qui securi estis de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogamus, qui vos elegit, de cujus beatissima visione semper gaudetis: intercedite et orate constanter pro nobis peccatoribus, ut per vestras orationes vestro jungamur consortio. Sumus namque fragiles, navigantes per hoc mare magnum, ubi mille sunt pericula, in quibus naufragantur incauti. Orate Dominum, ut, vestris precibus adjuti, salva nave et integris mercibus pervenire mereamur ad portum aeternae quietis et nunquam finiendae felicitatis. Amen.“ *S. Laur. Just.*

Die II. Novemb.

COMMEMORATIO
OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Succurre animabus purgatorii: 1) quia sunt amici Dei — maxime indigent auxilio — retribuent tibi; 2)

succurrere potes lucrando et applicando pro illis indulgentias — offerendo et commemorando eas in sacrificio — excitando fideles ad auxilia iis praestanda.

PRECES ANTE MISSAM.

Ad te recurrimus hodie, Domine Jesu Christe, Deus et Salvator noster, qui dives es meritis ac miserationibus. Aram tuam accedimus ut inopes, impense rogantes, ut ex immenso meritorum tuorum thesauro subvenias extremae paupertati nostrae. Suppliciter immolabimus illam corporis et sanguinis tui hostiam, quam ipsemet aliquando pro nobis obtulisti Patri tuo in ara crucis. Incruentum hoc sacrificium offerimus ad honorem adorandi nominis tui; in memoriam incarnationis, vitae, passionis ac mortis tuae; nec non in gratiarum actionem pro tantis beneficiis, quibus exornasti Ecclesiam tuam, tam triumphantem in coelis, quam militantem in terris, atque suspirantem in purgantibus flammis. Offerimus sacrificium hoc propitiatorium in plenam abolitionem et satisfactionem delictorum nostrorum.

„Tu misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum, quae fecisti. Aufer cor lapideum de carne nostra, et da nobis cor carneum, quod te timeat, te diligat, te honorificet, te sequatur, te aeternum perfruatur. Rogamus etiam te pro animabus fidelium defunctorum, ut gaudium et refrigerium sit illis hoc magnum amoris sacramentum. Sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de coelo descendisti et das vitam mundo de tua sancta carne, Agni videlicet immaculati, qui tollit peccata mundi; ut illi exinde refecti et refrigerati exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine Deus, ut descendat illa sancti Spiritus incomprehensibilis Majestas, sicut quondam in

patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras corpus et sanguinem tuum efficiat, et me sacerdotem indignum doceat, tale tractare mysterium cum animi puritate et devotione, cum reverentia et tremore, ita ut benigne suscipias hoc sacrificium de manibus meis ad salutem omnium fidelium, tam vivorum, quam defunctorum.“ *S. Anselm.*

„Domine Jesu Christe, gloria et spes nostra! suscipe hoc ministerium nostrum et calamitatibus nostris opitulare. Indulge nobis et omnibus, quibuscunque obstricti sunt. Quietem vero et pacem tribue defunctis nostris et iis omnibus, qui invicta animorum constantia nomen tuum professi sunt, observandaeque religionis studio ad sacrum corpus tuum et sanguinem frequenter accedere consueverunt.“ *S. Ephr.*

Judex vivorum ac mortuorum, qui fidelium defunctorum animas, peccati labe foedatas, per ignem quemdam purgatorium emundas, antequam eas ad beatificam tui visionem admittas: confige timore tuo corda nostra, ut non solum ab omni lethali peccato, sed a levioribus etiam noxis, imo et a verbis otiosis abhorreamus, atque poenis voluntariis quotidianas vitae maculas expiare satagamus, quo citius aliquando suscipiamur in exoptatam immortalitatis et pacis regionem. Amen.

PRECES POST MISSAM.

Redemtor et Amator animarum nostrarum! o Domine Jesu Christe! humiliter abjicio me ad pedes tuos transfossos amore mei. Reverenter adoro te Deum Salvatorem meum, praesentem in medio corde meo Contremisco, Domine, si tuam puritatem meamque impuritatem attente considero. Supplex a te veniam de-

precor istius temeritatis meae, qua te Numen purissimum accessi sordidus ego peccator. Tu Deus justus et sanctus inquinatas defunctorum animas non prius admittis ad altissimum domicilium tuum, quam ab omni reatus macula flammis piacularibus expurgatae fuerint. Et ego (heu!) quot culpas quotidie contraho, quibus ignem illum purgatorium commereo. Munda cor meum, amantissime Jesu! purifica nunc animam meam. Hic ure, hic seca: castiga me in hac vita, dummodo mihi parcas in altera. Duos ignes ibi conspicio, alterum aeternum in poenam graviorum criminum, alterum transitorium in poenam leviorum noxarum. Exhorresco totus ad aspectum ignis sempiterni, quo manes impii sine fine cruciabuntur. Condona mihi, Domine, praeterita delicta mea, et custodi me deinceps ab omni lethali peccato, ne et ego veniam in illum locum tormentorum. Fac insuper, omnipotens et misericordissime Jesu, ut vel levissimas culpas sollicite effugiam, quasque hactenus admisi, poenitentiae laboribus in hac vita diluere contendam, ne diu nimis optato coelorum aditu prohibear et in igne lustrali novissimum quadrantem solvere cogar.

Clementissime Jesu! Mediator Dei et hominum! benigne respice fidelium defunctorum animas, piacularibus flammis addictas. Illarum miserere animarum, quas ad imaginem tuam creasti et effuso sanguine tuo redemisti. Propitius esto defunctis familiaribus et benefactoribus meis; maxime vero illis, qui forte mea causa illic cruciantur. Miserere, Domine, animarum illarum, quae jam proximae sunt liberationi suae. Omnibus fidelibus defunctis concede requiem aeternam. Hoc ut facias, et me pro illis supplicantem audias, appello magnam misericordiam tuam et infinitam multitudinem miserationum tuarum; appello caritatem tuam

perpetuam, qua dilexisti genus humanum; appello gravissimos labores et dolores, quos ultro subiisti pro animarum nostrarum salute; appello crucem tuam durissimam, in qua velut pastor bonus vitam posuisti pro ovibus tuis; appello denique pretiosum sanguinem tuum, quem olim in ara crucis effudisti, hodieque mihi bibendum dedisti.

Bone Jesu! mortis sententiam, in omnes homines latam, mihi frequenter in memoriam revoca, ne unquam mortalitatis meae obliviscar. Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei, qui jam pridem e vivis abierunt. Neque polliceor mihimet ipse multos vitae annos, sciens, quia breves dies hominis sunt. Vita mea fugit velut umbra jamque declinat in occasum. Ideoque velociter exaudi me, Domine! Largire mihi (quaeso) fidei augmentum, spei robur, caritatis ignem, peccati horrorem, virtutis seu perfectionis studium, finalis perseverantiae donum, et denique felicem ex hoc mundo transitum. Amen.

In anniversario die

DEDICATIONIS ECCLESIAE.

Ut Feria IV. intra Hebd. V. post Epiphan.

IN PRIMITIIS

Neo-Mystae.

Ut supra die XXVIII. Octob. p. 582.

Appendix.

I. Brevis meditandi methodus.

Praeparatio.

a. *Remota:* Remove obstacula, spiritum hujus mundi, mentis dissipationem etc. Adhibe virtutes oppositas, spiritum humilitatis, mortificationis, orationis etc.

b. *Proxima:* Praelege vel praepara meditationis puncta pridie, item statue praeludia et scopum meditationis. Expergefactus primo cogita de meditatione facienda; cogitationes conformes fove. Hora statuta accede animo tranquillo.

I. Ingressus.

a. *Oratio praeparatoria:* Deum praesentem cogita, adora; pete gratiam bene meditandi. (Pater. Ave.)

b. *Praeludia:*

1. Mysterium contemplandum ob oculos pone, ac si coram te ageretur.
2. Fructum e meditatione eruendum pete.

II. Progressus:

a. *Memoriâ* materiam meditationis in mentem revoca (clare, distincte, breviter, non sine affectu).

b. *Intellectu* perpende:

1. Quae veritas consideranda?
2. Quae conclusio practica ex veritate deducenda?
3. Quae motiva ad conclusionem practicam servandam inducunt? (Quam decens, honorificum, utile, facile, jucundum, necessarium?)

4. Quomodo id hactenus a te observatum?
5. Quid in posterum faciendum?
6. Quale impedimentum removendum?
7. Quale medium eligendum et adhibendum?

c. *Voluntate:*

1. *Affectus* excita per totam meditationem corde plus quam ore, e. g. adorationis, laudis, gratiarum actionis, oblationis, confusionis, contritionis, deprecationis, amoris, desiderii, fiduciae etc.
2. *Proposita* forma particularia, practica, praesenti necessitati accomodata, fundata in motivis solidis, humilia.

III. Egressus.

a. *Colloquium* ad B. V. vel Angelum tutelarem, s. patronum tuum, sanctum diei; — ad Jesum Christum (ut amici ad amicum, aegroti ad medicum, ovis ad pastorem etc.); — ad Patrem coelestem (ut filii ad patrem, servi ad dominum etc.). Oratio vocalis.

b. *Reflexio* seu examen conscientiae de meditatione.

c. *Tessera* seligenda ex s. scriptura vel ss. Patribus etc. per diem repetenda, ut fructus meditationis servetur.

II. Formulae aliquae affectuum [1].

1. Pro via purgativa.

Abjectio. Deprime sub pedes Dei tui superbum caput, vilis creatura! Ah! etiamnum superbis? Indigna

[1] Ex Avancini vita et doctrina Jesu Christi. Ed. Venet. 1837.

es, quam suis pedibus dignetur Jesus tuus. Conculcent te damnati omnes ac ipsi daemones, quorum tu iniquitates es supergressa etc.

Accusatio. Fateor enim, ut reus memetipsum accuso: Ego te summum et inaestimabile Bonum ac infinitam dignitatem vilipendi. Quis ego? quis tu? Ego Filium tuum crucifixi et occidi! Ego sanguinem ejus et infinita merita proculcavi etc.

Admiratio. O caecitas mea! o impudentia! o audacia! servus nequam tam bonum Dominum tam indigne tractare potui! O bonitas tua Deus! o patientia incredibilis! o misericordia infinita! tu non ferre tantum delinquentem, sed novis etiam beneficiis cumulare potuisti.

Communicatio cum Deo. Quot tu, justissime Deus, minorum scelerum reos in momento ad infernum praecipitasti? Angelos, tam excellentes creaturas, ad unius dumtaxat cogitationis consensum in ignem aeternum detrusisti: mihi ut parceres, ut dissimulares, quid te movit? An quidquam toto vitae decursu praestiti, quod oculis divinae tuae Majestatis placere potuerit?

Confusio. Averte oculos tuos a me, Domine; quia indignus sum, in quem respicias, postquam me ad tantam vilitatem abjeci, quem tu ad tantam dignitatem creasti. Confusio cooperuit faciem meam, quia repleta est malis anima mea, quae purissimum Dei oculum merito avertunt a me.

Contemtus mundanorum. Si habuero omnem substantiam hujus mundi, nihil sum. Nihil est honor, nihil aestimatio et gloria, nihil opes et divitiae, nihil omnis voluptas. E nihilo ducta in nihilum eunt; apparent et evanescunt. Solus Deus est omnia: reliqua amore meo indigna.

Contritio. Deus meus, summa bonitas, omnium

creaturarum tuoque ipsius amore sola et infinite digna! doleo, quod tam impudenter te offenderim; doleo non quia timeo, sed quia amo. Si sanguine meo fieri possit, ut non sis offensus: ecce me, discerpe me; paratum cor meum. Si tormentis inferorum deleri possit: ecce me; nullum est, quod non merui; nullum quod amore tui non praeeligo peccato, quod tantopere odisti. Si vides, qui omnia vides, quod aliquando, post quot annos, te offensurus sim: hoc potius momento acerbissima morte me tolle, quam permittas ad infelicissimum illud tempus me supervivere.

Deprecatio. Obsecro te, aeterne Pater, per misericordiam tuam infinitam; te, Fili unigenite, per tuum in peccatores amorem; te, Spiritus sancte, per tuam benignitatem; te ss. Trinitas, per sanguinem et merita Christi: parce, parce misero peccatori. Amplius, crucifixe Jesu, amplius lava me vel unica guttula tui sanguinis a peccatis meis. Adgeniculor cruci tuae et, indignus licet, exspecto misericordiam tuam.

Diffidentia sui. Vide, Domine, infirmitatem meam, quia nihil possum sine te, nec invocare te. Ne deseras me, quia labor sine te.

Exhortatio sui ipsius. Erige te, anima mea, de coeno peccatorum, in quo jaces; aude aliquando aggredi, quod vane metuis. Deus porrigit manum suam; tu tuam exsere, et apprehende auxilium. Quid haeres? quid dubitas? fortior est, qui te juvat, quam qui te tentat.

Exprobratio. Quae tua est impudentia, tam tenere te amantem Deum, tui amore in cruce morientem, tam indigne tractare; et odia illi indicere, a quo amores favoresque recipis? hoccine meruit, qui te ad se creavit, ut ei cum tanto contemtu tergum verteres? Hoc,

qui te toties recepit, et etiamnum expansa habet in cruce brachia ad te amplectendum, ut tu stercora et mundi quisquilias suumque hostem amplectaris? etc.

Fiducia. Deus meus, auxiliator meus! in te confido, non erubescam. Si consistant adversum me castra tentationum, non timebit cor meum, quia tu es protector meus; si exurgat adversum me proelium, in te ego sperabo, quia tu es Deus meus.

Gratitudo. Gratias tibi ago, Deus meus, quod peccantem me et non poenitentem hucusque conservaveris, neque statim meritis poenis addixeris; otiumque dederis animae meae, calamitatem agnoscendi ac detestandi, quod mille aliis non concessisti, quos prius mors et aeterna damnatio occupavit, quam praestare id possent.

Humiliatio. Agnosco vilitatem meam, Deus infinitae majestatis! Infra nihilum descendi, quia te offendi. Et merui et volo ab omnibus contemni et vilipendi, volo non exspectare tantum, sed quaerere et ambire contemtus mei occasiones. Confirma hanc voluntatem meam, pro me toties despecte Jesu!

Invocatio sanctorum. Indignus sum, qui accedam ad thronum misericordiae Dei, quam impudentissime despexi. Tu unica et potens peccatorum advocata, Dei Mater Maria, quae nullum in te confidentem despicis, ostende pro me filio tuo ubera, quibus eum lactasti; et per merita tua impetra mihi a justissime irato Deo misericordiam. Tu Angele mi tutelaris, cui curae sum ab infantia, per gaudium illud, quod habes super uno peccatore poenitentiam agente; vos ss. N. N. patroni mei etc.

Mendicatio spiritualis a sanctis Dei. Sancta et immaculata Dei Mater, quae, quantum amasti filium

tuum, tantum odisti peccatum: vide generis humani (vel hujus hominis N.) calamitatem; infunde aliquid amoris tui cordi illius, ut sciat ac velit reprobare malum et eligere bonum. Sancti Angeli Dei, qui primo tentanti Angelo constanter restitistis: aliquid constantiae vestrae hujus tentationibus suggerite. S. Petre, qui unum peccatum toto vitae tempore incessanter deplorasti: aliquid poenitudinis et lacrymarum huic indulge etc.

Odium sui. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? quid queror externa? ego mihi ruinae et calamitatis meae sum causa: fictum hostem culpo, et vere blandior. Ego sum ipse, qui occidi me, dum amavi me. Sed teneo hostem meum; non dimittam, nisi occidam eum. Moriatur sensus, vivat ratio; moriatur auctor mortis animae meae, vivat auctor vitae animae meae Jesus. Ut semper me oderim, semper amabo Deum meum.

Propositum. Nondum usque ad sanguinem decertavi cum hostibus animae meae: sed ab nunc, si necessarium sit, totum sanguinem ad ultimam usque guttam lubens gaudensque impendam potius, quam deliquam. Sic statuo coram Jesu meo pro me crucifixo. Moriar millies, ne semel peccem.

Reprehensio sui. Et quid ausus tu es tanta in Deum impudentia? quis tu? quis Deus? et quid ausus es? O creaturarum ingratissima! tam parvi tibi est Deus? tam magni tu tibi ipse, aut modica tui sensus delectatio?

Timor. Timor et tremor venerunt super me, quia irritavi viam tuam, Domine! Quo fugiam a facie irae tuae? undique tu me circumstas; et quem patrem habere nolui, strictissimum judicem meorum scelerum formido. O Domine, ne intres in judicium cum servo tuo!

2. Pro via illuminativa.

Amor proximi. Te, Deus, in meo proximo, et proximum propter te diligo, sicut me. Tu me exemplo magis, quam verbis hoc docuisti: qui, cum inimici essemus, dilexisti nos; qui perditos nos quaesivisti et attraxisti miserans. Quem oderim, dum tu omnes amas? quem despiciam, dum tu bonis et malis pretium tui sanguinis impendis?

Benignitas. Obstupesco tuam, Jesu mi, benignitatem! quam benevole ad te revertentes peccatores excipis! quam amanter alloqueris! quam tenere amplecteris et sine exprobratione omnia restituis bona, quibus per peccatum fuerant spoliati! Hac te sequar, mi Jesu: omnes, quorum mihi incumbet cura, amabo, etiam delinquentes, ut reducam; compatiar calamitati animae, tractabo vulnera leniter, in modo, in gestu, in vultu, in verbis, ut merus animi amor appareat.

Bonitas. Tua ad benefaciendum propensio, bone Jesu, mea est in omnes proximos agendi regula. Innumera in nos dona, sanguinem tuum, merita, gratias, teipsum elargiris; neque majoribus tantum, aut iis, qui te reverentur et amant dignosque se praestant; sed vilibus etiam, te ignorantibus, demerentibus, contemnentibus. Trahit me tam suave exemplum, ut me impendam omnibus et superimpendam; nemo mihi vilis, nemo mea indignus ope, quia nemo tibi.

Contemtus mundi. Tu non es de hoc mundo, amabilissime Jesu: tua desideria, affectus, vota, spes, prosecutiones non tendunt in honores, gloriam, existimationem, laudes et applausus. Delirium meum est, si eo tendam, unde tu, Sapientia Patris, abhorres. Quia nihil sunt, indigna sunt eo corde, quod non satiatur, nisi Deo.

Conversatio. In terris visus et cum hominibus conversatus es, Domine Jesu: prudenter et circumspecte, ut non offenderes; suaviter et urbane, ut animos traheres; utiliter et salubriter, ut prodesses iis, quibuscum versabaris. O si et ego prodesse intenderem! quam cohiberem affectus meos! quam caverem errores! quam abstinerem ab asperis et acerbis, frivolis et vanis et quandoque noxiis sermonibus! Semel juravi: aut obmutescam, aut sana loquar.

Fortitudo in adversis. Omnia possum in eo, qui me confortat: non ego, sed gratia Dei mecum. Non mihi innitor, sed potentiae Patris, quae cannas erigit in columnas; sapientiae Filii, quae modos viasque eluctandi habet infinitas; gratiae Spiritus s. quae facit aspera in vias planas. In Deo meo transgrediar muros etc.

Humilitas. O humilitas nascentis, viventis morientisque Jesu mei! Cum in forma Dei esses, exinanivisti temetipsum, abscondisti divinitatis majestatem, ne in te confluerent omnis honor, gloria, admiratio et applausus populorum. Ah! sero licet, tandem tamen eligo abjectus essem in domo Dei, in loco et officio: et haec sit gloria mea.

Intentio gloriae Dei. Non quaeris gloriam tuam, Domine Jesu, sed honorificas Patrem tuum, neque altiorem reperisti operum tuorum tuaeque passionis finem. Huc tua incarnatio, vita, mors, cogitationes, verba, opera, somnus ac omnis respiratio tendebat. Trahe me post te. Quaeram te sine me: sine meo emolumento quaeram te quotidie, quavis hora, quovis momento, quavis respiratione; quaeram pure, sine admistione creaturae, majorem tuam gloriam.

Longanimitas. Potes Deus momento plectere, quo

peccat homo: sique id facias, justum et in aeternum laudabile judicium tuum. Sed sustines tamen, longanimis, patiens et multae misericordiae: sustines menses, annos; et non exspectas tantum, ut revertamur, sed revocas ad te et attrahis miserans. Respicis Petrum, tangis cor Magdalenae, adblandiris Judae etc. Egone vel me a te desertum querar? vel spem alienae conversionis deponam? Aderis in tempore mihi. Exspectabo te, Domine, et non movebor. Aderis gratia tua peccatoribus; sustinebo et, quod meum est, operabor. Non erit inanis opera, quae te imitatur.

Mortificatio corporis. Tota vita tua, Jesu, continua fuit corporis afflictatio. Poteras, cum Deus esses, citra periculum omnia corpori commoda indulgere. Non egebas hoc studio ad corrigendam naturam, quae nec vitiata erat, nec vitiari poterat; non ad subjiciendum corpus rationi, quod divinitas moderabatur, ut non posset rebellare: et tamen in laboribus et doloribus a juventute tua vixisti et exspirasti. Est ergo amabile quiddam, quod tu elegisti. Quid agimus, anima? vitiata tibi est natura, et in malum proclivis rebellat rationi; inducit in peccata, et adhuc ei blandieris et, ut quam minimum patiatur, studebis? Imo conteratur caro mea, ut vivat spiritus. Ut tuus sim, carnem meam crucifigam cum vitiis et concupiscentiis.

Nitor conscientiae. Splendor sine macula es, Jesu mi, munditia ab omni immunditia libera, perfecta et omnino immaculata. O! quando potero et ego insultare mundo, carni et daemoni: *Quis vestrum arguet me de peccato?* O quam suavis dies laborque omnis, quam dulcis quies hominis, dum culpa non mordet animum! quam hilaris felixque mors ejus, quem conscientia non accusat! At hoc solatium nemo alius, quam tu

ipse, impendere tibi potest. Malo ergo millies mori, quam foedari.

Obedientia. Omnia de te dixit, qui te amavit: Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Et tu obediens, Filius Dei, Sapientia Patris, Dominus dominantium? et non Patri tantum, sed hominibus, etiam sceleratis, et iniquis judicibus, et carnificibus? et usque ad mortem? O ferrum ego et indomitum saxum, si hoc exemplo non movear, ut iis obediam, et in omnibus, et semper, qui patres sunt, qui vice Dei funguntur, quibus tuam in me potestatem tribuisti!

Patientia. Domine, dirige cor meum in patientia Christi. Statutum est, aut pati aut mori. Tu, Jesu mi, quam dura in corpore, quam acerba in anima, quam infamia in honore sustinuisti! tu idem Deus et homo: et ego unius puncturae imaginatione percellar, minima infamia turbabor? O Domine! da, quod pro te patiar, qui pro me passus es infanda.

Paupertas. Domine Jesu! quum esses dives, factus es pro me egenus, ut non haberes, ubi caput tuum reclinares. O res a saeculo inaudita: pauper Deus! Et ego illis affigam animum, quae Deus ódit? Ego pro Deo non relinquam laetus et hilaris mundi nugas, qui pro me reliquit omnia regna mundi sibi jure debita, adeoque et coelum ipsum?

Suavitas. Quam suavis est, Domine, spiritus tuus! Praescribis leges, sed addis vires; cum minimum facimus, tu plurimum praestas; aptas te singulis, nulli vim infers; paucissima exigis, cum plurima et gravissima possis; si erramus, nos revocas et amanter trahis. Confundis asperitatem meam. Evincis omnino, ut in proximo meo excusem delicta, attendam fragilitatem, non plus exigam, quam ipse praestem; si quandoque sit severitas adhibenda, ea semper suavitate misceatur.

Tranquillitas. Quanta locuti sunt adversum te malignantes, Domine Jesu: tu factus es tanquam surdus et mutus. Quantis impetitus es blasphemiis: at tu immotus stetisti, tamquam non haberes in ore tuo redargutiones, tenuitque semper animum imperturbata quies, tametsi fulmina excire potuisses. Cur ego, si leviter tangor, erumpo in immoderatos praecipitesque motus? Respiciam in te, Jesu mi; et si famam, si vitam perdam, tranquillitatem servabo.

Zelus animarum. Amabilissime Jesu! tu propter nos homines et propter nostram salutem descendisti de coelo. Quot hoc fine sustinuisti elementorum injurias? quot suscepisti itinera? quot labores et dolores? quot mortes exantlasti? Effudisti te ad omnes, divites et pauperes, honoratos et abjectos, senes et pueros, in urbibus et pagis, in campis et desertis, die ac nocte. Tanti tibi fuerunt animae nostrae, quanti tuus sanguis: hunc enim pro illis dedisti. Nimis viles ego facio animas, si non ex aequo ad pauperes, abjectos et pueros me effundo, pro quibus idem pretium datum est; si pluvia, si nox, si longinquitas spatii, si quaevis incommoditas me deterret. O animae Christi sanguine redemtae! o si omnes, o si vel unam meo sanguine et acerbissima morte salvare possim!

3. Pro via unitiva.

Amicitia cum Deo. Amas me? amo te, Amor meus, Deus meus. Tu quod es, meus es: ego quod sum, tuus sum. Mergor in infinito tuo, ut in meo nihilo. Quia amas me, communicas te mihi; quia amo te, redde me tibi, et te mihi. O Amor meus, unus et solus, electus ex millibus!

Amplexus Dei. Parce mei amoris audaciae, Deus

meus! Qui posuisti laevam sub capite meo, et dextera tua amplexaris me, intra tua brachia cogis me. In illa reverentissimè conjectus et vivere volo, et mori desidero. Tu stringe me, nec permittas me separari a te.

Appretiatio Dei. O bonum inaestimabile Deus, et omnium desiderabilium finis! Quia super omnia aestimo te, super omnia amo te. Deficit in tui pretii aestimatione intellectus meus, et sub imperio voluntatis, te infinita aestimatione appretiare desiderantis, fatiscit. Sit tibi satis, Deus meus: amo te millies et millies, plus quam me, plus quam satietatem animae meae, plus quam ipsam beatitudinem meam et jucundissimum aeternumque tui aspectum; amo te, et in hoc morior: amo te.

Aspiratio ad Deum. Ubi sum? Ah jube me, Domine, venire ad te! Exeam a mundo et ejus concupiscentiis; exeam a me ipso, ut nusquam sim, nisi in te. O quando erit felicissima illa hora, qua mihi vel annuas, vel dicas: Veni de Libano, veni! Ecce me, respondebo: adsum; nec ullum me aliud votum vel momento retardabit.

Beatitudo in Deo. Deus meus, nondum video te revelata facie; et tamen beatus sum, quia amo te. Nullum tormentum sentio, dum amo te: quia solum tormentum mihi est, non amare te. Tu solus totum intellectum trahis, ut te unum possideat; tu solus omnem amoris mei exhauris plenitudinem.

Complacentia Dei. Tu es, qui es: et hoc unum mihi placet quod es, qui es infinite perfectus in sapientia, potentia et bonitate. Non possum hoc exprimere, nisi verbis illius amantis: Si tu Deus esses Augustinus, et ego Augustinus essem Deus, ego Deus vellem, ut tu Augustinus esses Deus; ita mihi placet, ut tu sis tu.

Conformitas cum Deo. Amo te, Deus meus.

Satis dixi: voluntas mea jam tua est, et tua est mea. Vis me premi, abjici, contemni, torqueri, dilaniari? volo et ego, quia tu vis. Vis me inter beatos ad tui fruitionem attollere? volo, non quia limpidam et innocentem hoc adfert voluptatem, sed unice quia tu vis.

Desiderium Dei. Desiderium habeo dissolvi et esse tecum. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quando veniam et apparebo ante faciem Dei mei? Defecit cor meum et caro mea, Deus cordis mei et pars mea, Deus, in aeternum. Sed nemo venit ad te, nisi tu traxeris eum. Trahe me post te, Amor meus, Deus meus: trahe me, et curram ad te.

Donatio sui Deo. Quid petis a me, Deus meus? Audio suavissimam tuam vocem: Praebe, fili mi, cor tuum mihi. Ecce habes, tibique sponte et hilariter dono, quidquid mihi dedisti: cor, animam, vitam, sanguinem, intellectum et voluntatem. Nolo cor meum, nisi sit tuum: nolo amare, nisi te; nolo vivere, nisi in te; nolo sapere, nisi te; nolo velle, nisi te. Jam tuus sum, non sum meus: Vivo quidem, sed non ego, vivit vero in me Deus.

Exultatio in Deum. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Salio extra me, Deus meus, ut veniam ad te. Angustiae cordis mei non capiunt torrentem voluptatis, quo tui recordatio me perfundit.

Filiatio ad Deum. Filius tuus ego sum, filius tuus. Non est praesumtio, quia dedisti mihi potestatem filium Dei fieri. Dicam tibi semper, et tota animi fiducia dicam: Pater meus es tu. Diligam te, quia Pater meus es tu; amplectar te, nec dimittam te, quia Pater meus es tu. Pater, da mihi portionem substantiae, quae me contingit: sed portio mea tu es, Deus meus; aliam nec quaero, nec admitto.

Fraternitas cum Christo. Primogenite in multis fratribus, Jesu Christe! Pater tuus, idem meus et esse et vocari vult Pater; te haeredem, me cohaeredem facit. Amo te, amabilissime frater; et si me in haereditatem regni non admittas, amabo te; et si me a te projicias, amabo te. Omnia tu, unice haeres, accipe, quia omnia debentur tibi: unicum mihi relinque amorem, ut amem te. Hic unicus sit pars mea et haereditas mea.

Gloriatio in Deo et Christo. Absit mihi gloriari, nisi in Deo meo, et in cruce Domini mei Jesu Christi. In hoc glorior, quod tu Deus sis, Deus meus, Dominus meus, omne bonum meum, in quo summa est mea felicitas; quod sim creatura tua, servus tuus, et quem tu amore infinito dignaris. In hoc gloriabor, si in cruce configar Jesu meo, si vulnera tua fiant mea, et tecum paupere et despecto fiam pauper et despectus.

Imitatio Christi. Cum in forma Dei esses, Amor meus Jesu, exinanivisti temetipsum divitiis, honoribus et sapientia, factus pro me egenus ac despectus et ludibrio habitus. Fac possim esse dives: nolo, quia tu fuisti pauper. Fac possim esse ab omnibus honoratus: nolo, quia tu contemni elegisti. Fac possim sapientiae famam lucrari: nolo, quia tu pro fatuo haberi maluisti. Electio tua regula est electionis meae. Et sic eligo solum ad majorem tui imitationem.

Languor animae in Deo. Amore tui langueo, Deus meus! Nauseat anima, quidquid humani est solatii, et mundum omnesque creaturas fastidio: quia te unum et solum amo; et cum nondum te frui licet, in omni alia operatione deficio, et solo amore respiro, Amor meus, Deus meus!

Laudatio Dei. Lauda, anima mea, Dominum, quoniam bonus. Omnis actio mea, omnis cogitatio mentis,

omnis affectus voluntatis, omnis respiratio, omnis arteriae motus dicat tibi: Magnus Dominus, et laudabilis nimis. Necdum assequor, quod volo, quidquid dicam, quidquid cogitem: adhuc es infinities laudabilis. Magnificet te, mei loco, anima ss. Virginis Mariae. Laudent te ardentissimo affectu Seraphim: Sanctus, sanctus, sanctus. Benedicant omnia opera Domini Domino, laudent et superexaltent cum in saecula. Nondum assequor quod intendit affectus. Laudet te humanitas sanctissima Redemtoris mei: et quod ultra non possum, tua te divinitas laudet in saecula.

Mors in Deo. Mortuus sum, et vita mea abscondita est cum Christo in te, Deus meus. Liquefacta est anima mea, cum tu tetegisti cor meum, et a me transivit in te. Omnis cogitatio mea, omnis affectus meus cum Christo consepultus est in te. Vivo tamen in te, quia hoc unum sentio, quod amo te.

Narratio magnalium Dei. Magnificat anima mea Dominum... quia fecit mihi magna, qui potens est, etc. (*Potes totum recitare.*) Quidquid sensu, quidquid intellectu capio extra te, Deus meus, opus manuum tuarum est et tui in me amoris effectus: ideo magnificat te anima mea Dominum. Sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares: ideo magnificat te anima mea. Caritatem tuam diffudisti in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: ideo magnificat te anima mea.

Oblatio sui. Omnia mea tua sunt, Domine, quia omnia tua voluisti esse mea. Quid habeo, quod a liberalitate et misericordia tua non accepi? et quia accepi, rursus tibi cum sincerissimo gaudio offero corpus meum et animam meam, omnes sensus et potentias meas, intellectum, memoriam et voluntatem meam. Ne aspicias,

quod mea sint, sed quod tua, et pretiosissimo sanguine Filii tui tibi vindicata.

Pactum cum Deo. Amo te, Deus meus, et tu scis, quia nihil amo, nisi te. Non sufficit cor hoc sentire, non lingua loqui. Sic ergo paciscor tecum, Deus, de minimo quocunque motu interno et externo animae, cordis et corporis mei; de omni mea, aeque dormientis ac vigilantis, aspiratione ac respiratione; de omnibus et singulis, quae sunt et erunt, creaturarum motibus; de singulis beatorum tuorum et ss. Matris ac Jesu, mei Redemtoris, actibus: sint signa mea, quibus meum in te amorem loquar. Quidquid horum aspicis Deus, in eo tibi ego loquar: amo te, amabilissime Deus.

Quies in Deo. In omnibus requiem quaesivi: sed extra te non inveni, Deus meus, Amor meus. In omnibus nihil reperi, nisi dolorem et afflictionem spiritus. Recordatus sum tui: ecce pax et consolatio, quam mundus et creatura nulla dare potest. Infundo me totum in sinum beneplaciti tui. Haec requies mea; hic habitabo, quoniam elegi eam: In pace in idipsum moriar.

Vita in Deo. In te, per te, propter te vivo, Deus cordis mei. Tu anima animae meae. Nullum volo mentis, nullam corporis operationem, quae non sit beneplaciti tui. Hoc solum me movet, ut excedam rebus omnibus creatis. Quo moveor, illo vivo. Vivo te, vita mea, Deus meus.

Unio cum Deo. O quam mihi bonum est adhaerere Deo! jam experior, quod, qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum eo. Tu mihi hoc obtinuisti, amabilissime Jesu, quando etiam pro me orasti Patrem, ut sim in te et in Patre unum, sicut tu et Pater unum estis. Et quis me separabit, etc.

III. a. Praeparatio ad missam.

(Ex Missali romano.)

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris. *Tempore Paschali additur.* Alleluja.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: Rex meus et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos, Deus, salutaris noster: et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 85.

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me: quoniam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis: et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam: et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu et faciens mirabilia: tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo: et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me: et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors: patiens et multae misericordiae et verax.

Respice in me et miserere mei: da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur: quoniàm tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria Patri, etc.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemtio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Ego dixi: Domine, miserere mei.

R. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

V. Convertere, Domine, aliquantulum.

R. Et deprecare super servos tuos.

V. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

R. Quemadmodum speravimus in te.

V. Sacerdotes tui induantur justitiam.

R. Et sancti tui exultent.

V. Ab occultis meis munda me, Domine.

R. Et ab alienis parce servo tuo.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum,

ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna caritate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paracletus qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit, etc.

* * *

Memento Domine, si tibi placet:

Vivorum:

1. Mei, parentum, cognatorum, fratrum, sororum et amicorum meorum omnium.

2. Coetus Cardinalium ac omnium superiorum ordinis, atque sacerdotum et sanctae Ecclesiae ministrorum.

3. Omnium meae curae subjectorum, tamquam spiritualium filiorum, et omnium fundatorum, patronorum et benefactorum spiritualium et temporalium.

4. Omnium principum christianorum, dominationum et rerumpublicarum temporalium.

5. Omnium peccantium inimicorumque meorum, atque conversionis omnium haereticorum et infidelium.

6. Et omnium, pro quibus scis et vis me debere orare, et pro quibus orare promisi.

Mortuorum:

1. Animarum parentum, fratrum, sororum, cognatorum atque amicorum meorum omnium.

2. Animarum omnium benefactorum, tam spiritualium, quam corporalium.

3. Animarum omnium mihi in genere et in specie commissarum.

4. Animarum praelatorum, sacerdotum et omnium ministrorum sanctae romanae Ecclesiae Dei et apostolicae.

5. Animarum morte improvisa corporibus exutarum; atque earum, quarum non est specialis memoria.

6. Animarum, quae mei occasione in purgatorio purgantur, earum quoque miserrime in purgatorio existentium.

7. Et earum omnium, pro quibus scis et vis me debere orare, et pro quibus orare promisi.

* * *

b. Gratiarum actio post missam.

(Ex Missali romano.)

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. *Tempore Paschali additur.* Alleluja.

Canticum trium puerorum. Dan. 3.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum: laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es, Domine, in firmamento coeli: et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula. *Non dicitur* Gloria.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, etc.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

R. Et sancti tui benedicant tibi.

V. Exultabunt sancti in gloria.

R. Laetabuntur in cubilibus suis.

V. Non nobis, Domine, non nobis.

R. Sed nomini tuo da gloriam.

V. Domine, exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

IV. Preces ante et post missam [1].

Die Dominica, ante missam.

1. *Dirige intentionem.* O summe ac potentissime Deus! in laudem et gloriam supremae Majestatis tuae; in memoriam sanctissimae vitae, passionis ac mortis Jesu Christi Salvatoris mei; in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis tuis, mihi indigno peccatori et toti Ecclesiae tuae concessis; in propitiationem pro innumeris peccatis meis; pro salute mea et proximorum N. N. pro solatio quoque defunctorum N. N. etc.: ego indignus peccator ss. corporis et sanguinis Filii tui mysteria recolere et recipere cupio. Vere, Domine, in

---

[1] Ex Memoriali vitae sacerdotalis auctore Claudio Arvisenet.

te solo totum est, quod satiare possit cordis mei desiderium. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Nonne tu ipse eris merces nostra magna nimis?

2. *Actum elice contritionis.* Sed et sacrificium spiritus contribulati tibi, mi Domine, una cum sacrificio et sacramento corporis et sanguinis Filii tui, Salvatoris mei, humiliter offero. Doleo enim ex intimo corde, quod te Deum meum, summe bonum, et in me tam beneficum, ac toties in sacramento me reficientem, unquam offenderim peccatis meis, praesertim talibus N. et N. quae tu nosti, o Scrutator cordium, sed et miser ego peccator in amaritudine animae meae dolens confiteor. Utinam nunquam offendissem te! Sed cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies; tu, qui amore nostri dedisti nobis Unigenitum tuum, ut nos lavaret a peccatis nostris in sanguine suo.

3. *Exerce actum fidei.* Equidem credo firmiter, o bone Jesu, et viva fide confiteor, quia tu ipse, Deo Patri aequalis in gloria et potestate, verus Deus et homo, vere et realiter praesens es in hoc sacramento. Tu enim, ipsa veritas, dixisti: Hoc est corpus meum. Credo quidquid dixit Dei Filius: nihil hoc verbo veritatis verius. Adjuva, Domine, incredulitatem meam, adauge mihi fidem.

4. *Exerce spem.* O Christe Jesu! sum quidem ego pulvis, cinis et peccator: sed tu pater es misericordiarum et Deus totius consolationis. Quis unquam intellexit misericordias tuas? Nonne tu laborantes et oneratos vocas ad te, ut eos reficias? Nonne tu es refugium meum? Ad quem ergo irem? Tu solus verba vitae aeternae habes: tu solus consolaris me in omni tribulatione mea. Sum quidem aeger et infirmus,

sed tu es salus mea: non est opus bene valentibus medico, sed male habentibus. Si solummodo pertransiens curabas omnes, si umbra Petri curabat infirmos: nonne ego confidere debeo, quia te intrante sub tectum meum, et in me inhabitante cum plenitudine divinitatis, sanabor ab infirmitatibus meis?

Igitur cum nihil te propitio mihi conscius sum, surgo et vado ad te Patrem, medicum et refugium meum, sperans quod haec communio futura mihi sit fidei, spei et caritatis augmentum, contra insidias inimicorum meorum firmissima tuitio, turpium cogitationum effugatio, hujus defectus et vitii N. exterminatio, operum tibi placentium, et praesertim hujus virtutis N. salubris efficacia, et tandem pignus futurae gloriae. Reposita est haec spes mea in sinu meo, quia miserator et misericors es et in promissis fidelissimus.

5. *Exerce caritatem.* O dulcissime Salvator, Christe Jesu, quanta fuit tui vis amoris, quae te traxit e sinu Patris in hanc lacrymarum vallem, ut humanam carnem assumeres, infinitas miserias, injurias, imo crucem mortemque subires, idque solum propter miseros nos homines et propter nostram salutem!

O quantus amor! Damnare nos poteras, et salvare maluisti! Nos rei eramus, et tu innocens subis supplicium, ut reos liberes!

Ex amore itaque ad nos in carnem venisti, et demum, abiturus ex hoc mundo ad Patrem, in pignus amoris hoc sacramentum nobis reliquisti, ut modo prorsus novo et admirabili semper maneres nobiscum, tu, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum.

O Domine, quantum dignus es amari, qui tanta facis amore nostri! Diligam itaque te, Domine fortitudo mea, refugium meum et liberator meus!

O Deus caritas! Qui in caritate manet, in te manet. Cupio te suscipere in hoc sacramento, ut tibi firmius uniar amoris vinculo. Quis me separabit a caritate Christi, Salvatoris mei? Utinam hoc nec vita, nec mors, nec ulla fortunae sors, aut ulla creatura valeat!

6. *Exerce humilitatem.* Sed quomodo audeo accedere ad te? Nonne tu, o Deus, Dominus, Creator ac Redemtor meus, Rex coeli et terrae es? At quis ego? Vilis terrae vermiculus, pulvis et cinis, et quod indignius est, toties erga te inobediens et ingratus peccator. Vere Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed memento Domine, quia, cum esses Dominus omnium, assumpta servi forma venisti ad nos, et familiariter egisti cum publicanis et peccatoribus; denique humiliasti temetipsum usque ad mortem. Illa, quaeso, te moveat humilitas, ut me vilem et humilem non despicias, sed clementer ad me venias, aut venientem ad te benigne suscipias.

7. *Postula gratiam.* O Pater aeterne! per merita Filii tui concede mihi gratiam, digne celebrandi missam, et recipiendi non solum sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. Offero tibi humilitatem et sanctitatem gloriosae semper Virginis Mariae, fervorem et devotionem omnium sanctorum, ut illorum merita suppleant, quidquid mea non valet infirmitas.

Domine Jesu! propitius esto mihi peccatori, et sacris mysteriis corporis et sanguinis tui fac me ita digne semper uti, ut copiosum inde fructum et robur contra omnes mundi, carnis ac daemonis insidias consequar, vitia, et haec N. N. maxime, fugiam; virtutes vero statui meo maxime necessarias, velut caritatem, humilitatem, puritatem etc. diligentius exerceam, et fidelius tibi in dies servire studeam.

Spiritus sancte Deus! adsit mihi virtus tua, quae, cor meum clementer expurgans, dignum Christo Domino praeparet in me habitaculum, sicut fecit in beata Virgine Maria.

O sacratissima Virgo Maria, quae, Spiritu sancto cooperante, Deum et hominem purissimis visceribus concipere et portare meruisti: fac, ut ego eum digne in hoc sacramento recipere et portare valeam, et ut consequar Spiritum hujus dilecti Filii tui.

O sancti Dei omnes, et vos praesertim, dilecti patroni mei, succurrite mihi, quaeso, precibus vestris apud Deum, ut sic illum nunc in sacramento possim recipere, ut aliquando eum in propria specie vobiscum merear videre. Fiat, fiat.

Die Dominica, post missam.

8. *Adora et magnifica Dominum.* O Jesu, dulcis hospes, prospere processeris ad hunc pauperculum et humilem servum! Intraveris fauste sub hoc angustissimum et vile tectum! Benedictus et superexaltatus, qui venisti in cor meum oriens ex alto!

O Rex pacifice, fuga ex animo et corde meo catervas vanarum cogitationum, ut te solum, pacis auctorem, contemplari et diligere queat anima mea! Ecquid, praeter te, o pax, tranquillitas et dulcedo cordis mei, quaerat et gustet anima mea?

O fons amoris perpetui, quomodo potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari et teipsum mihi dare? Fecisti ultra omnem spem misericordiam cum servo tuo, et ultra omne meritum gratiam et amicitiam exhibuisti. Quid retribuam tibi pro gratia ista?

Utinam possem tibi servire cunctis diebus vitae meae! Utinam vel uno die dignum servitium exhibere

sufficerem! Vere tu es dignus omni servitio, omni honore et laude aeterna. Vere Dominus meus es, et ego pauper servus tuus, qui totis viribus teneor tibi servire, nec unquam in laudibus tuis debeo fastidire. Sic volo, sic desidero, et quidquid mihi deest, tu digneris supplere.

Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret, mecumque usque in finem perseveret.

Da mihi semper desiderare et velle, quod tibi magis acceptum est et carius placet. Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur et optime ei concordet. Sit mihi unum velle et nolle tecum, nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis et non vis.

Da mihi omnibus mori, quae in mundo sunt, et propter te amare contemni et nesciri in hoc saeculo. Da mihi super omnia desiderata in te quiescere, et cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu sola requies: extra te omnia sunt dura et inquieta. In hac pace in idipsum, hoc est, in te uno, summo et aeterno Bono, dormiam et requiescam. Amen.

9. *Gratias age.* Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus, quae retribuisti mihi, praesertim hodie? Sollicitus mei dedisti mihi corpus tuum in cibum, et sanguinem tuum in potum, et utrumque in pignus futurae gloriae. Quis audivit unquam tale? Quis vidit huic simile? Utinam aperiantur labia mea, et repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam, et enarrem universa mirabilia tua!

Magnificet anima mea Dominum, tot tantisque affecta beneficiis, et exultet spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem servi sui, et fecit mihi magna, qui potens est, et esurientem implevit bonis. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quo-

niam confirmata est super me misericordia ejus. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus, reges terrae et omnes populi, principes et omnes judices terrae, juvenes et virgines, senes cum junioribus.

Sed et lingua mea, o pie Jesu, meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo; magnificus in donis tuis, et sanctus in omnibus operibus tuis. Jucundum sit tibi eloquium meum; ego vero delectabor in te, et in mandatis tuis exercebor. Tene manum dexteram meam, et in voluntate tua deduc me, ut aliquando cum gloria suscipias me. Amen.

10. *Offer Deo Patri Filium suum.* Clementissime Pater, qui sic dilexisti me, ut Unigenitum tuum mihi dares in pretium et in cibum, et cum eo omnia: respice in faciem Christi tui, in quo tibi bene complaces. Hunc ego dilectum Filium, et cum eo cor meum retribuo tibi pro his, quae hodie retribuisti mihi. Complaceat tibi, Pater, hodie in illo; ac per eum indignationem tuam avertas a me.

Ecce Mediator Dei et hominum, Christus Jesus, advocatus et pontifex, qui interpellat pro me. Hunc ego offero tibi; ipsum, inquam, qui peccatum non fecit, sed tulit peccata mundi, et languores nostros suo livore sanavit. Suscipe igitur, o sancte Pater, hanc immaculatam hostiam in laudem et gloriam nominis tui; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me collatis; in remissionem quoque peccatorum meorum, et in supplementum omnium defectuum meorum.

11. *Offer teipsum Christo.* O Domine, quia ego servus tuus et filius ancillae tuae: abrenuntio satanae,

et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus; tu solus Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum; tu solus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es, qui restitues haereditatem meam mihi. Suscipe ergo solus universam libertatem meam; accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem; quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id totum tibi restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum; amorem tui solum cum gratia mihi dones, et dives sum satis, nec quidquam aliud ultra posco. *S. Ignatius.*

12. *Postula dona Dei.* Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, mundique Redemtor! me famulum tuum ante Majestatem tuam prostratum benignissime respice; et sacrificium, quod in honorem nominis tui, pro salute fidelium, tam vivorum quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime respice: iram tuam a me remove, gratiam et misericordiam mihi concede, januam paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe, et, quidquid proprie commisi restu, clementer indulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Domine, qui benedicis benedicentes te, et sanctificas eos, qui in te confidunt: salva populum tuum, et benedic haereditati tuae, et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam, et ne derelinquas, Deus, sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aërem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, ecclesias, reges, sacerdotes

et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta; eorumque qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos, qui in quacumque tribulatione et angustia sunt, salva, et nobis gratiam tribue.

13. *Ora B. V. M.* O serenissima et inclyta Mater Domini nostri Jesu Christi, Virgo Maria! Regina mundi, quae eundem Creatorem omnium creaturarum tuo sanctissimo utero fuisti digna portare, cujus idem sacratissimum corpus et sanguinem sumpsi: ad ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris, ut, quidquid in hoc ineffabili sacramento ignoranter, negligenter, irreverenter et accidentaliter omisi, tuis precibus sanctissimis mihi indulgere dignetur, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

14. *Ora omnes sanctos.* O sancti Dei omnes, qui in carne viventes sic Domino servistis, ut jam cum ipso sine fine regnetis: adeste mihi, quaeso, precibus meritisque vestris, ut panis ille coelestis et viaticum divinum, quod modo sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias praestet robur et tutamen: ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum jugiter gaudeam, et eum una vobiscum laudem per omnia saecula. Amen.

15. *Conclusio.* Anima Christi, sanctifica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inebria me. Aqua lateris Christi, lava me. Passio Christi, conforta me. O bone Jesu, exaudi me. Intra vulnera tua absconde me. Ne permittas me separari a te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meae voca me, et jube me venire ad te, ut cum sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen. (Indulg.)

Obsecro te, mitissime ac bone Jesu, ut haec im-

mortalis hostia pro me tibi gratias referat me, tibi reconciliet, me tibi restituat, mihique peccatori veniam tribuat, et ad vitam perducat aeternam. Amen.

Feria II. ante missam.

16. *Invocatio s. Spiritus.* Veni sancte Spiritus, etc. v. Emitte Spiritum tuum, etc. *Oremus.* Deus, qui corda fidelium, etc.

17. *Actus contritionis.* Domine, Deus meus, propitius esto mihi peccatori. Poenitet me peccasse: cupio emendare, quod feci. Aufer a me, quaeso, omnes iniquitates meas, ut purificatus mente et corpore valeam ad sancta sanctorum introire.

18. *Actus fidei.* Domine Jesu Christe, qui es sacerdos in aeternum, quique dixisti: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus:* ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti, et in hoc sacramento praesens redderis. Adauge mihi fidem.

19. *Actus spei.* In te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu salus et virtus mea, tu refugium et firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Miserere mei et salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

20. *Actus caritatis.* O quanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Jesu, cum transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis, habentem omne delectamentum et omnem saporem suavitatis! Pro hac tua ineffabili benignitate amo te, Deus meus: et ut nunquam cessem amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui esca et pabulum amoris es.

21. *Actus desiderii.* Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad

te, Salvator meus, Domine Jesu. Trade te mihi, et sufficit. Nam praeter te nulla consolatio valet. Sine te esse nequeo, et sine visitatione tua vivere non valeo.

22. *Actus humilitatis.* Immense, tremende, potentissime et incomprehensibilis Deus, quis es tu? Et quis sum ego, ut digneris venire ad me, mecum epulari, et mansionem apud me facere? Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

23. *Intentionum directio.* Domine Jesu Christe! in unione illius divinae intentionis, qua ipse in ultima coena et in ara crucis sacrificium corporis et sanguinis tui Deo Patri obtulisti, hoc idem sacrificium ei offerre intendo. Complaceat sibi, o Jesu, in te, et per te propitius nobis sit in vitam aeternam.

24. Te precor, Domine Jesu Christe, pro omnibus illis, pro quibus orare decrevi, et quibus sum conjunctus, et qui mihi conjuncti sunt spirituali participatione, consanguinitate, affinitate, familiaritate, commendatione, devotione, eleëmosynarum largitione; qui pro me orant, pro quibus debitor sum, et qui se commendarunt orationibus meis; pro cuncto populo christiano et pro dioecesi nostra; pro omnibus praelatis sanctae romanae Ecclesiae et universo clero, ut eos in tuo sancto servitio humiliter, fideliter et devote perseverare facias; pro omnibus fidelibus christianis, vivis atque defunctis, in quacumque angustia et tribulatione positis: miserere, et tribulatis succurre. Amen.

25. *Deprecatio.* Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine Jesu Christe, ego peccator, de propriis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, men-

tem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas! ego miser inter angustias deprehensus ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio, et quem judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixe propter hominem: exaudi me sperantem in te; miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fons miserationis nunquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose sanguis, de vulneribus crucifixi Domine mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, creaturae tuae, quam tuo sanguine redemisti. Poenitet me peccasse: cupio emendare, quod feci. Aufer a me, quaeso, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea, ut purificatus mente et corpore digne degustare merear sancta sanctorum; et concede, ut sancta praelibatio corporis et sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen. *S. Ambros.*

26. *Ad B. V. M.* Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta Virgo Maria, inventrix gratiae, genitrix vitae, mater salutis; et per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas tua, Deo tam

grata, nostrae veniam impetret vanitati et superbiae. Copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et foecunditas tua gloriosa foecunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra: tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta! Fac, o benedicta, per gratiam, quam invenisti, per praerogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti: ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriae nostrae, te quoque intercedente participes faciat nos gloriae et beatitudinis suae, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen. *S. Bern.*

27. *Ad sanctos.* Sancti Dei omnes, cives supernae patriae, succurrite infirmitati meae, fidem meam et spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate me donis, quibus abundatis: ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam coelestis convivii, in conspectu divinae Majestatis. Amen.

Feria II. post missam.

28. *Pii affectus.* Ecce Domine, jam habeo te, qui habes omnia; possideo te, qui potes et possides omnia: ergo, o Deus meus et omnia, abstrahe cor meum a ceteris omnibus extra te, in quibus nihil nisi vanitas et afflictio spiritus. In te uno fixum sit cor meum, in te sit requies mea, ubi est thesaurus meus, summa veritas, vera felicitas et felix aeternitas.

Sentiat, o Jesu, mens mea dulcedinem praesentiae tuae, gustet, quam suavis sis, Domine: ut inescata amore tui nihil quaerat extra te, unde gaudeat, quia tu es gaudium cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum.

Tu es medicus animae meae, qui languores nostros tuo livore sanasti. Ego vero sum infirmus ille, ad quem sanandum de coelo venisti. Itaque sana animam meam, quia peccavi tibi.

Tu es pastor meus, qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis. Ecce ego ovis illa, quae perierat, et tamen dignaris me pascere corpore et sanguine tuo: suscipe me nunc in humeros tuos. Quid negabis mihi, qui te ipsum dedisti? Rege me, et nihil mihi deerit in loco pascuae, ubi me collocasti, donec ad pascua vitae aeternae perducar.

O Lux vera, quae illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum: illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

O Ignis jugitur ardens et nunquam deficiens: ecce me tepidum et frigidum, ure renes meos et cor meum, ut ardeant amore tui. Ignem enim venisti mittere in terram, et quid vis, nisi ut accendatur?

O Rex coeli et terrae, dives in misericordia: ecce ego egenus et pauper sum, tu nosti ubi magis egeam, tu solus me ditare et juvare potes. Deus adjuva me, et ex thesauris bonitatis tuae succurre inopi animae meae.

O Dominus meus et Deus meus: ecce servus tuus sum ego, da mihi intellectum et excita affectum, ut sciam et faciam voluntatem tuam.

Tu es agnus Dei, agnus sine macula, qui tollis peccata mundi: tolle de me, quod mihi nocet et tibi displicet, et da, quod nosti tibi placere et mihi prodesse.

Tu es amor meus et omne gaudium. Tu es Deus meus et omnia. Tu es pars haereditatis meae et calicis mei. Tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

O Deus meus et omnia! absorbeat, quaeso, mentem meam vis ignita et melliflua amoris tui, ut amore amoris

tui mundo moriar, qui amore mei dignatus es in cruce mori, o Deus meus et omnia! Amen.

29. *Gratiarum actio et oblatio.* Quis sum ego, Bonitas infinita, ut me sacris altaribus adstare volueris, tibique offerre de donis tuis sanctum sacrificium, hostiam immaculatam? Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis, ut ostenderes in me divitias misericordiae tuae? Venite et audite, omnes Angeli et sancti Dei, et narrabo vobis quanta fecit Dominus animae meae! Nam cum essem abjectus in domo mea, de pulvere erexit me, et constituit me cum principibus populi sui, ut comederem panem et biberem vinum in mensa sua omnibus diebus vitae meae. Quas ego tibi gratias agam, clementissime Jesu, Salvator mundi? Aut quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? Vere enim de te, sponso Ecclesiae, illud canticorum intelligitur: ***Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.*** Tu omnia, quae habes, mihi largitus es, corpus, sanguinem, animam et divinitatem tuam: et si ego tribuam tibi omnem substantiam domus meae, corpus, animam et libertatem, cum omnibus, quae nunc habeo vel habere possum, hoc quasi nihilum reputabitur in comparatione immensi et inaestimabilis doni tui. Tantum tibi debeo, quantum ipse vales, qui infinitus es: ideo debitum meum omnem facultatem meam excedit. Audeo tamen rogare te, ne despicias munusculum, quod tibi offero in simplicitate cordis mei, dicens cum sponsa: Dilectus meus mihi et ego illi. Nam sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum animae meae: ita ego me totum servituti tuae consecro, et quidquid habeo, quidquid sum, quidquid possum, tibi penitus trado, ut me totum tibi vindices, nec quidquam mei superesse mihi patiaris.

30. *Petitio pro se.* Concede mihi, quaesó, omnipotens et misericors Deus, quae tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte adimplere.

Ad laudem et gloriam nominis tui ordina statum meum, et, quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam, possim et velim, et da exequi, sicut oportet et expedit saluti animae meae.

Via mihi, quaeso, ad te sit tuta, recta et consummata, non deficiens inter prospera et adversa; ut in illis non extollar, et in istis non deprimar. In prosperis gratias tibi referam, et in adversis servem patientiam; de nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in caritate da facere, et, quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, et cara mihi sint omnia tua, et tu, Deus meus, plus quam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te, et taediosa sit mihi omnis quies, quae non est in te.

Frequenter et ferventer da mihi, dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, et defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me, Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine praesumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, ipsumque aedificare verbo et exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi, dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla a

te abducat curiosa cogitatio; da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio; da invictum, quod nulla fatiget tribulatio; da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta delectatio; da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter et fiducialiter exspectantem, fiduciam te finaliter amplectentem. Da tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria frui per gloriam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. *S. Thom. Aquin.*

31. *Petitio pro aliis.* Domine, qui benedicis benedicentes te, et sanctificas eos, qui in te confidunt: salva populum tuum, et benedic haereditati tuae, et custodi Ecclesiae tuae plenitudinem. Sanctifica diligentes decorem domus tuae. Tu eis gloriam retribue per divinam potentiam tuam, et ne derelinquas, Deus, sperantes in te. Aegrotis da auxilium, remedium et consolationem. Peregrinantibus pacem tribue. Aërem tempera. Fructibus terrae benedic. Conserva in pace mundum, ecclesias, reges, sacerdotes et omnem populum tuum. Defunctis requiem praesta; eorumque, qui dona obtulerunt, et pro quibus obtulerunt, memor esto. Eos, qui in quacumque tribulatione et angustia sunt, salva, et nobis gratiam tribue. Per preces et orationes, quas faciet pro nobis Domina omnium nostrum, Mater Dei, diva et sancta Maria, et sancti Michael, Gabriel et Raphael, omnesque coelestes ordines; per orationes Patriarcharum et Prophetarum, Dominorumque Patrum, Apostolorum et omnium Martyrum, omnis chori cruce signatorum, justorum piorum, sapientum

virginum et Angeli custodis benedicti: veniat benedictio eorum, caritas eorum, patientia eorum, auxilium eorum, et benedictio Salvatoris nostri boni sit cum omnibus nobis usque in aeternum. Amen.

32. *Conclusio.* Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum mundique Redemptor, me famulum tuum ante Majestatem tuam prostratum benignissime respice, et sacrificium, quod in honorem nominis tui pro salute fidelium, tam vivorum, quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime recipe; iram tuam a me remove, januam paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe, et, quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge. Sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Feria III. ante missam.

33. *Adora et gratias age.* O dulcissime Salvator Christe Jesu! adoro te in toto corde meo, gratias ago tibi ex intimis visceribus animae meae, quod tanta caritate nos misere perditos redemeris pretio sanguinis tui; et in hujus amoris tui memoriam, necnon in pignus futurae gloriae, tam admirabili potentia, sapientia et bonitate dederis nobis in cibum et potum ipsum corpus et sanguinem tuum; denique ad haec divina mysteria me vilissimum peccatorem in numerum tuorum sacerdotum tua ineffabili clementia vocare dignatus sis.

34. *Confundere.* Sed eheu! infelix ego homo, qui hactenus tam indigne vocatione tua vixi, et toties et tam graviter te Deum meum offendi peccatis meis, praesertim his N. N. At nunc de iis doleo ex intimo corde

meo ob amorem tui super omnia, et deinceps tibi soli servire, placere et adhaerere propono.

35. *Offer.* Proindeque nunc accedens ad mensam convivii tui ex omni affectu cordis mei dignissimum sacrificium corporis et sanguinis tui, quod tu ipse semel pro nobis in ara crucis obtulisti, pura et simplici intentione offero: ad laudem et gloriam aeternae Majestatis tuae; in memoriam sacratissimae incarnationis, vitae, passionis et mortis tuae; in gratiarum actionem pro omnibus donis et beneficiis, toti coetui electorum et mihi, licet indignissimo, hucusque praestitis vel unquam praestandis; in propitiationem peccatorum; pro salute quoque vivorum N. N. et solatio defunctorum N. N. Et utinam ex omni affectu, fervore et desiderio amicorum tuorum, seu jam regnantium in coelo vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande pietatis opus peragere possem!

36. *Crede.* Corde siquidem credo, mi Jesu, et ore confiteor, quia Pater aeternus, Deus seipso summe beatus, potens, perfectus et nullius egens, secundum suam infinitam misericordiam sic dilexit mundum, ut te Filium suum unigenitum nobis daret Salvatorem. Credo quoque, quod tu ipse, Patri aequalis per omnia, ex vi immensae caritatis tuae de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, et propter nos homines homo factus es. Credo, quod ex amore nostri hoc sacramentum in ultima coena instituens, verum corpus et sanguinem tuum, id est teipsum, nobis ad manducandum dedisti; et denique, Patri tuo factus obediens usque ad mortem, temetipsum pro nobis hostiam in ara crucis obtulisti.

37. *Spera.* Ideoque spero in te, et magna fiducia venio ad te, o Domine, qui nostri causa tam mira facere et tam dira pati voluisti. Quid enim negabis, qui sic amasti, ut teipsum dares?

38. *Ama.* Amo te quoque, o bone Jesu, ex tota virtute cordis mei, et semper deinceps et in aeternum amabo, si tu dederis.

39. *Offer teipsum.* Sed quid retribuam tibi, Domine, pro tanto munere, et pro omnibus, quae retribuisti mihi? Ecce abnego memetipsum, et totum me, id est corpus, animam et omnia mea in omne beneplacitum benignissimae voluntatis tuae plene resigno. Verum quid habeo, quod non acceperim? Quid est homo, si comparetur Factori suo? Quid vilis creatura, vermis terrae, miser peccator, servus inutilis, poterit praestare Deo Creatori ac Domino suo? Agnosco, quia pauper et inops sum, ideoque humilio me sub potenti manu tua. Tu vero, o Domine Jesu, utpote advocatus et Mediator meus, dives in meritis et miserationibus, suscipe causam meam, et ex thesauro immensae caritatis tuae fer opem inopiae meae; et pretium sanguinis tui omniumque meritorum tuorum repraesenta aeterno Patri tuo; et hinc supple omnem defectum meum, praecipue hujus meae, heu! nimis modicae et imperfectae praeparationis, qua ad haec ss. mysteria venio: ut sic ei per te placeat obsequium indignissimae servitutis meae.

40. *Postula.* Fac etiam, o bone Jesu, per omnes miserationes tuas, ut hoc tremendum mysterium et admirabile donum caritatis tuae debita semper fide, reverentia et gratitudine prosequar, idque puro et ardenti corde nunc et semper recipiam; statum hunc quoque sacerdotalem, ad quem me ex singulari gratia vocare dignatus es, caritate, castitate, humilitate, mansuetudine, patientia, sobrietate etc. moribusque tibi placitis et sacerdote fideli dignis excolere studeam: idque ut servitus mea magis tibi placeat, ad majorem gloriam tuam, Ec-

clesiae utilitatem, et propriam proximique salutem. Unde tandem supplex obsecro, ut per virtutem corporis et sanguinis tui abstrahas cor meum efficaciter ab omnibus noxiis affectibus N. N. qui gustum ac fructum hujus sacramenti impediunt, et intime tibi unias et incorpores, ut gustem, quam suavis sis, Domine, et unus tecum efficiar spiritus, ut tu in me et ego in te maneam, adeoque nihil sit, quod me unquam valeat separare a te. Nam tibi adhaerere mihi bonum est etc. Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? O pars mea, Deus, in aeternum!

41. *Invoca sanctos.* Ad vos quoque, o sancti, amici Dei, supplex confugio: te imprimis, o sanctissima Dei Mater, Virgo et patrona mea, quae gratia plena Deum et hominem purissimis visceribus tuis meruisti portare; et vos, o sancti N. et N. patroni, mihi singulariter electi et dilecti. Vos modo videtis illum facie ad faciem, et pleno ore manducatis panem illum, quem nonnisi per speculum in aenigmate aspicimus et speciebus velatum accipimus. Utinam vestro interventu adjutus hoc coelesti pane et viatico digne saepius reficiar in via, ut tandem vobiscum eo satiari merear in patria! Amen.

Feria III. post missam.

42. *Exulta Domino.* Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Te, mi Jesu, amplector. Te, amor et gaudium meum, obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. De omnibus necessitatibus meis erue me, Domine, et fac, ut tam plene tibi sim, quam tu mihi. Tu es, o Jesu, creator et plasmator meus: cor mundum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Tu es rex

et Dominus meus: posside me, et nemo praeter te. Tu es doctor et magister meus: bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Tu es advocatus meus apud Deum Patrem: fac ut avertat iram suam a me. Tu es, qui venturus es judicare vivos et mortuos: ne intres in judicium cum servo tuo. Tu es dilectus meus sponsus: desponsa me tibi in misericordia tua et miserationibus. Tu dux et defensor meus: pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Tu victima pro me factus es: in Domino sperans non infirmabor. Tu Salvator et Redemtor meus es: consumma opus tuum, et labor tuus non sit cassus. Tu es pars haereditatis meae, et portio mea in terra viventium: haereditatem meam restitue mihi. Tu es gloria mea, corona et merces nostra magna nimis: admitte me in bona Domini, quae praeparasti diligentibus te. O Jesu, piissime Jesu! o Jesu, Fili Mariae Virginis! infunde in me gratiam, sapientiam, caritatem, castitatem, humilitatem, ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire et in te gloriari, nunc et in perpetuum. Amen.

43. *Jubila Deo salutari tuo.* Quam pulcher es, dilecte mi, dilecte votorum meorum, Christe Jesu! Quam pulcher es! quam bonus et amabilis! O unicae deliciae meae, o vita mea, o gaudium meum, o suavitas summa, o Deus meus et omnia: ad te suspiro, clamo, anhelo! Complector et amo te totis praecordiorum affectibus, quia tu es Deus, ipsissima bonitas, amor aeternus, sapientia inexhausta, potentia infinita, perfectio absoluta. Ecquid tandem me poterit separare a caritate tua? An voluptas brevis, opes caducae, honores falsi, nugae nugarum? Nec illae nec istae facient, o bone Jesu: mihi enim adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Adjuva me, pie Jesu, in

sancto proposito meo; promissionum mearum ne me sinas unquam oblivisci. Sit mihi sacratissimum sacramentum tuum contra omnium peccatorum meorum vulnera efficacissimum medicamentum, ac omnis gratiae et virtutis complementum; sit contra omnia mala et pericula validissimum tutamentum, aeternaeque beatitudinis solidissimum fulcimentum. Amen.

44. *Gratias age.* O clementissime Salvator, Christe Jesu, quam suavis es et mitis, et multae misericordiae omnibus invocantibus te! Cum enim non essemus, divina potentia creasti nos; cum inimici tui essemus, a coelo veniens mira sapientia redemisti nos; et quia sine te tam corpore, quam spiritu vivere, moveri et esse non possumus, immensa bonitate tua tot sacramentis et auxiliis gratiae nos usque conservas, imo corpus et sanguinem tuum, id est teipsum modo prorsus admirabili in hoc sacramento largiris. O caritas, o pietas, o novum et grande mysterium!

Tune, Deus meus, ad me venire dignaris? Rex ac Dominus summae majestatis, ad infimum servum? Deus ad hominem, Creator ad creaturam? Unde hoc mihi, ut tu, Domine, venias ad me? O Deus et Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Et quis narrabit potentias tuas, et auditas faciet omnes laudes tuas? Ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in linguas, et omnes vitae meae respirationes in tui laudes et gratiarum actiones, attamen longe minor essem cunctis miserationibus tuis. Unde, agnoscens insufficientiam meam, id unum votis omnibus exopto, ut omnes creaturae tuae mecum et pro me laudent et benedicant nomen tuum in aeternum.

45. *Offer.* O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ex abundantia infinitae caritatis tuae

dedisti mihi unigenitum Filium tuum: en ego miser peccator, nunc particeps factus corporis et sanguinis ejus, illum in pectore meo complectens, et tanquam rem meam intime mihi conjunctam possidens, illum ipsum in unione caritatis, qua seipsum dedit in ara crucis, tibi offero. Ecce hic est thesaurus, Pater clementissime, in quo totam meam spem reposui; hae sunt divitiae, quas offero in satisfactionem debitorum meorum.

Aspice, pie Pater, in faciem Christi tui, et cum sit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi bene semper complacuisti, qui mihi nunc intime conjunctus est, supplex rogo, ut me quoque aspicias oculis misericordiae tuae. Sub ejus protectione ac tutela, sub umbra meritorum ipsius, compareo coram te, ut, illum praecipue intuens, me quoque clementer ac benigne respicias tanquam mancipium ejus ac servum perpetuum.

Ne permittas, obsecro, ut percat illa anima, quae toties in se recipit Filium tuum, qui a te missus venit in mundum quaerere et salvum facere, quod perierat. Hoc praesta mihi per infinitam misericordiam tuam. Amen.

46. *Invoca Dominum.* Sit, quaeso Domine, haec praecellentissima hostia, quam tibi modo obtuli, in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis et negligentiis meis, et pro peccatis totius mundi. Per illam instaura omnes ruinas meas spirituales, et supple omnem inopiam meam. Per illam mortifica in me, quidquid tibi displicet, et effice me hominem secundum cor tuum. Per illam conforma spiritum, animam et corpus meum spiritui, animae et corpori sacrae humanitatis tuae, meque totum luce divinitatis tuae illustra. Per illam largire, ut in te stabiliar, te perfecte et perseveranter diligam, intime tibi uniar, ac totus in

te transmuter, ad laudem nominis tui, quod invocatum est super nos.

Converte, Domine, miseros peccatores, revoca haereticos atque schismaticos, illumina infideles te ignorantes; adesto omnibus, qui in necessitate et tribulatione aliqua constituti sunt; adesto his, qui se meis precibus commendarunt aut commendati esse cupiunt; adesto parentibus, propinquis et benefactoribus meis, vivis et defunctis. Miserere omnium, pro quibus orare debeo et tu rogari vis: da vivis veniam et gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Tibi laus, Christe Jesu, in saecula saeculorum. Amen.

47. *Ora B. V. M.* O Maria, Virgo et Mater sanctissima! ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti atque sanctissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cujus aspectu laetabaris, omnibus deliciis replebaris: illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento et offero tuis purissimis brachiis amplexandum, toto corde amandum, sanctissimae Trinitati in supremum latriae cultum pro tui ipsius honore et gloria et pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum. Tu maternam vim apud Deum obtines, et fieri non potest, ut non exaudiaris. Sit igitur pietatis tuae, ipsam, qua apud eum vales, gratiam notam facere mundo, sanctis tuis precibus obtinendo reis veniam, medelam aegris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem. Amen.

48. *Ora omnes sanctos.* Omnes sancti et santae Dei, consolatio pauperculae animae meae, vos praesertim patroni et protectores mei! aspicite magistrum, auctorem et praemium sanctitatis vestrae, ac universam vestram felicitatem, intra viscera mea manentem, mihi-

que ab ipso, cui vos tantopere verbo et exemplo in hac vita conformastis, vestris intercessionibus impetrate, ut vestra semper vestigia sequar, et ut ad scopum mihi propositae perfectionis, ac tandem plenus meritis ad vestrum merear consortium pervenire.

49. *Conclusio.* Recedo a te modicum, Domine Jesu, sed non sine te, consolatio, felicitas et omne bonum animae meae; et me amantissimo cordi tuo cum omnibus fratribus, amicis et inimicis meis humillime commendo. Ama nos, Domine, et transforma quam simillime in te. Totus occuper in te et propter te, nihilque sit objectum verborum meorum actionumque mearum internarum et externarum, nisi tu, amor meus, qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Feria IV. ante missam.

50. *Directio intentionis.* Domine Deus! ego indignus servus tuus intendo hoc mane, quam maximo possum amoris, reverentiae et devotionis affectu, sanctissimum missae sacrificium Majestati tuae, cui soli debetur, offerre, juxta ritum sanctae romanae Ecclesiae; et ex nunc offero illud una cum omnibus sacrificiis tibi gratissimis, simulque pretium sanguinis Domini Jesu, merita beatae Virginis et omnium sanctorum, totiusque Ecclesiae preces et laudes; in unione illius sacrificii, quod Christus in ultima coena instituit, et in cruce consummavit, factus ipse sacerdos et victima; affectu et nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi et ejus sponsae Ecclesiae, ex puro tui amore ac desiderio tui beneplaciti semper et in omnibus perficiendi.

Offero tibi illud in protestationem supremae et increatae tuae excellentiae, dominii tui in omnes creaturas, et nostrae subjectionis ac dependentiae a te; in gratiarum

actionem omnium beneficiorum ulli unquam creaturae collatorum et conferendorum; in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo unquam tibi irrogatae vel inferendae; ac in cultum latriae tibi soli debitum, cum omnibus adorationibus Christi, beatae Virginis et omnium Angelorum et sanctorum; item in augmentum gaudii humanitatis Domini nostri Jesu Christi, memoriam vitae, passionis ejusdem, et in augmentum gloriae ac beatitudinis immaculatae Virginis omniumque Angelorum et sanctorum.

Offero etiam illud in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis; in satisfactionem pro peccatis meis, de quibus summopere doleo propter offensam et injuriam, quam tibi irrogavi; et pro omnibus meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus.

Offero demum pro omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus et beata Virgo ejus Mater sciunt et volunt, ut sacrificem; pro parentibus, amicis, consanguineis ac benefactoribus meis; pro omni gradu sanctae catholicae Ecclesiae; pro christianorum principum unione, haereseon et schismatum exstirpatione, et omnium infidelium nationum conversione; pro totius cleri et omnium statuum religiosorum sanctificatione, conservatione et augmento; pro animarum in purgatorio existentium liberatione; maxime autem pro N. N., qui eleëmosynam dederunt aut reliquerunt, ut secundum eorum voluntatem hanc missam celebrarem, quibus intendo hunc fructum applicare, quantum scis me posse vel debere.

Respice ergo in me indignissimum famulum tuum, quem pro vivis et defunctis legatione apud te fungi voluisti: ut defunctis requiem indulgeas, et vivis veniam gratiamque concedas tibi recte fideliterque ser-

viendi, et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

51. *Actus praecipuarum virtutum.* Credo in te, Deus, prima veritas, propter infinitam auctoritatem tuam. Adoro te propter increatam excellentiam tuam. Spero in te propter immensam misericordiam tuam. Amo te propter summam bonitatem et amabilitatem tuam. Confundor et erubesco, quod te, Bono infinito, non contentus, exigua et apparentia bona quaesierim. Doleo de peccatis meis propter te, quem super omnia diligo, et paratus, tibi in hac vita satisfacere, propono, te adjuvante, plenam et perfectam emendationem. Tibi gratias ago pro universis, quibus me cumulare non cessas, beneficiis. Quidquid habeo vel possideo, id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Omnibus, qui me offenderunt, toto corde ignosco propter amorem tuum. Rogo te per sanctissimam Filii tui passionem: miserere animae meae in egressu suo, et perduc eam, omnibus sacramentis munitam, in vitam aeternam. Amen.

52. *Invocatio.* Omnipotens sempiterne Deus! ecce accedo ad sacramentum unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, dominici corporis et

sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus! da mihi corpus unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. *S. Thom. Aquin.*

53. *Ad B. V. M.* O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria! ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam, ut, sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori, et sacerdotibus omnibus, hic et in tota sancta Ecclesia ipsum hodie offerentibus, clementer assistere digneris, ut, tua gratia adjuti, dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

54. *Ad sanctos.* O sancti et sanctae Dei, quorum hodie memoriam in terris celebramus, ego miser et indignus peccator de vestris meritis confidens intendo hoc mane offerre sanctissimum sacrificium corporis et sanguinis D. N. J. C. pro vestro honore et gloria. Precor vos humiliter et devote, ut pro me hodie intercedere dignemini, quatenus tantum sacrificium Deo digne et acceptabiliter offerre valeam, et eum vobiscum et cum omnibus electis ejus in aeternum laudare merear. Amen.

Feria IV. post missam.

55. *Ador.* Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo, quidquid dixit Dei Filius:
Nil hoc Veritatis verbo verius.
In cruce latebat sola deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere!
Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum quit ab omni mundum scelere!
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud, quod tam sitio,
Ut, te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae!
Amen. *S. Thom.*

56. ***Gratiarum actio.*** Gratias ago tibi, benigne Domine, benefactor animae meae, quod me dignum fe-

cisti coelestium tuorum et immortalium mysteriorum. Sed quid retribuam tibi? Vere minor sum omnibus donis tuis. O clementissime Deus! accipe igitur laudes et gratiarum actiones, quas Filius tuus Salvator noster in assumpta huminitate ab instanti incarnationis toto vitae suae decursu persolvit; et illas praecipue, cum instituens hoc sacramentum, et quasi jam tum agnoscens, impares nos esse gratiis tanto beneficio referendis, elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, omnium nostrum nomine tibi gratias egit.

Suscipe etiam, o mitissime Pater, illas gratiarum actiones, quas B. V. unigeniti Filii tui Mater tibi obtulit, quando eum, quem ego ipse jam inclusum pectori meo complector, ipsa suis castissimis visceribus concepit, gestavit et peperit; necnon et illas, quas toto vitae suae tempore et potissimum, quoties jam sublatum in coelos in sacramento recepit, ex ardenti cordis desiderio et intima devotione persolvit.

Benedicant quoque et laudent te omnes angelici Spiritus, qui throno Majestatis tuae jugiter et trementes assistunt et cantant, incessabili voce dicentes, sanctus, sanctus, sanctus.

Desidero quoque ex toto corde, ut omnes sancti et amici tui, tecum modo regnantes in coelis, quorum communionem credimus, meam insufficientiam compensent suis dignissimis laudibus, quas unquam hic in terris in usu et veneratione hujus sacramenti devotissime obtulerunt, et quas tibi modo decantant, cum revelata facie comedunt panem vitae, et torrente voluptatis tuae potantur. Participem me fac, Deus, omnium timentium te et custodientium mandata tua.

O utinam pariter omnium piorum fidelium affectus, fervores, et omnia tibi in terris placentium vota, desideria

et merita in me unum colligere possem, et sic tota animi intentione te amare et honorare pro tanto amore et honore, quo me in hoc sacramento dignatus es!

57. *Postulatio.* Credo Domine, sed credam firmius. Spero Domine, sed sperem securius. Amo Domine, sed amem ardentius. Doleo Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium, desidero ut finem ultimum, laudo ut benefactorem perpetuum, invoco ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero tibi, Deus, cogitanda, ut sint a te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo quidquid vis, volo quia vis, volo quomodo vis, volo quamdiu vis.

Oro, Domine, ut intellectum illumines, voluntatem inflammes, corpus emundes, animam sanctifices.

A superbia non inficiar, adulatione non afficiar, a mundo non decipiar, a satana non circumveniar.

Gratiam praesta memoriam purgandi, linguam frenandi, oculos cohibendi, sensus coërcendi.

Defleam praeteritas iniquitates, repellam futuras tentationes, corrigam vitiosas propensiones, excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, nemini invidere.

Meminerim, o Jesu, mandati tui et exempli inimicos diligendo, injurias sufferendo, persequentibus benefaciendo, pro calumniantibus orando.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere sanctitatem interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Naturae invigilem domandae, gratiae fovendae, legi servandae, saluti promerendae.

Sanctimoniam assequar sincera peccatorum confessione, fervida corporis Christi communione, continua mentis recollectione, pura cordis intentione.

Discam a te, Deus, quam tenue, quod terrenum; quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum; quam durabile, quod aeternum.

Da, mortem praeveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Clemens Papa XI.*

58. ***Deprecatio pro aliorum necessitatibus.*** O Domine, cujus viscera misericordiae patent omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideoque pro omnibus mortem subiisti, et hoc sacramentum instituisti: da, quaeso, sacerdotibus concordiam et innocentiam; regibus et principibus tranquillitatem et pacem; virginibus castitatem; Deo dicatis continentiam; conjugatis sanctimoniam; poenitentibus indulgentiam; justis perseverantiam; peccatoribus, ut mihi misero, veniam; viduis et orphanis protectionem; pauperibus sustentationem; peregrinantibus reditum; lugentibus consolationem; omnibus denique fidelibus christianis, vivis atque defunctis, gratiam et vitam sempiternam. Amen. *S. Aug.*

59. *Ad B. V. M.* O Domina mea, sancta Maria! me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo: ut per tuam sanctam intercessionem et per tua merita omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

60. *Ad sanctos.* O sancti sanctaeque Dei omnes, et beati spiritus angelici, quos Deus vultu suo semper laetificat, orare pro me non dedignemini. Saluto et veneror vos, sincerasque Domino gratias ago, qui vos elegit et in suis benedictionibus praevenit. Eia, impetrate mihi veniam, impetrate gratiam et perfectam cum Deo unionem. Amen.

61. *Conclusio.* Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimae Majestati tuae pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut, qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad praemia futura disponas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Feria V. ante missam.

Preces ex Imitatione Christi decerptae.

62. *Admiratio.* Audivi vocem tuam, Domine: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. O Sancte sanctorum! ecce tu inclinas te ad me; tu vis esse mecum; tu invitas ad convivium tuum; tu mihi dare vis coelestem cibum et panem Angelorum ad manducandum, non alium sane quam te ipsum, panem vivum, qui de coelo descendisti, et das vitam mundo.

63. *Laudatio.* O invisibilis Conditor mundi Deus! quam mirabiliter agis nobiscum, quam suaviter et gratiose cum electis tuis disponis, quibus temetipsum in sacramento sumendum proponis! Laetare anima mea, et gratias age Deo pro tam nobili munere et solatio singulari, in hac lacrymarum valle tibi relicto.

64. *Timor.* Terrent me, Domine, delicta propria, et ad capienda tanta mysteria me reverberat impura conscientia mea. Provocat me dulcedo verborum tuorum, sed onerat me multitudo vitiorum meorum. Quis ego sum, Domine, ut ad te praesumam accedere? Quomodo ausus ero venire ad te, qui nihil boni mihi conscius sum, unde possim praesumere? Quomodo te introducam in domum meam, qui saepius offendi benignissimam faciem tuam, quam reverentur Angeli et Archangeli, quam metuunt sancti et justi?

65. *Contritio.* Peccavi, Domine, peccavi: miserere mei, ignosce mihi. Quid possum agere pro peccatis meis, nisi humiliter ea confitendo et lamentando, et tuam propitiationem ardenter deprecando? Deprecor te: exaudi me propitius, Deus meus. Omnia peccata mea mihi maxime displicent: nolo ea unquam amplius perpetrare, sed pro eis doleo et dolebo, quamdiu vixero. Dimitte mihi peccata mea propter nomen sanctum tuum. Ecce committo me misericordiae tuae, resigno me manibus tuis. Tu omnia delicta mea, quae a die, quo primum peccare potui, usque ad horam hanc commisi, pariter incende et combure igne caritatis tuae; dele universas maculas eorum; conscientiam meam ab omni delicto emunda, et restitue mihi gratiam tuam, quam peccando amisi, omnia mihi plene indulgendo, et in osculum pacis me misericorditer assumendo.

66. *Fides.* Credo et confiteor, quia tu praesens es in altaris sacramento, Deus meus, Sanctus sanctorum,

Creator omnium et Dominus Angelorum. Quidquid intelligere non valeo, tibi Deo omnipotenti secure commendo: non fallis me, Deus meus. Et si talia essent opera tua, ut facile ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda. O quam admirabilis operatio tua, Domine! Quam potens virtus tua! Quam ineffabilis veritas tua! Dixisti enim, et facta sunt omnia, et hoc factum est, quod ipse jussisti.

67. *Spes.* Super bonitate tua et magna misericordia tua, Domine, confisus accedo aeger ad Salvatorem, esuriens et sitiens ad fontem vitae, egenus ad regem coeli, servus ad Dominum, creatura ad Creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem; sperans quod in hoc sacramento mihi conferatur spiritualis gratia: et reparabitur in anima mea virtus amissa, et per peccatum deformata redibit pulchritudo, et demum conservabitur cor meum et corpus immaculatum.

68. *Caritas.* O Dilecte mi! da me pro te omnes dilectos relinquere, et te solum super omnia amare, et te mihi viventi et morienti amicum retinere. Esse sine te gravis est infernus; et esse tecum dulcis paradisus. O thesaurus bonus! O bonum super omne bonum! O Deus meus et omnia! Intelligenti satis dictum est, et saepe repetere jucundum est amanti. Purifica, laetifica, clarifica et vivifica spiritum meum cum suis potentiis ad inhaerendum tibi jubilosis excessibus.

69. *Desiderium.* Ecce, Domine, in te est totum, quod desiderare possum et debeo. Tu salus mea et redemtio, spes et fortitudo, decus et gloria. Desidero te nunc devote ac reverenter suscipere. Cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachaeo merear a te benedici ac inter filios Abrahae computari. Anima mea corpus tuum concupiscit; cor meum tecum unii

desiderat. Noli avertere faciem tuam a me; noli visitationem tuam prolongare; noli consolationem tuam abstrahere. Veni, Domine, veni ad pauperculum tuum, et laetum fac eum: veni, et satia me tua praesentia. Quamdiu hoc datum non fuerit, nec plenum gaudium erit.

70. *Invocatio.* O beatissima gratia, quae pauperem spiritu virtutibus divitem facis, veni descende ad me, reple me nunc consolatione tua, ne deficiat prae ariditate mentis anima mea. Obsecro, Domine Deus meus, praeveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuae, ut ad tuum magnificum sacramentum digne ac devote merear accedere. Excita cor meum in te, et gravi torpore exue me. Quidquid mihi deest, Jesu bone, Salvator sanctissime, tu pro me supple benigne ac gratiose. Da pauperi mendico tuo vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire, ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua proficiat, et caritas, semel perfecte accensa et coeleste manna experta, nunquam deficiat.

71. *Oratio ad B. V. M.* O intemerata et in aeternum benedicta, singularis atque incomparabilis Virgo Dei Genitrix Maria, gratissimum Dei templum, Spiritus sancti sacrarium, janua regni coelorum, per quam post Deum totus vivit orbis terrarum: inclina, Mater misericordiae, aures tuae bonitatis indignis supplicationibus meis, et esto mihi miserrimo peccatori pia et propitia in omnibus auxiliatrix, et in hac praesertim hora, qua dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Jesum Christum, aeterno Patri oblaturus sum, ut nempe eum digne et acceptabiliter offerre valeam. Amen.

72. *Ad omnes Angelos et sanctos.* Angeli, Archangeli, Throni, Dominationis, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes

sancti et sanctae Dei, imprimis dilecti patroni, intercedere dignemini pro humili servo vestro, ut hoc sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem meam totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

73. *Directio intentionis.* Ego volo missam celebrare, et conficere corpus et sanguinem D. N. J. C. juxta ritum sanctae romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Ecclesiae militantis et patientis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, et pro felici statu sanctae romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, cor contritum et humiliatum, atque felicem vitae meae consummationem tribuat mihi omnipotens et misericors Dominus. Amen. (*Indulg.*)

Feria V. post missam.

Preces ex Imitatione Christi decerptae.

74. *Admiratio.* O Dilecte mi, electe ex milibus, in quo complacuit animae meae habitare omnibus diebus vitae suae! O Pacifice mi, in quo pax summa, requies vera! O Deus abscondite, cujus sermo cum humilibus! O vere ineffabilis gratia tua; o vere admirabilis dignatio tua; o amor immensus, animae meae singulariter impensus! O Jesu, quanta est dulcedo in convivio tuo! O quam dulce mihi foret in praesentia tua ex intimo affectu lacrymas fundere, et cum pia Magdalena pedes tuos lacrymis irrigare! Certe in conspectu tuo et sanctorum Angelorum tuorum totum cor meum ardere deberet, et ex gaudio flere. O quam magnum suscepi Dominum, quam

lectum induxi hospitem, quam jucundum recepi socium, quam fidelem acceptavi amicum, quam speciosum et nobilem amplector sponsum! O Jesu bone! sileant a facie tua coelum et terra et omnis ornatus eorum. Mane in secreto, anima mea, et fruere Deo tuo; ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest.

75. *Laudatio.* O dulcissime Salvator! Laudent te universi populi, tribus et linguae, et sanctum ac mellifluum nomen tuum cum summa jubilatione et ardenti devotione magnificent. Ecce omnium devotorum cordium jubilationes, spirituales affectus, mentales excessus ac supernaturales illuminationes et coelicas visiones tibi offero et exhibeo, cum omnibus virtutibus et laudibus ab omni creatura in coelo et in terra celebratis et celebrandis. Accipe vota mea, Domine Deus meus, et desideria infinitae laudationis ac immensae benedictionis, quae tibi secundum multitudinem ineffabilis magnitudinis tuae jure debentur. Haec tibi reddo et reddere desidero per singulos dies et momenta temporum.

76. *Gratitudo.* O benignissime Jesu! quanta tibi gratiarum actio pro susceptione sacri corporis tui debetur, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur. Gratias tibi, o Pastor aeterne, qui me pauperem et exulem dignatus es pretioso corpore et sanguine tuo reficere. O quid retribuam tibi, Domine, pro gratia ista, pro caritate tam eximia? Non est aliud, quod gratius dare queam, quam ut cor meum tibi Deo meo totaliter tribuam et intime conjungam. Dignare Domine manere mecum, ego volo libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum, ut cor meum sit tibi unitum.

77. *Oblatio.* Sicut igitur tu, Domine, teipsum expansis in cruce manibus et nudo corpore pro peccatis meis Deo Patri sponte obtulisti, ita ut nihil in te re-

maneret, quin totum in sacrificium divinae placationis transiret: ita et ego meipsum tibi voluntarie in oblationem puram et sanctam cum omnibus viribus et affectibus meis, quanto intimius valeo, offero. O Domine! rogo te in simplicitate cordis mei, suscipe me tibi in servum sempiternum, in obsequium et sacrificium laudis perpetuae; suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi corporis, quam tibi modo in praesentia Angelorum invisibiliter assistentium obtuli pro me et pro cuncto populo tuo in salutem.

78. *Petitio pro se.* Praesta, Domine Deus salutaris meus, ut cum frequentatione mysterii crescat meae devotionis affectus. Salva animam meam, quam pretioso sanguine tuo redemisti. Age mecum secundum bonitatem tuam, non secundum meam malitiam et iniquitatem. Vide omnia bona mea, quam pauca sint et imperfecta; tu ea emenda et sanctifica, grata habe et accepta tibi fac et semper ad meliora trahe. Me quoque pigrum et inutilem homuncionem ad laudabilem perduc finem.

O dulcissime atque amantissime Jesu! ecce sto ante te, pauper et nudus, gratiam postulans et misericordiam implorans. Accende frigiditatem meam igne amoris tui, verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemtum et oblivionem. Tu solus mihi ex hoc jam dulcescas usque in saeculum. Utinam me totaliter ex tua praesentia accendas, comburas, et in te transmutes, ut unus tecum efficiar spiritus per gratiam internae unionis et liquefactionem ardentis amoris! Operare, Domine, mecum misericorditer, sicut saepius operatus es cum sanctis tuis mirabiliter. O ignis semper ardens et nunquam deficiens! O amor corda purificans et intellectum illuminans!

79. *Petitio pro aliis.* Intuere quoque, benigr

sime Jesu, pia desideria devotorum, necessitates parentum, amicorum, fratrum, sororum omniumque carorum meorum; et eorum, qui mihi vel aliis propter amorem tuum benefecerunt, et qui orationes et missas pro se suisque omnibus dici a me desideraverunt et petierunt, sive in carne adhuc vivant, sive jam saeculo defuncti sint: ut omnes sibi auxilium gratiae, opem consolationis, protectionem a periculis, liberationem a poenis advenire sentiant, et ut, ab omnibus malis erepti, gratias tibi magnificas laeti persolvant.

Offero etiam tibi preces et hostias placationis pro illis specialiter, qui me in aliquo laeserunt, contristaverunt aut vituperaverunt, vel aliquod damnum vel gravamen intulerunt; pro his quoque omnibus, quos aliquando contristavi, conturbavi, gravavi, scandalizavi, verbis, factis, scienter aut ignoranter: ut nobis omnibus pariter indulgeas peccata nostra et mutuas offensiones.

Aufer, Domine, a cordibus nostris omnem suspicionem, indignationem, iram et disceptationem, et quidquid potest caritatem laedere et fraternam dilectionem minuere. Miserere, miserere Domine misericordiam tuam poscentibus; da gratiam indigentibus, et fac nos tales existere, ut simus digni gratia tua perfrui, et ad vitam proficiamus aeternam. Amen.

80. *Oratio ad B. V. M.* Commendo me tibi, serenissima vereque inclyta Virgo Maria, coeli terraeque Regina, quae in tuis sacratissimis visceribus eundem Dominum et omnium Creatorem, quem ego modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum, digne portasti; precor te Matrem Dei sanctissimam, ut pro me apud eundem Filium tuum intercedas, et quidquid quacumque ratione in summi hujus sacramenti celebratione deliqui, hujus negligentiae et indignitatis meae veniam mihi im-

petres. Tu semper casta, pura, innocens, post conceptum Filium etiam castior, purior, sanctior Deoque gratior evasisti: utinam et ego tam divini sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor et corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum! Tu, concepto Filio tuo de Spiritu sancto, magnificas laudes decantasti, et in Deo salutari tuo mirabiliter exultasti: fac meritis et precibus tuis, Virgo Mater, ut cum hac sacra communione novum et ardentem spiritum conjungam, ac semper in gratiarum actione pie verser, tantoque Redemtori et hospiti me nunquam ingratum exhibeam, sed fidelem in omnibus servum ac ministrum. Amen.

81. *Oratio ad omnes sanctos.* Felices sancti, qui jam nostrae mortalitatis pelagus pertransistis, securi de vestra immarcessibili gloria: solliciti estote de mea multiplici miseria; date manus infirmo, coelestis patriae cives, et erigite jacentem, ut convalescens de infirmitate fortis efficiar in bello. Ad me respicite, gens illustrissima et haereditas summi Dei, adhuc peregrinantem in hoc exilio, et mittite de coelo opem et consolationem. Circumdate me gaudentem et exultantem de vestra beatitudine, et gratiam impetrate virtutes vestras imitandi: ut, vestris suffragiis adjutus, particeps fiam vestri gaudii et coronae. Amen.

82. *Conclusio.* Nunc dimittis, Domine Jesu, servum tuum in pace: tu vero ne elongeris a me, Deus meus; in auxilium meum respice, quoniam insurgent in me per diem variae cogitationes, vim mihi facient variae tentationes. Da ut pertranseam illaesus; da ut perfringam eas. Pugna fortiter pro me, et expugna malas bestias, concupiscentias dico illecebrosas. Impera ventis et tempestatibus: dic mari, quiesce, et aquiloni, ne flaveris, et erit tranquillitas magna. Benedic et sancti-

me benedictione coelesti. Protege et conserva animam servi tui inter tot discrimina vitae corruptibilis, ac comitante gratia tua dirige per viam pacis ad patriam perpetuae claritatis. Amen.

Feria VI. ante missam.

83. *Postulatio gratiae.* Deus, qui pro redemtione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad caedem duci, atque conspectibus Annae, Caïphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari: tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam, in cujus memoriam et gratiarum actionem sacrificium offerre volo, libera me a peccatis meis, ut sancte et acceptabiliter altari tuo assistam. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen [1].

84. *Contritio.* O dulcissime Deus, Creator ac Salvator meus, doleo ex intimo corde, quod unquam offenderim te Dominum ac Deum meum, te quem amare debeo super omnia, quia et super omnia bonus es, et plurima mihi bona tribuisti, et eheu! infelix et ingratus ego peccator non retribui nisi mala pro bonis.

---

[1] Haec oratio, paucis mutatis, habetur inter preces indulgentiis ditatas. V. p. XCI.

Verum propitius esto peccatis meis, Domine: nunc enim firmiter statuo ac propono non amplius te offendere, omnesque peccandi occasiones fugere; ideoque nunc hoc sacramentum sumere cupio, ut in amore tui confirmer, et contra omnes peccandi occasiones muniar, ut tu in me, et ego in te maneam.

85. *Actus virtutum.* O Sapientia infinita! O aeterna Veritas! Bonitas immensa, quae nec falli, nec fallere potes! credo in te, et credo tibi in omnibus, quae revelasti et per Ecclesiam mihi credenda proponis. Imprimis vero credo, te in sanctissimo hoc sacramento esse praesentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo quam ingenio meo omnibusque sensibus. Pro hac fide per tuam gratiam mori sum paratus.

Spero in te, o Bonitas infinita, teque per inexhaustam misericordiam tuam veniam, gratiam et gloriam mihi promissam daturum confido.

Amo et amabo te et omnia, quae tu amas, propter te, o Fons infinite omnis boni, quia tu omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate tua, et de omni obsequio, laude, honore et gloria, tibi ab electis tuis et creaturis omnibus unquam reddita et in aeternum reddenda. Te tuumque in omnibus beneplacitum amplector, omnique possibili reverentiae, fiduciae, amoris et pietatis affectu veneror et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transfero. Quidquid egero in omnem aeternitatem aut passus fuero, cedat ad tuam gloriam. Totus tuus sum, fac de me quidquid vis, nunc et in aeternum. Amen.

86. *Directio intentionis.* Ad laudem et gloriam

sanctissimae Trinitatis, in memoriam Salvatoris nostri Jesu Christi vitae, passionis, mortis et resurrectionis, ac in operum et meritorum suorum omniumque sanctorum unione; ad laudem quoque et exaltationem beatissimae Virginis Mariae, coelestium Angelorum, sanctorum atque sanctarum, et signanter N. N. et aliorum sanctorum; offero etiam cum ipsorum beatorum spirituum laudibus, sanctorumque omnium precibus et meritis, nunc et semper hoc et omnia alia sacrificia, officia, orationes et bona opera totius mundi pro meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus, in auxilium et consolationem meam, et in remissionem omnium peccatorum meorum, quorum veram contritionem semper habere intendo, conor et cupio; pro salute quoque meorum parentum et consanguineorum, amicorum, inimicorum, benefactorum in spiritualibus et temporalibus, ac illorum, quibus fui gravamen, scandalum et occasio peccandi; pro omni gradu sanctae catholicae Ecclesiae, ac illius conservatione, augmento et exaltatione, christianorum principum unione, haeresum exstirpatione, summi Pontificis salute, et animarum in purgatorio existentium liberatione; pro conservatione et augmento omnium ordinum, pro conversione omnium infidelium, pro mihi commissis et commendatis; denique pro illis omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus scit et vult me debere orare et sacrificare: sic oro et obsecro, ac orare, obsecrare et sacrificare intendo atque propono juxta intentionem sanctae catholicae Ecclesiae, ego N. minister, licet indignus. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

87. *Oratio ad Spiritum sanctum.* Spiritus gratiae et misericordiae, Spiritus sancte Deus! ecce accedo ad sanctum altare, locum terribilem et metuendum: sed quia

sine te non possum in ministrando gratus apparere, tu me, quaeso, virtute et operatione tua ad digne sacrificandum praepara. Illabere igitur in cor meum et me dignum effice. Veni, mundator scelerum, curator vulnerum, veni sanctissime Spiritus, et aufer a me, quidquid tibi, Patri et Filio in me displicet, et infunde charismatum tuorum pretiosissima dona, quibus adjutus et sancte celebrare valeam, et postmodum secundum voluntatem Jesu vivere.

88. *Ad B. V. M.* Gloriosissima Mater Dei, Virgo Maria, tota fiducia mea et unicum solatium languentis animae meae! precor te, ut mihi miserrimo peccatori assistere hac hora digneris, qua pretiosissimum Filii tui corpus et sanguinem aeterno Patri oblaturus sum, sicut amans ac dolens eidem Filio tuo in cruce pendenti et se pro nostra salute offerenti adstitisti. Ne me despicias, Mater misericordiae, ob intolerabilem peccatorum meorum foeditatem, neque avertas faciem tuam a me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit.

89. *Ad omnes sanctos.* Omnes sancti et sanctae Dei, qui beatifica jam visione aspicitis, honoratis et adoratis, quem nos hic interim non nisi sub speciebus et quasi in aenigmate videmus: orate pro me, ut per salutiferum hujus sacramenti usum vestro tandem dignus consortio inveniri merear.

Feria VI. post missam.

90. *Pii affectus.* O Jesu bone! quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Jam plenum est desiderium meum, plenum gaudium cordis mei, quia tu es plenitudo mea, omne bonum et desiderium meum. Refice, Domine, esurientem animam meam, accende fr

giditatem meam igne amoris tui, illumina caecitatem meam claritate praesentiae tuae. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia infima et creata in contemtum et oblivionem. Erige cor meum ad te in coelum, et ne permittas me vagari super terram. Penetret, quaeso, hujus sacramenti virtus omnia intima mea, et quidquid in me pravum, quidquid vitiosum est, mortificet et eradicet. In te, Jesu suavissime, sit omnis delectatio mea; taedeat me gaudii, quod est sine te, amara sit mihi omnis quies, quae non est in te. Emitte ex te, benignissime Jesu, amoris tui radios, qui me succendant et, quidquid terrenum in me est, comburant et consumant, ut igne inextinguibili caritatis tuae ardeam, et vetus in me homo totus deficiat. Utinam me rapiat ignita vis amoris tui, quae me transformet in te, et in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat!

91. *Actus amoris.* O Deus! ego amo te, nec amo te, ut salves me, aut quia non amantes te aeterno punis igne. Tu, tu mi Jesu, totum me amplexus es in cruce; tulisti clavos, lanceam, multamque ignominiam, innumeros dolores, sudores et angores ac mortem: et haec propter me ac pro me peccatore. Cur igitur non amem te, o Jesu amantissime? Non ut in coelo salves me, aut ne aeternum damnes me, nec praemii ullius spe: sed sicut tu amasti me, sic amo et amabo te, solum quia rex meus es, et solum quia Deus es. *Sanctus Franc. Xaver.*

92. *Gratiarum actio.* Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi; et precor, ut haec sancta communio non sit mihi

reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae ac libidinis exterminatio; caritatis et patientiae, humilitatis et obedientiae omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhaesio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen. *S. Thom. Aquin.*

93. *Oblatio.* Protector meus aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui. En Filius tuus ita se mihi communicavit, ut ego in illo et ille in me sit: en factus est unum mecum, et ego unum cum illo! Ipsum igitur tibi offero, Pater amantissime, ut thymiama suavissimi odoris, ad maximam tui gloriam et honorem, in gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, in remissionem peccatorum meorum et totius mundi, ad impetrandum mihi et omnibus, pro quibus oravi et orare debeo, omnia subsidia vitae temporalis et aeternae, et pro animabus omnium fidelium defunctorum. Suscipe, Domine, cum hac sacratissima oblatione animam meam et corpus meum, omnes vires et affectus meos, ut sim perpetuum holocaustum jugiter ardens Majestati tuae; praesta, ut deinceps nec membra, nec sensus, nec potentias, nec vitam habeam, nisi ut te amem et serviam tibi.

94. *Reparatio injuriarum.* O Jesu patientissime, qui innumeris contumeliis in sacramento tuo afficeris: detestor et abominor ex toto corde meo omnes ill

tibi illatas a peccatoribus injurias. Obsecro te per ineffabilem sacratissimi tui cordis caritatem, ut pro illis sis apud omnipotentem Patrem tuum propitiatio. Accende in me, o Jesu, per corporis tui praesentiam zelum urentem, ut et commissa sacrilegia plangere, et committenda avertere satagam.

95. *Invocatio.* Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera serenaque et apostolica sanctissima caritate: ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui; te concupiscat et deficiat in atria tua; cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae; te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei; et te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, de te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem; et tu sis solus semper spes mea, salus mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, sapientia mea, portio mea, et possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter sit radicata mens mea et cor meum. Amen. *S. Bonav.*

96. *Deprecatio pro aliorum necessitatibus.* Domine Deus omnipotens, Pater Christi, tui benedicti Filii, exauditor eorum qui recte invocant te, cognitor precum etiam eorum, qui tacent: gratias agimus tibi, quod nos dignos censuisti, qui participaremus sancta tua mysteria, quae praebuisti nobis ad plenam eorum, quae bene cognovimus, persuasionem, ad custodiam pietatis, ad remissionem delictorum; quoniam nomen Christi tui invocatum est super nos. Qui segregasti nos ab impiorum communione, aduna cum iis qui tibi sunt consecrati, confirma nos in veritate per sancti Spiritus adventum, quae ignoramus revela, quae deficiunt supple, quae novimus corrobora. Sacerdotes inculpatos conserva in cultu tuo, reges tuere in pace, magistratus in justitia, aërem in temperie, fruges in ubertate, mundum in omnipotente providentia; gentes bellicosas seda, errantes converte; populum tuum sanctifica, virgines conserva, conjuges custodi in fide, castos robora, debiles firma, caecos illumina; nosque omnes congrega in regnum coelorum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor ac veneratio, et sancto Spiritui in saecula. Amen.

97. *Commendatio B. V. M.* Sancta Maria, Mater Dei et Virgo, ego, licet indignus, qui serviam tibi, attamen de materni cordis tui clementia confisus, eligo te hodie coram Angelo meo custode et tota coelesti curia in meam matrem et peculiarem dominam, patronam et advocatam, firmiterque propono, me deinceps Filio tuo servire velle fideliter, et devotum tibi manere perenniter.

Obsecro te, Mater sacratissima, per amorem, quo Filius tuus, jam moriturus in cruce, semetipsum Patri suo, te vero discipulo suo, et hunc vicissim tibi cor

mendavit: ut me suscipias in curam et tutelam tuam, et adsis mihi in omnibus periculis et angustiis totius vitae meae, sed praecipue in hora mortis. Amen.

98. *Conclusio.* Mane in me, benignissime Jesu: esto tutamen et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut, foris et intus per te munitus, recto tramite ad regnum tuum perveniam. Amen.

Sabbato ante missam.

99. *Adoratio.* O Deus, trine in personis et unus in essentia; et tu Domine Jesu Christe, verus Deus et homo! ex toto corde te adoro, et confiteor te meum esse verum unicum Creatorem, Salvatorem et meum ultimum finem; et quia adoratio mea nimis exigua et debilis est, tibi offero excellentes illas adorationes, quas continuo tibi persolvit tua sanctissima humanitas, et tua gloriosissima Genitrix Virgo Maria totaque curia coelestis, ac sancta Ecclesia catholica, tua dilecta sponsa. *S. Franciscus Salesius.*

100. *Amor.* Insuper, o Domine, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus te amo, et super omnia amare desidero; et si possibile esset, te amare cuperem illo amore perfectissimo, quo teipsum amas, et quo tua sanctissima humanitas, et gloriosissima Virgo Maria cum tota coelesti curia, et sancta Ecclesia catholica te amant. *S. Franc. Sales.*

101. *Contritio.* Et cum, o Domine, sis infinite bonus, sapiens, potens, justus et misericors: ideo ex toto corde doleo, et super omnia detestor omnia mea peccata mortalia et venialia, quae unquam cogitatione, verbo et opere, a primo instanti, quo usum rationis habui, usque ad praesentem horam commisi. Et loco mei

imperfecti doloris tibi offero amaram illam contritionem, quam sanctus Propheta David, sanctus Petrus et sancta Maria Magdalena, imo omnes veri poenitentes unquam habuerunt ab origine mundi usque ad praesens, cum voluntate absoluta te nunquam amplius, adjuvante tua divina gratia, offendendi. *S. Franc. Sales.*

102. *Satisfactio.* Et quia, o Domine, in mea non est potestate, ut satisfaciam tot debitis, quibus ob mea peccata et offensas me plusquam obligatum profiteor: ideo in satisfactionem eorum offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, omnes labores, poenas et dolores, quos sustinui et adhuc sustenturus sum, cum meritis vitae, passionis et mortis tui unigeniti Filii, humillime petens veniam meorum delictorum et efficacem gratiam, ut de iis ante mortem veram poenitentiam agere possim. *S. Franc. Sales.*

103. *Oblatio.* Praeterea, o Domine, cum hocce meo sacrificio me tibi totum ad tuum honorem et aeternam gloriam offero et consecro in unione illius ardentissimi amoris et purissimae intentionis, quibus teipsum in ultima coena nobis in cibum tradidisti, et in ara crucis sacrificium cruentum pro nobis obtulisti: et loco meae exiguae praeparationis ac praesentis meae parvae devotionis tibi offero profundam illam humilitatem, caritatem, puritatem, cum quibus tua sanctissima Mater et omnes tui fideles et famuli ad hoc ss. sacramentum accesserunt, et quibus ornati tui Apostoli, imo omnes sancti Sacerdotes hocce tremendum sacrificium tibi obtulerunt a prima tua institutione usque ad praesens, et quibus nunc adornata tua sancta Ecclesia catholica ubique locorum offert. *S. Franc. Sales.*

104. *Directio intentionis.* Pater coelestis, clementissime Pater misericordiarum! suscipe hodie per

manus servi tui hoc sacrosanctum sacrificium, verum corpus et sanguinem Filii tui D. N. J. C. in satisfactionem et remissionem omnium peccatorum meorum; in salutem et sanctificationem animae meae et omnium illorum, quibus aliqua obligatione teneor; omnium Ecclesiae tuae pastorum, ut eis gratiam Spiritus sancti impertiri digneris ad salutem animarum suarum et regimen totius populi christiani; omnium peccatorum hujus mundi, ut eos convertas et ducas in viam salutis; in consolationem omnium tribulatorum, ut eis adjutorium et veram poenitentiam tribuas; in refrigerium et liberationem omnium animarum existentium in purgatorio, et maxime illarum, quae auxilium a me jure exspectant; et ad illuminationem et conversionem omnium gentium infidelium, haereticorum et schismaticorum, ut cognoscant et ament te, summam Veritatem, Patrem omnipotentem, qui cum Filio et Spiritu sancto es laudabilis Deus et benedictus in saecula saeculorum. Amen.

105. *Ad D. N. J. C.* Accende, o Jesu, igne amoris tui cor meum, quod tibi in holocaustum offero, omnesque terreni amoris flammas extingue, ut nihil in mundo mihi placeat praeter te. In amore tui vivere cupio et mori exopto.

Votâ tua, mi Jesu, haec sunt: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos; et expansis in cruce brachiis me exspectas. En venio, o Jesu! admitte me, obsecro, et concede, ut amoris tui complexu tibi semper conjunctus permaneam.

Praecipitur mihi, ne appaream in conspectu tuo vacuus: sed quid dabo tibi, mi Jesu? Accipe tuae bonitatis dona, animae meae facultates, quas tibi in obsequium offero: memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim; nihil sciam extra te; nihil amem

praeter te, nec in ulla re mea, sed tua voluntas fiat. Amen.

106. *Ad B. V. M.* Castissima Virgo Maria! rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in utero tuo virginali placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

Humillima Virgo! rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros Angelorum et sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes negligentiae meae.

Amabilissima Virgo Maria! rogo te per singularem ac tantum illum amorem, qui sanctam animam tuam inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi copia requisitorum meritorum. Amen.

107. *Ad sanctos.* Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim ac Seraphim, omnes sancti et sanctae Dei, maxime vos N. N. quorum hodie memoriam agimus: succurrite mihi, quaeso, precibus vestris, ut ss. hoc sacrificium viva fide, ferventi caritate et plena devotione perficiam, perque ejus continuum et salutiferum usum vestro dignus consortio tandem inveniar. Amen.

Sabbato post missam.

108. *Adoratio.* Ave verum corpus, natum de Maria Virgine, vere passum, immolatum in cruce pro homine, cujus latus perforatum unda fluxit cum sanguine. Esto nobis praegustatum mortis in examine. O Jesu dulcis! O Jesu pie! O Jesu, Fili Mariae!

109. *Pii affectus.* Mirantur, bone Jesu, creaturae omnes, te in purissimum Mariae Matris tuae uterum descendisse, cum tamen integerrima illa et omni virtute

ac gratia refertissima fuerit. An non mirari magis debeo, quod volueris ad me divertere, a me recipi, a me teneri, paupere, nudo, misero, miserabili?

Tune Domine, Sanctus sanctorum, in me manere dignatus es, qui sum sordes peccatorum? Itane voluisti honorare me, qui tamdiu fui immundum vas, ut fierem templum tuum, tabernaculum tuum, et quasi theca sacrarum reliquiarum corporis et sanguinis tui, quae longe omnes sanctorum reliquias excedunt? Benedicant te omnes Angeli tui pro tanta in me dignatione! Effice ergo, ut jam sciam et sciam semper vas meum possidere non in passione desiderii, sicut gentes, quae ignorant Deum, sed in sanctificatione et honore.

Da mihi, dulcissime Jesu, praesentiae tuae effectus persentire. Memini benedictionum, quibus cumulasti eos, qui te aliquando in domum suam exceperunt. Maria Mater tua, ubi te in suum recepit uterum, omnibus gratiae donis repleta est. Zachaeo publicano, cujus usus es hospitio, salus a Deo facta est. Simul atque obita pro nobis morte in limbum descendisti, illum in paradisum quemdam commutasti. Domum Obededom et omnia ejus propter arcam testamenti large benedixisti. Benedic quoque domum cordis mei, in quam ingressus es; eam, quaeso, in paradisum converte et tuo sancto imple Spiritu.

Memini, piissime Jesu, sacris de te literis esse mandatum, quod omnis turba quaerebat te tangere, quia virtus de te exibat et sanabat omnes. Ecce ego te jam non tetigi tantum, sed in me quoque recepi: exeat, quaeso, a te virtus illa divina, quae sanet animam meam, curet omnem ejus languorem, et novas ei addat vires ad serviendum tibi omnibus diebus in sanctitate et justitia.

110. *Gratiarum actio.* O dulcedo cordis mei, et

vita animae meae, et jucunda requies spiritus mei, dulcis Jesu! immortales tibi ago gratias pro omnibus beneficiis mihi collatis; signanter vero, quia hodie me dignum fecisti, verum et immaculatum corpus et sanguinem tuum pretiosissimum consecrare, pertractare, illudque tibi offerre in memoriam tuorum mirabilium, ad tuam gloriam, et in remissionem omnium peccatorum, tam meorum quam illorum, pro quibus orare et offerre proposui, illoque in salutem et consolationem animae meae cibari et nutriri. Quapropter vere dicere audeo: cibus meus Christus, et ego ejus. Multiplico ergo, et quotiescumque respiro multiplicare intendo meam voluntatem in infinitum in tuis laudibus, precorque beatissimam Virginem, Angelos, sanctos, sanctas et universas creaturas, pro me immensas tibi referre gratias. Imo quia ista minime sufficiunt, te supplico, ut tibi ipsi gratias agere, te laudare et glorificare complaceas; et quia dignatus es istam indignam tuam tamen facere habitationem, dignare quoque apud ipsam perpetuam facere mansionem. Effice me hominem secundum cor tuum. Uni me tibi intime, et totum transforma ac transmuta in te. Salva me, Jesu Christe, et cunctam a me hostis antiqui depelle nequitiam per tuam innocentissimam passionem. Oro itidem, ut digneris gratias et indulgentias omnes, quas hoc sacrificio vel communione mediante acquirere et lucrari possum, concedere tam mihi quam aliis vivis et defunctis, quibus applicare proposui, quia te ipsum et pro ipsis exoro, pro quibus et tu vis et sanctissimus Pontifex intendit hac de causa me debere orare. Amen.

Pater Noster. Ave Maria.

111. *Oblatio et petitio.* Adoro te et gratias ag tibi, benignissime Domine Jesu Christe, qui me vilissimu

peccatorem admittere dignatus es ad splendidum vivificumque sacrae mensae convivium. Heu mihi, quia nimis indigne complevi hoc sanctum sacrificium! Miserere mei, ignosce mihi. Ego, quod egi, commendo divino cordi tuo emendandum et corrigendum. Suscipe, quaeso, haec sacrosancta corporis tui mysteria, quae tibi obtuli ad gloriam nominis tui sempiternam, ad honorem dulcissimae Genitricis tuae Virginis Mariae, ad honorem omnium sanctorum tuorum omniumque beatorum Angelorum, ad salutem meam et omnium fidelium, tam vivorum quam defunctorum. Suscipe hoc praecellentissimum sacramentum in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro omnibus peccatis ac negligentiis meis, et pro peccatis totius mundi.

Per illud sanctifica, o piissime Pater, Ecclesiam tuam, aufer ab ea omnia scandala et schismata, ut fiat unum ovile et unus pastor. Per illud effunde misericordiam tuam in gentes, quae te non noverunt, et illumina corda illarum, ut te cognoscant et ament. Per illud dissipa consilia impiorum, ne regno tuo officiant et propagationi gloriae tuae. Da summo Pontifici, praelatis et ordinibus ecclesiasticis divinum tuum amorem, ut suo officio rite fungantur; regibus, principibus cunctisque magistratibus sapientiam, qua justitiam fideliter administrent pacemque sequantur; ac populo tuo tuam benedictionem. Tribue agonizantibus veram contritionem tuumque amorem, inimicis meis tuam caritatem ac dulcedinem, amicis, benefactoribus et consanguineis tuam dilectionem; nosque et omnia nostra dirige, ut cultus tuus semper et ubique vigeat et perseveret. Animabus in purgatorio detentis, illis maxime, quae suffragiis nostris indigent, vel quibus sum obligatus, requiem sempiternam concede ac beatam tui fruitionem.

112. *Obsecratio pro peccatoribus.* Aeterne rerum omnium effector Deus! memento abs te animas peccatorum esse procreatas easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso Domine, ultra permittere, ut isti in iniquitatibus suis perseverantes Filium tuum omnium Salvatorem contemnant, sed precibus sanctorum tuorum et sanctissimae Ecclesiae, ejusdem Filii tui sponsae, placatus recordare misericordiae tuae, et oblitus inobedientiae et praevaricationis eorum effice, ut et ipsi tandem ex toto corde convertantur ad eum, quem misisti, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

113. *Ad B. V. M.* O beata Maria! quis tibi digna valeat gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandae salutis aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus; accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum; et in te, beatissima, nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicum

que celebrant tuam sanctam commemorationem [1]. *S. Aug. Serm. 18. de sanctis.*

114. *Ad omnes sanctos.* O vos omnes sancti et electi Dei respicite in me, quia dignum objectum oculorum vestrorum nunc factus sum. Loquimini pro me bona summo Regi, qui me corpore et sanguine suavissime refecit, et offerte ei merita vestra in supplementum imperfectionis meae. Gratias agite ei pro me, et postulate, ut sacramentali sua praesentia non recedat a me, nisi relinquat post se animae meae largissimam benedictionem.

115. *Conclusio.* Adjuvet nos gratia tua, omnipotens Deus, ut, qui officium sacerdotale suscepimus, digne et devote tibi cum omni puritate et in conscientia bona famulari valeamus. Et si non possumus in tanta innocentia vitae conversari, ut debemus: concede nobis tam digne flere mala, quae gessimus, ut in spiritu humilitatis ac bonae voluntatis proposito tibi ferventius deservire valeamus. Amen.

---

[1] Indulg. 50 dierum, quoties oratio supra scripta: „O beata Virgo“ corde saltem contrito recitatur — si additur (nam supra non scripta est integra): „Assiste parata votis poscentium et reporta nobis optatum effectum. Sint tibi studia assidua, orare pro populo Dei, quae meruisti, benedicta, Redemtorem ferre mundi, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.“

V. Preces indulgentiis ditatae, ad missae celebrationem aliquo modo spectantes [1].

a. Preces ante missam recitandae.

1. Directio intentionis.

Ego volo celebrare missam et conficere corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxta ritum sanctae romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiae triumphantis; ad utilitatem meam totiusque curiae militantis; pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctae romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen [2].

2. Ad s. Joseph.

Antiph. O felicem virum, beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

---

[1] Preces istae desumtae sunt ex opere: Die Ablässe ihr Wesen und ihr Gebrauch, erklärt v. P. A. Maurel P d. G. J. Aus dem Französ. ꝛc. Paderborn. Schöningh. 1860 — et ex altero: Sammlung von Gebeten und frommen Werken, für welche die Päpste hl. Ablässe verliehen haben. 13te röm. Ausg. von Aloysius Prinzivalli, übersetzt von Michael Haringer. Regensb. Manz. 1859 — ubi accuratiora de indulgentiis annexis legi possunt.

[2] Indulg. 50 annorum. Maurel. p. 112. Prinz. p. 17

V. Ora pro nobis, beate Joseph.
R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui dedisti nobis regale sacerdotium, praesta quaesumus, ut, sicut beatus Joseph unigenitum Filium tuum, natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare: ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per Chr. D. N. Amen [1].

b. Preces post missam recitandae.

3. Oratio coram imagine Crucifixi.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero et mente contemplor, illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David Propheta de te, o bone Jesu: Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. (Ps. 21, 17. 18.) [2]

---

[1] Indulg. unius anni. Maurel p. 131. Prinziv. p. 176.

[2] Indulg. plenaria lucranda ab iis, qui post confess. et commun. devote et corde saltem contrito hanc orationem coram qualicunque Crucifixi imagine recitaverint, et oraverint pro necessitatibus Ecclesiae. Maurel p. 111. Prinz. p. 145.

4. Oratio.

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar; vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter; aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen [1].

5. Oratio S. Ignatii.

Anima Christi sanctifica me.
Corpus Christi salva me.
Sanguis Christi inebria me.
Aqua lateris Christi lava me.
Passio Christi conforta me.
O bone Jesu, exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum sanctis tuis laudem te
in saecula saeculorum. Amen [2].

---

[1] Indulg. 3 annorum pro sacerdotibus, orationem hanc post missae celebr. recitantibus. Maur. p. 113. Prinz. p. 177.

[2] Indulg. 300 dierum pro fidelibus, quoties hanc orationem corde contrito recitaverint; ind. 7 annorum, si eam post s. communionem (sacerdotes post celebrationem) recitaverint; ind. plenaria, semel in mense lucranda ab iis, qui eam quotidie saltem semel recitare solent, si post confessionem et communionem Ecclesiam sive Oratorium publ. visitaverint et ad int. s. Pontificis oraverint. Maur. p. 113. Prinz. p. 178.

c. Preces, quae tum ante, tum post missae celebrationem recitari possunt.

6. Hymnus s. Thomae.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum
Etsi sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

V. Panem de coelo praestitisti eis.
R. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus.

Deus, qui nobis sub sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut

redemtionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc. [1]

7. Oratio coram ss. Sacramento.

Respice, Domine, de sanctuario tuo (Deut. 26, 15.) et de excelso coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus pontifex noster, sanctus puer tuus, Dominus Jesus, pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce, vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine (Dan. 9, 19.); placare, Domine; attende et fac ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum; et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen [2].

8. Oratio ad ss. sacramentum et ss. cor Jesu.

Ecce, quousque processit caritas tua immensa, o mi Jesus amantissime! Carne tua et pretiosissimo tuo

---

[1] Ind. 300 dierum iis, qui hymnum „Pange etc.“ cum V. et orat.; 100 dierum iis, qui duas ultimas strophas („Tantum ergo“ et „Genitori“) cum V. et orat. corde devoto et contrito oraverint; indulg. plen. singulis annis feria 5 in coena D., in festo Corp. Chr. vel aliqua die infra octavam, et tandem alio die libere eligendo, iis, qui saltem decies in mense hymnum vel „Tantum ergo“ modo supradicto recitare solent, si post confess. et commun. Ecclesiam visitaverint et ad int. s. Sanctitatis oraverint. Maur. p. 116. Prinz p. 191.

[2] Indulg. plen. prima quaque feria 5 mensis, iis, qui hanc orationem coram ss. sacramento (sive exposito, s. in tabernaculo) genibus flexis recitaverint rite confessi et communicati, et oraverint pro s. Eccl. etc. —; ind. 7 annorum et 7. quadrag. sub iisdem conditionibus, quavis feria 5ta; ind. 100 dierum, si recitatur haec oratio quavis die. Prinz. p. 189.

sanguine divinam mihi praeparasti mensam, ut teipsum totum mihi donares. Quid te impulit ad tales summi amoris actus? Certe, nihil aliud, quam cor tuum amore maximo plenum. O cor adorandum mei Jesu! O fornax ardentissima divini amoris, suscipe animam meam in plagam tuam sacratissimam, ut in ista caritatis schola redamare discam hunc Deum, qui tam admirabilia amoris sui argumenta mihi exhibuit. Amen [1].

9. Deprecatio ad Jesum in ss. sacramento.

Adoro te ea profundissima veneratione, quam fides mihi suggerit, o Deus et Redemtor meus, Jesu Christe; et amo te, o vere Deus et vere homo, abscondite in sacrosancto altaris sacramento, ex toto corde, in compensationem omnium irreverentiarum, dehonestationum et sacrilegarum profanationum, quas adhuc forsitan infeliciter commiserim, et earum, quae commissae sunt, vel (quod absit) committi deinceps possent. Adoro te igitur, o mi Deus, non sicut tu dignus es adorari, nec sicut ego deberem, sed saltem, sicut possum; et id praestare optarem ea omni perfectione, cujus capaces sunt universae rationales creaturae. Et sic intendo te adorare nunc et semper, non solum pro illis catholicis, qui te non amant, sed etiam in compensationem et pro conversione omnium haereticorum, schismaticorum, atheorum, blasphemorum, impiis artibus deditorum, Mohamedanorum, Judaeorum et paganorum. O utinam, mi Jesu, semper ab omnibus agnoscaris, adoreris, ameris et dignis gratiarum actionibus colaris in sanctissimo et divinissimo sacramento! Ita fiat! [2].

[1] Indulg. 100 dier. semel quotidie lucranda. Prinz p. 204.

[2] Indulg. 200 dierum. Prinz. p. 202.

10. Oratio in memoriam passionis Domini.

Deus, qui pro redemtione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavibus affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari: tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen [1].

(Adduntur 5 Pater, Ave et Gloria Patri.)

11. Oratio.

Pietate tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata semperque Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus sanctis, nos famulos tuos et loca nostra in omni sanctitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate ac familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis

[1] Indulg. 300 dierum iis, qui semel in die; indulg. plen. iis, qui per mensem quotidie in memoriam passionis et mortis D. N. J. Ch. hanc orationem cum 5 P. N. Ave et Gloria recitaverint, uno ex tribus ultimis diebus mensis lucranda sub solitis conditionibus. Prinz. p. 144.

tribue, hostes visibiles et invisibiles remove, carnalia desideria repelle; aërem salubrem indulge; amicis et inimicis nostris caritatem largire; Urbem custodi, Pontificem nostrum N. conserva; omnes praelatos, principes cunctumque populum christianum ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper, et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Chr. D. N. Amen [1].

12. Oblatio pretiosissimi sanguinis.

Aeterne Pater, offerimus tibi pretiosissimum Jesu sanguinem, quem tanto amore tantisque doloribus ex dexterae manus suae vulnere pro nobis effudit, et divinam Majestatem tuam rogamus per ejus merita et virtutem, ut sanctam tuam nobis largiaris benedictionem, qua contra inimicos nostros protegamur et ab omnibus malis fideliter liberemur, dicentes: Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, descendat super nos et maneat semper. Amen [2].

Pater. Ave. Gloria P. etc.

13. Septem pretiosissimi sanguinis oblationes.

1. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro dilatatione et exaltatione sanctae Ecclesiae,

[1] Indulg. 40 dierum quoties etc.; ind. 100 ann. et 100 quadrag. iis, qui omnibus sabbatis mensis recitaverint. Prinz. p. 55.

[2] Indulg. 100 dierum fidelibus, quoties hac oblatione pretios. sanguinem Patri obtulerint ad coelestem consequendam benedictionem, et P. Ave et Glor. P. addiderint in gratiarum actionem. Ind. plen. iis, qui per mensem quotidie illam oraverint, die libere eligendo sub solitis conditionibus. Prinz. p. 162.

carissimae matris meae, pro conservatione et incolumitati visibilis ejus capitis, sancti patris nostri Papae romani, pro Cardinalibus, Episcopis animarum, pastoribus et sanctuarii ministris.

Gloria Patri etc. Deinde:

Laudetur et benedicatur Jesus, qui suo nos redemit sanguine!

2. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro pace et unitate regum et principum catholicorum, pro humiliatione inimicorum sanctae fidei, et pro populi christiani salute.

Gloria P. etc. Laudetur etc.

3. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro illuminatione infidelium, pro exstirpatione haeresum et conversione peccatorum.

Gloria etc. Laudetur etc.

4. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro omnibus consanguineis, amicis et inimicis meis, pro omnibus miseris, aegrotis et tribulatis, et pro omnibus, pro quibus scis et vis me debere orare.

Gloria etc. Laudetur etc.

5. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro omnibus hodie in alteram vitam migraturis, ut eos ab inferni poenis eripias, et quam celerrime ad gloriae tuae possessionem admittas.

Gloria. Laudetur.

6. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris pro iis omnibus, qui tantum thesaurum agnos-

cunt et amant, pro omnibus, qui mecum sunt uniti in ejus adoratione et veneratione, pro omnibus denique, qui ejus cultum dilatare laborant.

Gloria. Laudetur.

7. Aeterne Pater, offero tibi merita pretiosissimi sanguinis Jesu, dilectissimi tui Filii et divini mei Redemtoris, pro omnibus spiritualibus et corporalibus necessitatibus meis, in juvamen sanctarum animarum purgatorii, earum imprimis, quae nostrae redemtionis pretium et sanctissimae dilectissimaeque nostrae matris Mariae dolores et cruciatus maxima devotione coluerunt.

Gloria. Laudetur.

Vivat sanctissimus Jesu sanguis nunc et per omnia saecula saeculorum. Amen [1].

14. Orationes et precationes.

O Pater, o Fili, o Spiritus sancte! O sanctissima Trinitas! O Jesus! O Maria! Benedicti Angeli et sancti coeli, impetrate mihi gratias, quas peto per pretiosissimum Jesu Christi sanguinem:

1. Ut semper faciam voluntatem Dei.
2. Ut semper Deo sim unitus.
3. Ut nil aliud cogitem, nisi de Deo.
4. Ut solum Deum amem.

---

[1] Indulg. 300 dierum fidelibus, qui hisce oblationibus aeterno Patri offerunt corde contrito pretiosum Filii sanguinem, addentes septem Gloria etc. cum aspiratione apposita, ea intentione, ut satisfaciant pro injuriis, qui Domino in sanguine suo, nostrae salutis et redemtionis pretio, irrogantur; — indulg. plen. iis, qui orationes suprascriptas per mensem quotidie recitaverint, die libere eligendo, quo confessi et communicati ad mentem s. Patris oraverint. Prinz. p. 156.

5. Ut omnia faciam propter Deum.
6. Ut solum Dei honorem quaeram.
7. Ut propter solum Deum me sanctificem.
8. Ut nihilum meum perfecte cognoscam.
9. Ut voluntatem Dei mei melius in dies cognoscam.
10. . . . . (Hic addi potest specialis precatio, quae libet.)

Sanctissima Virgo et Mater Dei, Maria, offer aeterno Patri pretiosissimum Jesu Christi sanguinem pro anima mea, pro sanctis purgatorii animabus, pro necessitatibus sanctae Ecclesiae, pro peccatorum conversione et universo mundo.

Addantur 3 Gloria P. in hon. pret. sanguinis Jesu Christi, unum Ave in hon. Matris dolorosae, et semel „Requiem aeternam dona eis Domine" etc. pro animabus purgat [1].

15. Laudes divini nominis.

(Recitandae in ejus honorem et in satisfactionem pro injuriis, quae ipsi per blasphemias et maledictiones irrogantur.)

Benedictus Deus! Benedictum sanctum ejus nomen! Benedictus Jesus Christus, verus Deus et verus homo! Benedictum nomen Jesu! Benedictus Jesus in ss. altaris sacramento! Benedicta magna et sanctissima Dei Mater Maria! Benedicta sancta et immaculata ejus conceptio! Benedictum nomen Mariae, Virginis et Matris! Benedictus Deus in suis Angelis et sanctis! [2]

---

[1] Indulg. 300 dierum iis, qui semel in die; ind. plen., qui per mensem quotidie devote et corde contrito oraverint preces suprascriptas, lucranda uno ex tribus ultimis mensis diebus, sub solitis conditionibus. Prinz. p. 53. Maurel p. 107.

[2] Indulg. unius anni, quoties istae laudes dev

16. Hymnus ad Spiritum sanctum.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita.
Imple superna gratia,
Quae tu creasti, pectora.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, caritas,
Et spiritualis unctio;

Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura:

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus, da, Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In saeculorum saecula. Amen [1].

17. Sequentia ad Spiritum sanctum.

Venite sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.

Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.

---

recitantur; ind. plen. semel in mense iis, qui per mensem saltem semel quotidie eas recitaverint, sub solitis conditionibus. Prinz. p. 45. Maurel p. 106.

[1] Indulg. 100 dierum, quoties hymnus iste recitatur; ind. 300 dierum in die s. Pentecostes vel infra Octavam; ind. plen. semel in mense iis, qui quotidie semel vel saepius eum recitaverint, et intentionem fecerint orandi pro unitate principum christianorum etc. — die libere eligendo, sub solitis condit. Prinz. p. 58. Maurel p. 108.

Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium;

In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.

O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
Sana, quod est saucium.

Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
Rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.
Amen [1].

18. Oratio ad b. Joseph.

Virginum custos et pater, sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa innocentia, Christus Jesus, et Virgo virginum, Maria, commissa fuit: te per hoc utrumque carissimum pignus, Jesum et Mariam, obsecro et obtestor, ut me, ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen [2].

d. Orationes breviores et preces jaculatoriae.

19. Trisagium

(ad adorandam ss. Trinitatem.)

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum;

---

[1] Indulg. prorsus eaedem, quae hymno praecedenti annexae sunt. Prinz. et Maurel ll. cc.

[2] Indulg. unius anni sacerdotibus saecularibus et re-

plena est terra gloria tua. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto [1].

20. Actus renuntiationis in voluntatem divinam.

Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus [2].

21. Salutatio christiana.

Laudetur Jesus Christus! — In saecula. Amen [3].

22. Invocatio.

Jesus Maria [4].

23. Aspiratio b. Leonardi a Portu Mauritio.

Jesu mi! Misericordia! [5]

---

gularibus, quoties hanc orationem recitaverint. Prinz. p. 425. Maur. p. 131.

[1] Indulg. 100 dierum, semel in die, ter diebus dominicis et infra Octavam ss. Trinitatis lucranda; ind. plen. semel in mense iis, qui quotidie eam corde contrito recitaverint, sub solitis conditionibus, die libere eligendo. Prinz. p. 25. Maurel p. 100.

[2] Indulg. 100 dierum semel in die; iis qui quotidie hanc orationem recitaverint corde contrito, ind. plen. semel in anno, die libere eligendo, sub solitis conditionibus; et iis, q. frequenter per vitam recitaverint, ind. plen. in articulo mortis, si mortem in spiritu patientiae ex manibus Dei accipiant. Prinz. p. 486.

[3] Indulg. 100 dierum, quoties fideles se invicem ita salutant. Prinz. p. 62. Maurel p. 118.

[4] Indulg. 25 dierum quoties etc, ind. plen. in artic. mortis iis, qui saepe salutatione christ. vel hac invocatione uti solebant, si corde saltem (dum ore fieri non potest) ss. nomina invocant. Eaedem ind. praedicatoribus et omnibus concessae sunt, qui fideles incitant ad istam salutationem vel invocationem ll. cc.

[5] Ind. 100 dierum, quoties etc. Prz. p. 62. Maur. p. 117.

24. Aspiratio s. Hieronymi Aemiliani.

Dulcissime Jesu! ne sis mihi judex, sed Salvator [1].

25. In adorationem ss. sacramenti.

Laudetur et superexaltetur per omne momentum sanctissimum et divinissimum sacramentum [2].

26. Oblatio sui ad cor Jesu.

O mi amabilissime Jesu! Ego, NN., ut gratum me tibi exhibeam et infidelitates meas resarciam, cor meum tibi dono et me totum tibi dedico et consecro, atque te auxiliante propono non amplius peccare [3].

27. Oblatio pretiosissimi sanguinis.

Aeterne Pater! Offero tibi pretiosissimum Jesu Christi sanguinem in satisfactionem pro peccatis meis, et pro necessitatibus sanctae Ecclesiae [4].

28. Tres aspirationes.

Jesus, Maria, Joseph! Vobis dono cor meum et animam meam. Jesus, Maria, Joseph! Adsistite mihi

---

[1] Indulg. 50 dierum quoties — plen. die 20 Jul. vel infr. octav. sub solitis condit. Prinz. p. 89. Maur. p. 117.

[2] Indulg. 100 dierum semel quotidie; ind. 300 dierum singulis feriis quintis anni et singulis diebus octavae Corporis Chr., si ter dicitur; ind. plen. semel in mense, si quotidie dictum est — sub sol. condit. Maur. p 114 Prinz. p. 196.

[3] Indulg. 100 dierum, si recitatur corde contrito coram imagine sc. cordis Jesu, semel in die; ind. plen. iis, qui per mensem quotidie recitaverint — sub solit. condit. Prinz. p. 215. Maur. p. 116.

[4] Indulg. 100 dierum, quoties etc. Prinz. p. 161. Maur. p. 114.

in ultima agonia. Jesus, Maria, Joseph! Exspiret in pace vobiscum anima mea [1].

29. Oratio s. Bernardi.

Memorare, o piissima virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam, ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum. Ego, tali animatus confidentia, ad te, Virgo virginum Mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen [2].

30. Oratio et invocatio.

O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

O Domina mea! O Mater mea! Memento me esse tuum! Serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam! [3]

---

[1] Indulg. 300 dierum, quoties devote et corde saltem contrito etc. Prinz. p. 89. Maur. p. 119.

[2] Indulg. 300 dierum, quoties corde contrito; ind. plen. semel in mense iis, qui quotidie semel saltem hanc orat. recitaverint — sub sol. condit. Prinz. p 302. Maur. p. 128.

[3] Indulg. 100 dierum semel quotidie iis, q. hanc orat. et invocat. corde saltem contrito mane et vespere, praemisso Ave Maria, recitant, ut in intentationibus, praecipue adversus castitatem, opitulante Deipara victoriam consequantur; ind. plen. semel in mense iis, qui quotidie recitaverint; indulg. 40 dierum, qui in tentatione invocatione breviore „o Domina“ etc. utuntur. Prinz. p. 304. Maur. p. 129.

31. Salve Regina etc. et Sub tuum etc.

(Mane.) Salve Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra salve! Ad te clamamus, exules filii Hevae. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria!

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

V. Benedictus Deus in sanctis suis.

R. Amen.

(Vespere.) Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

V. Dignare etc. (ut supra) [1].

32. Orationes jaculatoriae ad immac. conceptionem.

Benedicta sit sancta et immaculata conceptio beatissimae Virginis Mariae. vel:

---

[1] Indulg. 100 dierum, semel in die iis, qui, ad reparandas injurias, Dei Matri et sanctis irrogatas, et defendendam et promovendam venerationem imaginum eorum, mane recitant „Salve“ et vespere „Sub tuum“ cum VV. et RR.; — ind. 7 annorum et 7 quadrag. singulis dominicis; ind. plen. bis in mense, duobus sc. diebus dominicis, sub solit. condit.; item in omnibus festis B. V. et in festo omnium SS.; ind plen. in articulo mortis iis, qui per vitam has orationes recitare solebant, et tunc confitentur et communicant, vel saltem cor habent vere contritum. Maur. p. 125. Prinz. p. 250. (ubi per errorem habetur: 300 dierum.)

In conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti: ora pro nobis Patrem, cujus Filium Jesum de Spiritu sancto conceptum peperisti [1].

33. Aspiratio ad s. cor Mariae.

Dulce cor Mariae, esto salvatio mea! [2]

34. Oratio ad Matrem dolorosam.

Ave Maria, doloribus plena, Crucifixus tecum: lacrymabilis tu in mulieribus, et lacrymabilis fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Crucifixi: lacrymas impertire nobis, crucifixoribus Filii tui, nunc et in hora mortis nostrae. Amen [3].

35. Aspiratio ad Matrem dolorosam.

Orantur 7 Ave Maria, et singulis additur v. sequens.

Sancta Mater, istud agas:
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide! [4]

36. Ad s. Angelum custodem.

Angele Dei, qui custos es mei: me, tibi commissum pietate superna, illumina, custodi, rege et guberna. Amen [5].

---

[1] Indulg. 100 dierum, quoties alterutra oratio recitatur. Prinz. p. 253. Maur. p. 129.

[2] Indulg. 300 dierum quoties etc. corde devoto et contrito, plen. semel in mense iis, q. quotidie etc. sub sol cond. Prinz. p. 279. Maur. p. 126.

[3] Indulg. 100 dierum quoties corde contrito etc. Prinz. p. 336.

[4] Indulg. 300 dierum semel in die iis, q. contrito corde recitant etc.; ind. plen semel in mense iis, qui quotidie per mensem recitaverint, sub sol. cond. Prinz. p. 332.

[5] Indulg. 100 dierum quoties corde devoto et sal-

37. Pro morientibus.

O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te per agoniam cordis tui sanctissimi, et per dolores Matris tuae immaculatae: lava in sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros.

Cor Jesu, in agonia factum, miserere morientium [1].

38. Pro animabus purgatorii.

Oratur quinquies, contemplando passionem Domini, Pater, Ave et Vers. seq.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

vel:

Aeterne Pater, oramus te pro animabus famulorum tuorum, quos sanguine Jesu redemisti.

Requiem aeternam etc. [2]

---

tem contrito etc.; ind. plen. semel in mense iis, qui per mensem quotidie semel saltem recitaverint, si confessi et communicati Ecclesiam vel Oratorium publicum visitaverint et ad intent. s. Sanctitatis oraverint; ind. plen. in festo ss. Angel. custod. (2. Oct.) iis, qui per annum quotidie mane et vespere orationem recitaverint, si confessi et communicati oraverint ut supra; ind. plen. in artic. mortis iis, qui frequenter per vitam hanc orationem recitaverint. Prinz. p. 395. Maur. p. 132.

[1] Indulg. 100 dierum, quoties corde devoto et contrito etc.; ind. plen. semel in mense iis, qui per mensem saltem ter quotidie hanc orationem recitaverint — sub sol. condit.

[2] Indulg. 300 dierum iis, qui corde devoto et contrito orat. suprascriptam recitant; indulg. plen semel in mense iis, qui quotidie per mensem eam recitaverint, si confessi et communicati orant pro s. Ecclesia et aeterna quiete defunctorum. Prinz. p. 494.

Additamentum.

Oratio ante confessiones excipiendas.

Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare claves regni coelorum, ut nulli aperiam, cui claudendum sit, nulli claudam, cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, caritas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa; pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam; in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam; inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer; alios salvem, meipsum non perdam. Amen [1].

Oratio post exceptas confessiones.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi! Suscipe hoc obsequii mei ministerium in amore illo superdignissimo, quo beatam Mariam Magdalenam omnesque ad te confugientes peccatores suscepisti et absolvisti. Et quidquid in sacramenti hujus administratione negligenter minusque

---

[1] Indulg. 100 dierum . . , semel in die. Prinz. p. 57. Maur. p. 121.

NB. Omnes indulgentiae hic notatae applicari possunt animabus purgatorii.

digne perfeci, tu per te supplere et satisfacere digneris. Omnes et singulos, quorum confessiones sacramentales modo excepi, commendo dulcissimo cordi tuo, rogans, ut eosdem custodias, a relapsu praeserves, ad meliora accendas, atque post hujus vitae miseriam tecum ad gaudia perducas aeterna. Amen.

tisn

Index rerum

quae in tribus tomis meditandae proponuntur.

(NB. Numerus romanus indicat tomum, arabicus paginam.)

Aeternitas III, 252. 383.
ambitio I, 283.
amicitia cum Deo II, 237; cum Christo III, 425.
amor v. caritas.
Angeli I, 81. 235. II, 374. III, 578.
anima, ejus pretium I, 62. II, 464.
—, earum cura, zelus v. sub his verbis.
Apostolus I, 456. II, 442.
ariditas III, 126.
arrogantia III, 555.
ascensio Chr. II, 262. 266. 275.
avaritia III, 158.

Bacchanalia I, 419.
bap nus I, 215. 219.
beatitudo II, 220. III, 339. v. coelum.
bona ecclesiastica III, 296.
breviarium I, 423. II, 256. 471. III, 240.

Caecitas II, 447. III, 147.
caritas erga Deum I, 408. III, 112. 428.
caritas erga proximum I, 400. 431. III, 236. 323.
— erga inimicos II, 438. cf injuria
— Christi erga nos v. Jesus.
castitas II, 188. III, 176. 461.
catechesis III, 190. 417.
Christus v. Jesus.
clerus I, 411. 415. cf. sacerdos.
coelum II, 179. III, 339. 565.
cognitio sui III, 248 cf. examen.
communio I, 31. 200.
— frequens II, 460. III, 115.
— ejus fructus II, 370. III, 98. 115.
— praeparatio ad — I, 176. 246. 320. II, 134. 138. 475. III, 101. 326.
— gratiarum actio post — I, 72. 304.
— spiritualis III, 94.
— indigna v. sacrilegium.
concordia I, 435. II, 383.
confessarius I, 124. II, 162. 167. III, 465.
confessio III, 14. 137. cf. conversio, poenitentia.

conscientia v. examen.
constantia III, 432.
consuetudo I, 300. cf. relapsus.
contritio II, 80 cf. poenitentia.
conversatio II, 328. III, 450.
conversio I, 276. 388. II, 128. 378. III, 86.
cor Jesu II, 132. 366.
correctio fraterna III, 240. 477.
crux II, 87. III, 574.
cupiditas II, 44.
cura animae propriae v. sanctificatio.
— animarum I, 62. 106. II, 191. 387. 403. III, 199. 256.
— infirmorum II, 501.
— pauperum III, 503.
— valetudinis I, 336.

Damnatus v. infernus.
desiderium I, 37.
Deus, ejus aeternitas III, 252.
— beneficia III, 370.
— bonitas III, 421.
— immutabilitas III, 252.
— longanimitas II, 243.
— misericordia III, 220.
— omnipotentia III, 183.
— omnipraesentia II, 176.
— omniscientia I, 359.
— providentia v. s. h. verb.
— sapientia I, 16.
dilectio v. caritas.
dispositio v. communio.
dissipatio III, 144.
distractio III, 35.

Ebrietas III, 519.
Ecclesia I, 269. 296. 332. III, 150. 186. 481.
eleemosyna III, 1.
eucharistia I, 378. II, 212. 335. 339. 342. 347. 350. 354. 358. 362. III, 91. 425. cf. communio, missa, visitatio.
examen conscientiae III, 224. particulare I, 370.
exemplum II, 427.
exercitia spiritualia III, 78.

Felicitas I, 181. II, 232.
festa II, 482.
fides I, 196. 347. 363. II, 171. 183. 419. III, 316. 359.
fortitudo I, 119.

Gratia I, 223. II, 324. III, 289. 501.
gratiarum actio, v. communio.
gratitudo I, 392. II, 303. III, 443.

Humilitas I, 102 III, 213. 293.

Jesus, ejus cor, nomen, passio, resurrectio, ascensio, transfiguratio, vulnera; v. s. h. verb.
— advocatus noster I, 110. Deus abscond. I, 77. Emmanuel I, 164. magister

I, 11. pater I, 48. rex II, 282. via, veritas, vita I, 404.
Jesus baptismus I, 223.
— caritas erga nos I, 21. 378. 383. III, 179. 500.
— comparatur agno I, 242. gallinae I, 351. luci I, 259. medico I, 5. stellae I, 204.
— parvulus I, 138.
— positus in ruinam I, 155.
— ubi inveniatur I, 207.

imitatio Christi II, 218. III, 203.
incarnatio I, 57. 86.
indulgentiae III, 304.
infernus II, 140. 498. III, 196. 409.
infirmus II. 501. v. morbus.
inimicitia III, 454.
inimicus II, 24.
injuria II, 37. 94. 98. III, 274.
Innocentes ss. I, 151.
intentio I, 423. 427. II, 399. III, 65.
invidia I, 355.
Joannes Bapt. II, 508, 522.
— Evg. I, 147.
Joseph II, 513.
ira II, 431.
Judas I, 370. 451. II, 28.
judicium I, 1. 26. II, 490. III, 166. 378.
— temerarium I, 328.

Lacrymae I, 313. III, 30.
lites III, 343.
luxuria II, 47. III, 130.

Magdalena II, 155. 531.
Magi I, 192. 200.
manna III, 91.
mansuetudo II, 478.
Maria I, 86. 96. 460. 465. II, 110. 152. III, 48. 569. 573.
Martyres II, 317.
meditatio I, 289. III, 206. 281. 446.
mercenarius II, 205.
merces II, 422. III, 528.
misericordia III, 119. 122.
missa I, 176. 227. 239 324. 392. II, 278.
— applicatio III, 217.
— praeparatio et gratiarum actio v. communio.
— sacrilega v. sacrilegium.
modestia III, 355.
morbus I, 307. III, 21.
mors I, 310. II, 201. III, 401.
— memoria II, 246.
— boni sacerdotis III, 332.
— mali sacerdotis I, 310. III, 544.
— praeparatio ad — I, 316. III, 544.
mortificatio II, 226. 395. III, 154.
mulier II, 328.
mundus II, 164. 214. 422. 456. III, 65. 285. 331. 387. 450.

Nomen Jesu I, 133. 249.
— baptismale II, 240.

nuptiae Christi tripl. III, 396.

Obedientia I, 115. 211.
occasio II, 435.
oculus v. modestia.
oratio I, 286. 427. 443. II, 259, 406. III, 35. 348.
ordinatio I, 266. III, 391. 582.
otium III, 366.

Parvulus II, 162. III, 190. 417.
passio Chr. I, 289. III, 281. cf. I, 440—456 et II, 1—140.
— dominans I, 370.
pastor II, 198.
patientia II, 67. III, 307. 472.
Paulus II, 313. 527.
pauperes III, 503.
paupertas III, 508.
pax I, 52. II, 164.
peccator I, 276. 396. II, 198. III, 86. 119.
peccatum I, 263. 396. II, 504. III, 228. 271.
— mortale II, 40. III, 439. 532.
— veniale III, 414. 497. 536.
— ejus sequelae, poena I, 300. III, 439. 532.
periculum v. sacerdos.
persecutio I, 411. 415.
perseverantia III, 559.
Petrus II, 20. 185. 527.
Pharisaeus I, 200. III, 61.
poenitentia I, 215. II, 185. 374. III, 5. 53. v. confessio, conversio.
Pontifex summus II, 194.
praedestinatio III, 109.
praedicator I, 253. 256.
praeparatio v. communio.
praesepe I, 159.
prandium III, 300.
preces jaculatoriae I, 367.
procellae I, 296. III, 82.
processiones II, 252. 331.
profectus I, 184.
proposita III, 18.
providentia I, 188. III, 161. 493.
prudentia III, 465.
purgatorium II, 140. III, 39. 267. 591.

Relapsus III, 44. 335.
respectus humanus II, 61. 63.
resurrectio II, 143. 159. 174. III, 172.
rosarium III, 57.

Sacerdos, sacerdotium I, 374. II, 290. 452. 518. III, 105.
— bonus I, 52. 181. III, 332.
— malus I, 26. 273. 388. II, 419. 456. III, 53. 134. 228.
— dignitas I, 81. 374. II, 320. III, 260.
— merces I, 181. v. merces, coelum.
— officia I, 67. II, 468. III, 26 68.
— pericula I, 339. 388. II, 486. III, 21. 312. 352. 387. 461.

sacerdos, potestas II, 167. III, 217.
— ratio reddenda III, 374. 405. cf. judicium.
— sanctitas II, 235. III, 319.
— scientia II, 391. III, 357, 465.
— cf. clerus, confessarius, ordinatio, pastor etc.
sacramenta I, 347. III, 277. 469.
sacrificium v. missa.
sacrilegium I, 451. II, 54. 286. 412.
Sancti II, 309, III, 587.
sanctificatio I, 91. 172. II, 235. III, 256.
scandalum II, 427. III, 193.
scientia v. sacerdos.
servire Deo II, 493. III, 331. 548.
silentium II, 9. 13. 34.
spes I, 43. II, 212 415. cf. providentia.
Spiritus sanctus II, 229. 296. 299. 303. 306. 309.
spiritus ecclesiasticus III, 150.
Stephanus I, 143. II, 309.
superbia III, 61. 210. 555.

Taberna III, 551.
tempus I, 168. II, 209. III, 366. 435.
tentatio I, 231. III, 485. 540.
tepiditas I, 279. III, 9. 264.
transfiguratio III, 169. 565.
tribulatio I, 343. III, 363. 523.
Trinitas II, 320.

Vestes sacrae II, 90.
via crucis II, 70.
viator II, 146. 223.
vigilantia III, 490.
visitatio ss. sacramenti III, 72.
vocatio I, 374. II, 183. 290. 442.
vulnera Chr. II, 149.

Zelus animarum I, 62. 106. III, 515.
— domus Dei I, 269.